FRATRIS

PETRI MARIÆ GAZZANIGA

ORD. PRÆD.

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ

HABITÆ

IN VINDOBONENSI UNIVERSITATE

NUNC VERO METHODO DISPOSITÆ

EMENDATÆ ET AUCTÆ

ACCEDIT TRACTATUS DE SACRAMENTIS EJUSDEM AUCTORIS

TOMUS TERTIUS

DE TRINITATE ET CREATIONE.

BASSANI 1831.

SUIS TYPIS REMONDINI

EDIDIT.

PRÆFATIO

DE TRINITATIS NOTIONE

APUD ETHNICOS PHILOSOPHOS

1. Petrus Daniel Huetius Episcopus Abrincensis, vir summae eruditionis, in Lib. II. *Quaestionum Alnetanarum* c. 3. ita fidenter scribit: veteres Philosophos *obscurum illud Sanctissimae Trinitatis, et reconditum Mysterium vidisse, quasi per nubila, et caliginem, sed vidisse tamen rationis ope, magna sane res est, et Christianae veritatis certissimum argumentum*. Hac opinione imbutus religiosissimus ille Antistes omnem dedit operam, ut in veteri Philosophia quaedam inveniret Trinitatis vestigia, atque illa nostro dogmati accommodaret.

2. Contra visum est Dionysio Petavio, qui in multiplici eruditione Huetio non erat inferior, in scientia autem theologica longe superior. Hic enim Lib. I *de Trin.* cap 1. haec habet notatu dignissima: *Ac longius sane disputando Plato provectus, ejusque discipuli, speciem quamdam Trinitatis informarunt; quo etiam nomine nostrorum aliqui supra modum illos admirantur, ac praedicant. Sed profecto majore flagitio, ac dispendio veritatis, quam operae pretio, istud illorum dogma prodiisse mihi videtur; neque ulla ex alia re gravior Christianae fidei noxa, et pernicies importata fuisse; ut perinde facere illos putem, qui Platonicos deosculantur, quod larvam nescio quam personarum trium adumbraverint, ac si quis Poetas, et profanae superstitionis, idolorumque buccinatores impense collaudet, quod in Jove, Neptuno, ac turpioribus etiam Deorum portentis divinitatis utcumque nomen, majestatemque commendent. Etenim quidquid haereseon, opinionumque falsarum primis illis Ecclesiae temporibus emersit, ac praesertim Ariana tota perfidia, ex illo Platonicorum commento causam, et originem accepit*. Reipsa Sociniani, qui Sabellianos, atque Arianos errores renovarunt, simulque conjunxerunt, blasphemo ore blaterant, Sanctissimae Trinitatis Mysterium, quod totius Religionis nostrae fundamentum est, non ex divina revelatione, sed ex ethnica Philosophia derivatum esse. Et quamquam istorum impietas toto hoc tractatu accurate, coploseque explosa sit, non erit tamen inutile, eas, quae variae circumferuntur exoticae Trinitates, breviter saltem, quantum patitur hujus Praefationis angustia, examinare.

3. Primo autem exordiemur ab Ægyptiis, qui sibi laudem arrogant primae scientiarum culturae ex Apollineo oraculo, quod refert Eusebius Lib. IX. *De Praepar. Evang.* c. 10. Quamquam alii hanc laudem Ægyptiis denegant, ostendentes, eos plurima a Chaldaeis, et Persis accepisse. Sed quidquid de hac controversia sit, Ægyptios fuisse propter sapientiam toto orbe celebres, innuitur etiam Lib. 3. Reg. IV. 30., ubi dicitur: *Et praecedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium, et Ægyptiorum*; et Act. VII. 22. Moyses dicitur *eruditus omni sapientia Ægyptiorum*.

4. Jam vero de Ægyptiorum Trinitate plura protulit P. Athanasius Kircherus, contendens praecipuum hoc nostrae Religionis Mysterium fuisse ab illius gentis sapientibus, *occulte expressum per globum, serpentem, et alam in unum hierogramma congesta* (in *Mystagogia Numerorum* p. 252.); nempe vult, per globum, cujus nullum est initium, nec ullus terminus, significari Deum, qui nec esse cœperit, nec desinat, sed a seipso sit; serpentem divinae sapientiae figuram esse; alas denique significare divinum illum spiritum, qui res omnes pervadit, et animat. Quae sua somnia latius explicat in *Obelisco Pamphilio*, ubi etiam in subsidium advocat *Hermetica fragmenta*, ex quibus colligere se posse putat, Hermetem tum ex traditione majorum, quos origine Chananaeos fuisse dicit, tum ab Abrahamo, quem Hermeti synchronum facit, SS. Trinitatis notitiam habuisse. Sed Kircherus suam hieroglyphicorum Ægyptiorum ingeniosam explicationem emunctae naris viris persuadere non potuit (*a*).

5. Radulphus Cudvvortus in *System. mundi intellectuali* cap. IV. n. 412. explosa, quam Kircherus Ægyptiis tribuit, Divina Triade, aliam ipsorum Trinitatem invenisse sibi visus est in Jamblico, qui in Lib. *de Mysteriis Ægyptiorum* Sess. VIII. cap. 3. de Hermete haec habet: *Deum Emeph, tamquam ducem Diis cœlestibus praeponit: ait, hunc esse mentem seipsam intelligentem, et cogitationes in semetipsas convertentem. Ante hunc* (Emeph) *unum impartibile ponit, quod vocat Eicton, et primam effigiem... Praeter hos* (Eicton, et Emeph) ponit mentem, quae *quatenus ad generationem sapienter descendit et incognitam rationum latentium vim producit in lucem, lingua Ægyptiaca dicitur Amun; quatenus vero perficit omnia, summa cum veritate, et arte, vocant eum Phtha*. His Cudvvortus tres Sacrosanctæ Triadis Personas ab Hermete omnino designatas putat; nempe primam in *Eicton*, quod est primum, et simplicissimum Numen: alteram in *Emeph*, vel *Hemphtha*: tertiam in *Phtha*. Quam in rem utitur etiam auctoritate Steuchi Eugubini, qui locum allegat Damascii (apud Jo. Chris. Wolfium in *Anecdotis graecis*) dicentis, Ægyptios existimasse, *primum rerum omnium principium esse tenebras supra omnem captum positas, idque ter eos repetere*.

6. Reipsa Augustinus Steuchus Eugubinus Lib. II. *De perenni Philosophia* c. 6. multis probare nititur, claruisse apud Ægyptios priscis saeculis magnam Divinae Trinitatis lucem; *omnium enim rerum principium ter acclamantes, appellan-*

(*a*) Petrus Dan. Huetius in Lib. II. *Qu. Alnet.* 2. 3. vocat Athan. Kircherum *virum vastæ & variæ, sed non accuratæ, & castigatæ eruditionis*. Videri possunt Herm. Witsius Lib. II. *Ægyptiac.* c. 5. Joann. Casaubonus *Exercit. I. in Baronium*, Herm. Conringius *de Hermetica Ægyptiorum Medicina* c. 4.; aliique non pauci, qui recte observarunt, Hermetis, quæ nunc habentur, Opera aut fictitia esse, aut ab hominibus semi-Christianis pia fraude corrupta.

lantesque tenebras, omnem humanam cognitionem supereminentes, triplicem Deitatem designabant... Sic Ægyptii Sanctissimam Trinitatem, primumque omnium rerum principium tenebras ignotas dixere etc. Ita Eugubinus.

7. Verumtamen ab eruditis observatum est, junioribus Platonicis, quales Jamblicus, et Damascius sunt, non admodum fidendum, dum veterum Philosophorum exponunt sententias, quas placitis suis accommodare studuerunt. Et reipsa videmus, eos antiqua Sapientum dicta vario, ac diverso modo interpretari, prout magis suis hypothesibus confirmandis deserviebant.

8. Praeterea Jamblicus in loco a Cudvvortho memorato non tria tantum, sed quinque videtur adstruere rerum omnium principia; postquam enim *Eicton*, et *Hemeph* commemorasset, *praeter hos*, inquit, *rerum opificio alii praesunt duces*, eosque ibidem nominat, nempe *Mentem opificem*, quam appellatam dicit *Amun*, *Phtha*, et *Osiridem;* deinde alium principem positum super elementa, ac demum Lunam; ut non ternarius, sed quinarius numerus exurgat.

9. Magis ad Trinitatem aliquam significandam accedere videntur, quae habet Plutarchus *de Iside, et Osiride;* ubi Ægyptiorum doctrinam his verbis exponit: *Praestantior, atque divinior natura e tribus constat, eo quod mente cernimus, et materia et quod ex his compositum mundus dicitur. Ac Plato quidem primum illud ideam, exemplar, patremque nominat: materiam matris, nutricis, sedis, et regionis ortuum capacis vocabulo notat: quod ex utroque constat, prolem, ortumque nominare solet. Ægyptios autem probabile est, triangulorum pulcherrimo in primis comparasse universi naturam, qua comparatione etiam Plato videtur usus.... Constat id triangulum tribus lateribus..... Intelligendum est autem, linea ad rectum angulum alteri insistente marem, basi feminam, subtendente prolem utriusque repraesentari; et Osirim esse principium, Isin receptaculum, Orum effectum.*

10. Sed haec etiam valde obscura sunt, et nonnisi cum multis interpretationibus possunt ad Trinitatem significandam detorqueri. Ut autem bene adverterunt eruditi, haec doctrina videtur a Platonicis quibusdam in Ægyptum allata, et cum prisca Ægyptiorum Philosophia permixta. Ceterum non tres tantum, sed pene innumeros Deos fuisse ab Ægyptiis agnitos, atque adoratos, res est testatissima. Quis vero ignorat, polytheismum cum Deo uno in essentia, trino in personis adversa fronte pugnare?

TRINITAS PERSARUM.

11. Philosophiae Persarum auctor communiter Zoroaster habetur, qui etiam dictus est Zerdusht, sive Zardusht, vel Zaradusst, quem eumdem fuisse ac Moysem, Dan. Huetius probare conatus est in *Demonstr. Evangelica* cap. V., scilicet genio suo indulgens, quo Moysem in omnibus sapientibus a veneranda antiquitate celebratis videre sibi videbatur. Non desunt tamen, qui velint, ipsum aut Judaeum fuisse, aut inter Judaeos educatum, et veri Dei notitia imbutum. Sed de Zoroastris persona, aetate, patria, et religione tam variae sunt, sibique adversae Doctorum sententiae, ut nihil certi determinari possit.

12. Multorum librorum Zoroaster auctor dicitur; sed omnium celeberrimus est ille, qui inscribitur *Zendavesta*, et brevius *Zend*. Hujus libri, quem Persae ut divinum habent, duae sunt partes, quarum prima Persarum liturgiam continet, qua in suis templis igni dicatis utuntur: altera vero morum praecepta. Illum in gallicam linguam conversum non ita pridem evulgavit D. Perron d' Anquetil, quod se facturum sperabat Thomas Hydens rerum Persarum peritissimus, sed defectu Maecenatis, qui sumptus suppeditaret, voti compos factus non est.

13.

13. Hunc librum falso quidem Zoroastri tribui, vetustissimum tamen esse judicavit Huetius. Voltairius autem solita sua audaci inscitia omnium, qui in mundo sunt, *antiquissimum* pronunciavit. Sed alii Critici repugnant. Laudatus mox Anquetillus vult, ipsum fuisse conscriptum medio circiter saeculo VI. ante Æram Christianam. Sed quidam non sine fundamento credunt, eum, ut et multos alios similes, fuisse primis Ecclesiae temporibus aut ex integro confictum, aut saltem admodum interpolatum, ut Judaicae Religionis vestigia apparerent; unde etiam multi Psalmi Davidici in eo reperiuntur (*a*).

14. Praeter memoratum *Zendavesta*, ubi tota Persarum Religio contineri dicitur, Zoroastri etiam tribuuntur sic dicta λόγια, sive *oracula*, quorum nonnisi fragmenta aliqua ad nos pervenerunt in libris Procli, Simplicii, Damascii, Synesii, Olympiodori, aliorumque recentium Platonicorum conservata; quibus postea addita fuere Scholia Plethonis, et Pselii (*b*).

15. Jam vero qui a Persis Philosophis fuisse Divinam Trinitatem agnitam volunt, id potissimum colligunt ex hoc Zoroastris oraculo: *Unitas dualitatem genuit; Dyas enim apud eam sedet, et intellectuali luce fulgurat. Inde Trinitas; et haec Trinitas in toto mundo lucet, et gubernat omnia.* Apud Thomam Stanlejum in *Hist. Philos.*

16. Verumtamen primo non desunt eruditi magni nominis, qui haec oracula Zoroastri supposita fuisse sibi omnino persuadent (*c*). Et quidem Petro Lambecio in *Prodromo Hist. Litt.* visum est, a quodam Juliano, cujus meminit Svidas T. II. pag. 123., qui sub M. Antonino floruit, haec oracula fuisse conficta. Repugnant alii; omnes tamen facile consentiunt in iis tamquam supposititiis repudiandis.

17. Secundo quae in laudato oraculo videntur posse ad Trinitatem divinam aliquo modo referri, ex recentium Platonicorum scholis manifeste deprompta fuerunt. Notum est enim, Platonicos scholae Alexandrinae, non pauca ex Christiana Religione, quae ubique jam Deo favente, splendebat in suam Philosophiam transtulisse; sive quod haec dogmata ipsi rationi magis consona viderentur, sive etiam, ut labanti jam superstitioni Ethnicae suppetias ferrent, ostendere conantes ea, quae in Religione Christiana recens exorta Sapientibus admirationi erant, etiam in Gentilium Philosophorum scholis fuisse tradita.

18. Sed etiamsi genuinum hoc esset Zoroastri oraculum, quis facile concedat, nomine *Dualitatis* intelligi personam Filii, et per intellectualem lucem fulgurantem designari Spiritum Sanctum? Potius iis consenserim, qui per unitatem intel-

li-

(*a*) Vid. Auctores citati in nota ad num. 51. Dissert. I. De significatione autem hujus nominis *Zendavesta* agit Herbelotius in *Bibliot. Orientali* voce *Zend*, & voce *Usta*. Ridendum vero se præbuit Voltairius, dum *Sad-der* aliquem Persarum scriptorem esse putavit, cum non sit nisi *Zendavestæ* breve Compendium, aut quoddam excerptum ejusdem libri ad Laicorum usum. Quem Voltairii errorem notavit, & correxit Abbas Foucherius in suis monumentis *de Zoroastre* Tom. XLII. & XLVI. *Des Memoires de l' Academie de Paris des Inscriptions, & Belles-Lettres.*

(*b*) Hæc oracula cum Scholiis Gemistii Plethonis latino sermone edidit Jacobus Martanus. Aliam postea, & locupletiorem eorumdem editionem, additis etiam Scholiis Michaelis Pselli debemus Jo. Opsopæo ad calcem carminum Sibyllinorum, primo Parisiis 1589., postea Amstelodami curante Servatio Gallæo 1689. in 4. Sed adhuc pleniorem oraculorum collectionem dedit in sua *Nova de universis Philosophia* Franc. Patricius Ferrariæ 1591., & Ven. 1593., præmissa Diss. de *Zoroastre*.

(*c*) Inter hos præcipue nominantur Petrus Lambecius in *Prodromo Historiæ Litterariæ*, Theoph. Spizelius *De rel. Sinensium*, Jo. Henr. Ursinus *De Zoroastre, & Sancuniatone*, Thomas Hyde *De religione Vet. Persarum*, Thomas Burnetus, in *Archeologia Philosoph.* Vid. Jacob. Bruckerus in *Historia Critica Philosophiæ* Tom. I. p. 157. sec. edit. Lipsiæ 1767. Jo. Alb. Fabricius Lib. I. *Bibliot. Græcæ* c. 36., & Laur. Moshemius in notis ad Cudworthium c. IV. §. 16. n. 540.

ligunt Deum, per dualitatem autem duo principia, bonum, et malum, ex quibus omnia, quae in mundo sunt, bona, et mala oriuntur, ad sensum illorum, qui unum summum Deum esse fatebantur, ab ipso autem fuisse creatam lucem et tenebras, seu Angelos bonos, et malos, a quibus tamquam a duobus principiis bona, et mala hujus universi repetenda sint. (Legendus Jac. Bruckerus in T. I. *Hist. Crist. Philos.* Lib. II. 2. c. 3. §. 13.). Quod systema ab impostore, qui Zoroastris oracula confixit, ex iis sac. litterarum locis depromptum est, ubi dicitur: *Ego Dominus, non est alter, formans lucem, et creans tenebras*, Isaiae XLV. 7. (*a*) Ex his autem paucis abunde liquet, aut nihil in veterum Persarum Philosophia de Trinitatis Mysterio inveniri; aut si aliqua sunt Trinitatis vestigia, a nostra revelata doctrina quamlongissime distare.

19. Neque vero iis consenserim, qui perspicuam Patris aeterni, ejusque Verbi mentionem fieri putant in illo magico Oraculo, quod Psellus ita vertit

Omnia enim perfecit Pater, et menti tradidit
Secundae, quam primam vocat omne genus hominum.

Aliquanto diversum idem Oraculum nobis exhibet Pletho his verbis: *Omnia sunt producta ex uno igne, quippe cum omnia Pater perfecerit et menti tradiderit secundae, quam primam vocant nationes hominum*. Porro August. Steuchus Eugubinus Lib. II. *de Perenni Philos.* c. 15. in hoc oraculo maxime triumphat, contendens, mentem paternam non esse, nisi *secundum Deum*, et *Filium Dei*; et concludit: *En quod canit Ecclesia, Patrem omnipotentem creatorem coeli, et terrae, visibilium omnium, et invisibilium. Deinde inducens creatorem secundum, Filium Dei unigenitum, per quem omnia facta sunt*.

20. Verumtamen in hoc magico Oraculo (quod fortasse perperam tribuitur Zoroastri) nulla est mentio tertiae Personae, sine qua Trinitas consistere non potest. Ulterius admodum obscurum est, et plane aenigma, quid veniat nomine *mentis secundae, quam primam vocat omne genus hominum*, et *cui tradidit* Pater omnia a se jam *perfecta*. Neque enim id facile adaptari potest Verbo divino; per ipsum enim omnia facta esse, non autem ei tradita esse, quae jam prius Pater perfecerat, vera Trinitatis notio ex sacris litteris, sanctorumque Patrum traditione hausta nos docet, unde nulla apparet inter hoc Magicum Oraculum, et Ecclesiae Symbolum consonantia.

21. Radulphus Cudvvorthus *De syst. mundi intellect.* c. 4. §. 16. n. 333. Trinitatem a Persis agnitam fuisse, inde colligit, quod *Mithra*, seu summus Deus ab ipsis τριπλάσιος *triplex* diceretur; quod etiam Dionysius vulgo Areopagita testatur in ep. VII. ad Polycarpum inquiens: *Etiamnum Magi triplicis Mithrae, seu Solis memoriam recolunt*. Graeci autem Dionysii Interpretes hoc cognomen Soli datum fuisse crediderunt propter miraculum Ezechiae, quando regressus decem lineis, dies tri-

(*a*) Humfredus Prideauxius in Lib. IV. *Hist. Judæor.* putat, hæc dicta fuisse a Zoroastre, vel ab eo, qui ejus personam assumpsit, ad convellendum errorem, qui apud Persas communis erat, & quem postea Manes celebriorem reddidit, de duobus principiis supremis, bono, & malo. Etiam Abbas Foucherius in variis suis monumentis, quæ Actis Academiæ Parisiensis *Inscriptionum* &c. inserta sunt, Dualismum Zoroastris ita explicat de duobus Geniis, bono, & malo a Deo creatis, quorum alter nos ad bonum, alter vero ad malum excitat. Quam sententiam Lactantius his verbis explicavit: *Fabricaturus Deus hunc mundum, qui constaret in rebus contrariis, atque discordibus, constituit ante diversa, fecitque ante omnia duos fontes rerum sibi adversantium, illos videlicet duos spiritus, quorum est Deo, tamquam dextera, alter tamquam sinistra.*

triplo major effectus est; unde Magi Persarum occasionem ceperint Solem, seu *Mythram triplicem* appellandi; quam interpretationem ut ineptam rejiciunt Gerhardus Jo. Vossius *De Idololatria* lib. II. c. 9. et Jo. Seldenus *De Diis Syris* in Proleg.. Rejecta autem hac commentitia explicatione, concludit Cudvvorthus, triplicem Mythram Persarum nihil esse aliud, quam nostram Trinitatem. Haec sententia etiam placuit Petro Dan. Huetio Lib. II. *Quaest. Alnet.* cap. 3. ubi inquit: *Triplex ille Magorum Persarum Mithra Dionysio memoratus, videtur esse simulacrum quoddam Trinitatis.*

22. Sed hoc Trinitatis simulacrum nimis longe arcessitum est: nisi velimus omnia ea significare Trinitatem, quae ternario numero enunciantur. Sane non uni Soli, sed etiam Lunae *triplicis* nomen datum fuisse a Persis, testatur Julius Firmicus *De error. prof. relig.*, et Virgilii carmen notum est Lib. VI. *Æneid.*

Tergeminamque Hecaten, tria Virginis ora Dianae.

Cur autem triplicem faciem Soli, et Lunae antiqui dederint, non est facile divinare. Julianus Augustus Orat. IV. in *Solem* scribit, id factum esse propter triplicem ejus virtutem, et efficientiam; quaenam autem hae propriae Solis virtutes sint ab aliis distinctae, propter quas tribus faciebus decorari meruerit, non satis feliciter declarat. Alii crediderunt, triplici Solis facie designari tria tempora, in quae annum Solarem veteres partiri consueverant. Macobrius triplici Solis, et Lunae facie tria tempora, scilicet praeteritum, praesens, et futurum significari putavit. Sed omnes ariolari potius, quam certi aliquid afferre videntur. De Luna vid. Servius in Comm. ad hunc locum Virgilii.

DE TRINITATE ORPHICA.

23. Petrus Dan. Huetius, et P. Athanasius Kircherus, quo erant genio inveniendi iis veterum Ethnicorum libris nostrae S. Religionis aliqua vestigia, etiam in iis paucis, quae supersunt, Orphei carminibus Trinitatis mysterium satis aperte expressum viderunt; ille quidem in lib. II. *Quaest. Alnet.* c. 3., ubi tamen fatetur, *quae ex pseudo Orpheo asseruntur, parum inter se consentire*. Alter vero in *Œdipo Ægypt.* ab Orpheo agnitam fuisse Trinitatem minime dubitat. Ejusdem sententiae non paucos, nec infimi subsellii eruditos invenies.

24. Potissimum autem eorum argumentum ducitur a Proclo, qui *Timaeum Platonis* exponit sententiam Ameli Philosophi Platonici his verbis: *Amelius triplicem esse constituit hujus mundi architectum, tres mentes, tresque Reges; illum, qui est, illum, qui habet, et illum, qui retinet;* et postea subdit: *Amelius igitur hic tres mentes suas, seu rerum omnium opifices eosdem esse arbitratur, quos tres Platonis Reges, tresque illos, qui Orpheo commemorantur, Deos, Phaneta, Uranum, et Cronum. Is vero, qui Phanes audit apud Orpheum, proprie ipsi videtur esse demiurgus, seu rerum opifex*. Addit Rad. Cudvvorthus etiam testimonium Damascii, Philosophi item Platonici, qui in quodam lib. *de principiis* nondum edito asserit ab Orpheo fuisse agnitum τρίμορφον Θεὸν *triplicis formae Deum*. Denique Cedrenus fragmentum servavit Timothei antiqui Chronographi, ubi dicitur Deus tribus nominibus appellatus, nempe *Lux, Consilium*, et *Vita*; quo fragmento recitato Cedrenus asserere non dubitat, *Orpheum tot retro saeculis pronuntiasse, Trinitatem consubstantialem omnia condidisse*.

25. Haec tamen testimonia, et si quae alia sunt ejusdem generis, antiquae Philosophiae peritos non omnino convincunt: sunt enim omnia recentium Platonicorum

post

post Christum natum, qui aliquam Trinitatis notitiam non tam ex Scholis Philosophorum, quam ex Christiana Religione hauserunt; veterum autem Philosophorum dicta suis placitis aut vi, aut precario accommodare sategerunt. Hujus genii erat Amelius, cujus proinde auctoritas non tanti est ponderis, ut nostrum consensum extorqueat, praecipue cum ex Orphicis fragmentis Amelius colligat, Phanetam, seu primam mentem, et primum Regem (quem nos Patrem aeternum dicimus) esse *Demiurgum*, seu *rerum opificem*, cum tamen Platonici ipsi, ut postea videbimus, docerent, Deum demiurgum non esse primam, sed secundam Trinitatis personam. Neque major est auctoritas aliorum Platonicorum, Damascii, et Timothei; ut proinde haec Trinitas Orphica, aut prorsus commentitia sit, aut saltem admodum suspecta et dubia.

TRINITAS PYTHAGORICA.

26. Petrus Dan. Huetius in jam memorato c. 3. Lib. II. *Quaest. Alnetan.* paucis verbis multa colligit, ut nobis persuadeat, Pythagoreos Trinitatis mysterium numero ternario, qui celebris apud ipsos erat, designasse. *Hos*, inquit, *trinum celebrasse Deum, disserit Proclus in Timaeum: hos narrat Servius ternarium numerum perfectum summo Deo assignasse, ac propterea dixisse Virgilium, numero ternario Deum gaudere; atque idcirco etiam Deorum omnium potestatem triplici signo ostendi, Jovis trifido fulmine, Neptuni tridente, Plutonis cane tricipiti: hinc unum esse eumdemque Deum, Apollinem, Solem, atque Bacchum: hinc tres esse Parcas, tres Furias, et Herculem tribus noctibus conceptum. Ergo de divina illa Trinitate multa commentatus est Parmenides, acutissimus Pythagoricorum dogmatum patronus.* Haec πεγυμνάδιν Huetius Mysteria nostrae Religionis ex gentili Philosophia confirmandi nimio studio.

27. Alii vero, quanquam fatentur, difficile omnino esse determinare, quid proprie Pythagorici suo ternario numero significare vellent, dissidentibus ejusdem scholae alumnis, praesertim sequioris aetatis (notum est enim consuevisse Pythagoram quaedam secretiora suae doctrinae capita, nonnisi paucis (*a*) revelare); attamen induci non possunt, ut credant, Pythagoram ternario suo numero voluisse Trinitatis mysterium indicare. Non solum ternarius numerus apud Pythagoricos celebris erat, sed *Tetras*, sive numerus quaternarius omnium perfectissimus habebatur. Qua vero de causa *Tetraplas*, tanta in veneratione apud Pythagoricos esset, haud facile dictu est. Quidam eam afferunt rationem, quod 1. 2. 3. 4. simul sumpta denarium numerum constituant. Alii, quod Pythagoras nonnisi ad numerum quaternarium computare fuerit solitus. Demum non defuerunt, qui mysterium vocis tetragrammaton יאי in ea latere, sibi persuaderent. Sed quid celeberrima Pythagoreorum *Tetractys* significaret, aliis divinandum relinquimus.

TRINITAS PLATONICA.

28. Nulla autem Trinitas magis propior visa est orthodoxae nostrae doctrinae de hoc mysterio, quam Trinitas Platonica. „ Plato imprimis, inquit suprà citatus

(*a*) Pythagoram, ejusque Discipulos symbolis quibusdam, brevibusque, atque obscuris sententiis suæ doctrinæ arcana indicare solum voluisse, non autem dilucide exponere, ne alicui a sua secta innotescerent, pluribus veterum testimoniis constat. Hierocles ea vocat ἱερὰ αἰνίγματα, quæ multi explicare conati sunt. Vid. Phil. Beroaldus Bononiensis in libello, cui titulus *Symbola Pythagorica moraliter explicata* Bononiæ 1503., recuso postea Rostochii 1604. cura Petri Fabricii. Nonnulli alii hanc spartam adornarunt, potius ariolando, quam certum aliquid statuendo.

„ tus Huetius, praeceptis Socratis imbutus, cum alibi, praecipue in *Gorgia*, et „ in celebri illa, et a priscis Christianis saepe laudata ep. ad Dionysium secundam divinam explicans naturam, tres in ea designat Reges, primum causam „ rerum omnium eximiarum; secundum rebus secundis addictum; tertium tertiis. „ Atque haec Platonis Trinitas juxta interpretationem Procli *Pater* est, et *Potentia*, et *Mens*. Aliis praeterea locis a primo hoc *Rege* vult esse genitum se- „ cundum, *mundi conditorem*; ex illo tertium, quem *animam mundi* Platonici- „ dixere; et in ep. ad Hermiam, Erastum, et Coriscum jurare eos jubet per „ *Deum, rerum omnium, et quae sunt, et quae futurae sunt, ducem atque* „ *causam, et per Dei hujus Patrem Deum*. Ab eo etiam alibi traditum est, „ uti testatur Porphyrius in *Historia Philosophica*, Deum illum Filium, sive *Mentem*, a Deo Patre, cui tribuit *Boni* cognomen, genitum esse ante tempora, „ modo quodam, qui ab hominibus comprehendi non possit, per se constare i- „ psum, atque esse rerum omnium, omnisque pulchritudinis fontem. „ Hactenus Episcopus Abrincensis, indicans praecipua Platonis loca, in quibus visum plerisque est, sanctissimae Trinitatis mysterium aperte tradere.

29. Multa postea afferuntur ad hoc ipsum comprobandum Platonicorum testimonia, praecipue Plotini, qui ejus scholae veluti coriphaeus est, et a S. Aug. Lib. IX. *de Civit. Dei* c. 10. *laudatus* dicitur, quod *Platonem ceteris excellentius intellexerit*: Hic autem in *Enneade* V. Lib. I. c. 6. et 7. tres memorat Reges, aut Deos, quorum unum κρίττονα νῦν *Mentem potiorem* vocat; alterum νῦν δεύτερον *Mentem posteriorem*, quam vult a prima Mente genitam, et illius esse imaginem; tertium demum Animam esse a secunda Mente genitam, quam etiam ejus λόγον *Verbum* appellat. Et alio in loco: *Apud Platonem*, inquit, *cognoscere licet ex ipsa quidem Bono Mentem, atque Ideam: ex Mente vero Animam;* ubi etiam Parmenidis testimonium allegat, *qui loquens apud Platonem exactius inter se distinguit primum ipsum unum, quod et praecipue unum est, solumque unum: item secundum unum multa nominat: tertium denique unum, atque multa*.

30. Haec saepius repetita legimus in hujus Philosophi Platonici operibus, quae ut eredibiliora redderet, suis Auditoribus narrare solebat, cum tota mente ad primum Deum contemplandum accederet, sibi hanc felicitatem contigisse, ut ipsi summo Deo conjungeretur. Id testatur etiam Porphyrius in *Vita Plotini* c. 23. (apud Jo. Alb. Fabricium Lib. IV. *Bibliothecae Graecae* c. 26.), dicens: *Finis Plotino, signumque erat, quo aciem mentis intenderet, appropinquare, conjungique ipsi Deo omnibus ubique praesenti. Quater autem, dum cum ipso versarer, hunc finem est assecutus*. Alia aliorum Platonicae Familiae Philosophorum testimonia brevitatis causa omitto.

31. His etiam accedit auctoritas S. August., qui lib. X. *de civit. Dei* c. 29. ita Porphyrium Platonicum compellat: *Praedicas Patrem, et ejus Filium, quem vocas paternum intellectum, seu mentem, et horum medium, quem putamus te dicere Spiritum sanctum, et more vestro appellas tres Deos*. Postea refert, se audivisse a sancto sene Simpliciano, qui praefuit Ecclesiae Mediolanensi, quemdam Platonicum (is erat Amelius) dicentem: *Initium sancti Evangelii secundum Jo. aureis litteris conscribendum, et per omnes Ecclesias in locis eminentissimis proponendum*. Et etiam Lib. VII. *Confessionum* c. 9. refert, se in Libris Platonicorum ea fere omnia reperisse, quae S. Jo. habet de aeterna divini Verbi generatione, eosque solummodo culpat, quod nihil habeant de Jesu Christi humilitate, qua factus est obediens usque ad mortem propter nos.

32. His tamen non obstantibus, bene multi Theologi adduci minime possunt, ut

ut credant, mysterium Trinitatis Platoni innotuisse. Et quidem laudatus mox S. August. *de civ. Dei* c. 23. ita de Porphyrio loquitur: *Quae autem dicat esse principia, tanquàm Platonicus, novimus. Dicit enim Deum Patrem, et Deum Filium, quem graece appellat vel paternum intellectum, vel paternam mentem: de Spiritu autem sancto aut nihil, aut non aperte aliquid dicit, quamvis quem alium dicat horum medium, non intelligo.* Nemo autem ignorat, in adorando divinae Trinitatis mysterio etiam Spiritum sanctum ut tertiam Personam, Patri, Filioque consubstantialem, et ab utroque procedentem contineri.

33. Neque vero satis est dicere, tertium *Dominum Regem*, ac *Deum* a Platone nominari. Non inquam; qui enim Platonis, ejusque scholae dogmata intimimus penetrarunt, norunt, hunc tertium *Deum*, non esse nisi mundum, aut potius animam mundi, cui nullo modo nomen, aut characteres Spiritus sancti adaptari possunt. Perspicue Platonis sententiam nobis aperit Numenius, de quo Proclus Platonicus Lib. II. *in Timaeum Platonis* inquit: *Numenius tres celebrans Deos, Patrem appellat primum, secundum vero Opificem, tertium opus. Nam mundus apud ipsum tertius est Deus; ita ut duplex sit secundum illius sententiam opifex, primus, et secundus Deus. Melius enim sic dicere, quam ut ille tragoedias agens appellat, Patrem, Filium, et Nepotem.* Et alio in loco, nempe *Enneade* III. Lib. V. c. 6. *Mundus*, inquit, *ut vulgo dicitur, tertius est Deus*. Addit praeterea, hunc mundum esse *opus Dei*, *et rem factam* ποίημα, et δημιουργήμενον. Unde etiam Aristoteles Lib. I. *Metaph.* c. 7. occasionem sumpsit Platonem redarguendi pudendae contradictionis, dum mundi animam *tertium Deum* appellavit, alibi vero eamdem una cum cœlo *creatam* dixerit.

34 Neque omnino clarum est, quid Plato per λόγον *Verbum*, seu *rationem* intellexerit; an Personam divinam a Patre per veram generationem procedentem; an vero attributum Dei, seu ipsam rationem, et sapientiam, qua a tota aeternitate ideas archetypas rerum possibilium, et creandarum apud semetipsum habebat. Suspicionem aliquam suppeditant verba Plotini *Enneade* V. Lib. I. cap. 6. dicentis de λόγῳ: *Hunc jam genitum cuncta secum simul entia genuisse, universam pulchritudinem idearum, intelligibiles Deos omnes.* Si ita res se habet, Trinitas Platonica conflata erit ex summo Deo, quem unum semper confessus est Plato, ex ejus ratione, seu sapientia, et ex mundo archetypo. Sic poterimus ex Virgilio ex. gr. triadem configere, ipsius personam, ingenium, et Æneidos speciem, seu ideam considerando. Talem putarunt aliqui esse Trinitatem Platonicam; quae tamen opinio certioribus deberet testimoniis confirmari, ut credibilis redderetur (*a*).

35. Sunt tamen et multi sancti Patres, et graves Auctores, qui sine dubio asserunt, agnitum fuisse a Platone sacrosanctae Trinitatis Mysterium (vide, quae diximus Diss. I. n. 48. et seq.). Ego hanc celebrem controversiam definire non audeo; eam solum indicasse contentus. Quod si celebris iste Philosophus aliquid vidit de hoc dogmate, quod omnium profundissimum, et imperscrutabile est, id certe solo rationis lumine non vidit, sed vel ex lectione scripturarum sacrarum, vel conversatione cum Judaeis, vel etiam ex Noachica traditione. Vid. dicta Dissert. I. num. 54. et seq.

36. Audiatur S. August. Lib. VIII. *de civit. Dei* c. 11. *Mirantur autem quidam nobis in Christi gratia sociati, cum audiunt, vel legunt, Platonem de*

Deo

(*a*) D. Prudentius Maran Ord. S. Bened. in *Divin. D. J. C. Manifesta* &c. Lib. IV. c. 1. non sine fundamento suspicatur, Platonicorum de Trinitate doctrinam ex lutulentis priscorum Hæreticorum, Marcionitarum, Valentinianorum, aliorumque Gnosticorum fontibus haustam fuisse.

Deo ista sensisse, quae multum congruere veritati nostrae religionis agnoscunt. Unde nonnulli putaverunt, eum, quando perrexit in Ægyptum, Jeremiam audisse Prophetam, vel scripturas propheticas in eadem peregrinatione legisse; quorum quidem opinionem in quibusdam libris meis posui. Sed diligenter supputata temporum ratio, quae chronica historia continetur, Platonem indicat tempore, quo prophetavit Jeremias, centum ferme annos postea natum fuisse .... Quapropter in illa sua peregrinatione Plato nec Jeremiam videre potuit, tanto ante defunctum, nec easdem Scripturas legere, quae nondum fuerant in graecam linguam translatae, qua ille pollebat; nisi forte, quia fuit acerrimi studii, sicut Ægyptias, ita et istas per interpretem didicit. Postquam autem hujus suae conjecturae aliqua argumenta attulit, ita se illis commoveri dicit, *ut pene assentiatur, Platonem illorum librorum* (sacrorum) *expertem non fuisse*. Sed quidquid sit de hac re, certum, ut mox dixi, esse debet, Platonem, si aliquid de Sanctissima Trinitate novit, illud cognoscere non potuisse, nisi ex divina revelatione, sibi aut per lectionem divinarum scripturarum, aut per commercium cum sapientibus Gentis Hebraeae, aut quod probabilius est, per veterem Patriarcharum traditionem.

DE TRINITATE CABBALISTICA.

37. De Philosophia Judaeorum dicta *Cabbalistica* admodum multi scripserunt, quin tamen claram, distinctamque ejusdem notionem nobis suppeditare potuerint (*a*); quod mirandum non est, tum quia Rabbini eam inter arcanas doctrinas diligenter semper custodierunt; tum multo magis quia haec Philosophia Cabbalistica jure creditur aggregatum quoddam informe somniorum, nugarum, et fabularum, sub quibus latent, si ipsis creditur, profunda mysteria. Sunt qui dicunt, hanc secretam doctrinam orali traditione servari, quam ab ipso protoparente Adamo derivatam volunt: Sunt contra, qui credant, eam contineri in Libro quodam, quem Adamo ipsi, cum adhuc in Paradiso beatam vitam degeret, Angelus Rafiel de cœlo tradiderit, et quem a Rabbinis diu, multumque absconditum, sed a curiosis Rabbinicarum fabularum inquisitoribus tandem repertum, initio hujus Saeculi, scilicet anno 1701. R. Isaac Ben Abraham Amstelodami publici juris fecit in 4., in quo tamen non Cabbala *theoretica*, sed potius *practica*, sive *ma-*

(*a*) Primus, qui vocem *Cabbala* latine usurpaverit, fuit celeberrimus Comes Mirandulanus Joannes Picus, qui annos natus 24. Romæ publice propugnandas proposuit nongentas propositiones *Dialecticas*, *Physicas*, *Metaphysicas*, *Morales*, *Theologicas*, *Magicas*, *Cabbalisticas*; quas tamen Innocentius VIII. anno 1487. damnavit, quod nonnullæ earum visæ fuerint Episcopis, & aliis sacræ Theologiæ, & Juris utriusque Professoribus, ab eodem Pontifice ad earum examen deputatis *suspectæ & hæresim sapientes*. Postea vero multi de Judæorum Philosophia Cabbalistica scripserunt, quamquam inter se parum consentiant; quod omnino evenire necesse erat, cum omnia ibi incerta sint, obscura, & ænigmatica. Christianus Knorrius a Roscuroth Scriptores, qui in hac scientia inclaruerunt, & aliqua scripta Cabbalistica collegit duobus voluminibus cum hoc titulo *Cabbala denudata seu Doctrina Hebræorum transcendentalis, Metaphysica, & Theologica* Solisbaci 1677. in 4.; & postea ampliorem editionem in folio curavit anno 1684. Longum autem nimis esset aliorum operosa studia recensere, qui ad impenetrabiles Cabbalæ tenebras dissipandas insudarunt, ut memorati Mirandulani, Archangeli de Burgo novo, Athanasii Kircheri, Guill. Postelli, Paulli Ricci, Jo. Reuchlinii, Jo. Franc. Buddei, Steph. Rittangelii, Henr. Mori, atque aliorum; de quibus videri potest Jac. Bruckerus in *Hist. Crit. Philos.* Tom. II. Part. I. Lib. II. cap. 3. sect. 2.

magica continetur, ex. gr. quomodo cum Angelis tam bonis, quam malis agendum, quomodo morbi vel immittendi, vel curandi, terrae motus excitandi, futura praenoscenda, atque alia mira praestanda, quae multi superstitiosi, et impii ope Cabbalae facere se posse sperant; de qua praeter alios multos videndus noster P. Raym. Martini in *Pugione fidei* P. III. Dist. 3. cap. 22. Alium pariter Libellum Cabbalistae jactant, quae vocant *Majam Chochma*, seu *Fontem Sapientiae*, Moysi ab Archangelo Michaele traditum. Sed non vacat has nugas persequi, quibus tamen aliquos etiam doctos viros delectatos fuisse, miramur, inter quos Jo. Reuchlinus numeratur, in suo opere *De arte Cabbalistica*.

38. Non tamen a viris doctis omnino contemnitur alia Judaeorum *Cabbala*, dicta *exegetica*; quae nempe definitur *Scientia explicandi Scripturam Sacram secundum traditionem arcanam*; et praecipue inservit ad sacrum textum intelligendum in sensu *allegorico*, *mystico* et *typico*. Sed cum ipsi viri docti fateantur, multa postea huic Cabbalae *exegeticae* fuisse a recentioribus Rabbinis addita, unde *impura* facta dicitur, non videtur admodum idonea ad purissima nostrae Religionis dogmata vindicanda, vel illustranda, nisi forte argumento ad hominem contra pervicaces Judaeos, qui eamdem Cabbalam plurimi faciunt. Sed redeamus ad Trinitatis Mysterium, quod in Cabbala *theoretica* perspicue expressum fuisse, non pauci contenderunt.

39. Cum enim Cabbalistae doceant, ex infinita Deitatis luce, quam nominant *Or Haensoph*, emanasse *Adam Kadmon*, quem etiam vocant *Principatum primum*, *primogenitum Filium*, *creatorem*, *ac moderatorem omnium rerum*, plerisque visum est, hunc *Adam Kadmon* non alium esse, quam Unigenitum Filium Dei, secundam videlicet SS. Triadis Personam. Et cum postea audiant a Cabbalistis, esse ex hoc principio *Sub Or Haensoph triadem principiorum*, *Sephirarum superiorum Trinitatem*, *coronam*, *sapientiam*, *prudentiam*, collegerunt, adorandum Trinitatis Mysterium symbolicis, atque aenigmaticis his vocabulis esse explicatum. Quod deinde ab aliis eo facilius creditum est, quod certum sit, Trinitatis Mysterium, in veteri Testamento fuisse revelatum, et sin minus a rudi plebe, saltem a Patriarchis, et Prophetis, ac primoribus populi expresse cognitum, atque adoratum.

40 Verumtamen qui doctrinam Cabbalisticam intimius rimati sunt, facile viderunt, nonnisi nomen, non autem verum SS. Trinitatis dogma aenigmaticis, et symbolicis Cabbalistarum locutionibus contineri. Primum enim, et capitale illius doctrinæ fundamentum, seu potius πρῶτον ψεῦδος, primus error est, negare creationem ex nihilo, et ipsius loco subsistere emanationem a Deo; ut mundus effectus quidem Dei sit, sed in Deo ipso immanens, in quo proinde Deus sua attributa, atque perfectiones varie explicavit; quod Cabbalistae exprimere solent symbolo luminis infiniti, a quo procedunt decem fontes luminosi, quos *Sephiras* vocant.

41. Primogenitus itaque Dei filius *Adam Kadmon* non est nisi mundus, non ex nihilo creatus, ut fides orthodoxa docet, sed per emanationem a Deo procedens ad sensum *systematis emanativi* Philosophiæ Orientalis. Dicitur etiam hic mundus *principiatum primum*, *principium rerum omnium*, *et imago Dei*, quia in hoc mundo, qui est emanatio prima, omnes aliae emanationes divinae continentur, et manifestantur. Inter decem emanationes *Sephiroticas* tres praecipuae sunt, quas etiam nonnunquam *personas* nominant. Immerito tamen quidam Cabbalae amatores easdem *Sephiras* cum SS. Trinitatis Personis comparare voluerunt; quorum opinio vel ex hoc solo convellitur, quod hae tres *Sephirae* simul cum aliis septem ab Adam Kadmon emanasse dicantur; unde quinque divinae

Personae exurgerent, scilicet *Or Haensoph*, *senior seniorum*, *occultus occultorum*, deinde *Adam Kadmon principatum primum*, *et Filius Dei primogenitus*, ac demum tres *Sephirae* superiores, *Corona*, *Sapientia*, *Prudentia*, *quibus Adam Kadmon inferiorum causa*, *creator*, *et moderator factus est*; *et ex his Sephirae reliquae septem (a)*. Plura persequi non vacat de inextricabili Cabbalistarum labyrintho.

42. Haud levis controversia est, quaenam Philonis inter Judaeos doctissimi de Trinitatis Mysterio sententia fuerit. Ipsum S. Hieronymus posuit in *Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum* cap. 11., quamquam Christianae Religioni nomen non dederit (*b*). Alexandriae nobili loco natus est stirpe Sacerdotali, et pluribus scriptis inclaruit saeculo I. Ærae Christianae. Platonicae Philosophiae addidus ita in ea excelluit, ut Plato Judaeus communiter appellatus fuerit; de quibus videndi S. Hieronymus supralaudatus, Svidas in *Philone*, et Eusebius Lib. II. *Hist. Eccl.* cap. 4.

43. Multa Philo in suis libris innuit de Trinitate divina, ac multo plura de λόγῳ, seu Verbo divino; sed cum Platonis studiosissimus fuerit, ita ut de eo communiter diceretur, *aut Platonem*, *tamquam alterum Philonem*, *loqui*, *aut Philonem*, *tamquam alterum Platonem* (apud Isidorum Pelusiotam Lib. III. epist. 81., et apud Photium cod. 105.), suspicio orta est, non ex sacris litteris, sed ex Alexandrina Platonis Schola divini Verbi notionem hausisse. Dion. Petavius Lib. I. *Theologic. dogmatum* cap. 2. postquam ea indicasset, quae pro confirmando SS. Trinitatis dogmate ab Eusebio Caesariensi, et ab Isidoro Pelusiota ex Philone allata sunt, hoc suum profert judicium: *Talibus igitur de Filio Dei praeconiis*, *Arianorum Philo perfidiam armavit*. *Neque quibusdam e nostris assentiri possum*, *qui et hujus*, *et aliorum maxime gentilium*, *ejusmodi scita*, *quae de divinis Personis utcumque aliquid tinniunt*, *cupide deosculantur*, *atque ad Christiani integritatem dogmatis accommodare student*, *labe omnis erroris*, *et invidiae*, *fuco quodam falsae*, *ac violentae interpretationis oblucta (c)*.

44. Non obstante tamen hoc viri doctissimi judicio, Philonem de Trinitatis Mysterio recte sensisse, valde multis persuasum est, eumque hoc nostrae Religionis arcanum dogma, non ex gentili Platonis Philosophia, sed ex sacris Veteris Testamenti oraculis, quibus a sua infantia innutritus erat, hausisse contendunt; neque eum ita in verba Platonis jurasse volunt, ut ipsum in iis etiam sequeretur, quae nostrae sanctae Religioni adversantur. Imo eum sectam Eclecticam potius secutum fuisse, dicunt (quae scilicet ex omnibus scholis ea seligebat, quae meliora videbantur), quam puram Platonicam Philosophiam.

45. Mirum autem non est, diversa haec esse hominum eruditorum de sententia

(*a*) Ex his patet, frustra laborare, qui ex inaccessibili Cabbalistica Philosophia Sacrosanctum divinæ Trinitatis Mysterium demonstrandum susceperunt, nisi forte argumento *ad hominem* contra Judæos Cabbalistas; quamquam, ut ego quidem reor, nec isti ex tam confuso, ac tenebricoso Chaos facile convincentur. Cabbalisticum Judæorum systema fuse exposuit Jac. Bruckerus in supra memorato Tom. II. *Historiæ Criticæ Philosophiæ*.

(*b*) Photius in *Bibliotheca* Codice 105. de Philone hæc habet: *Ferunt*, *eumdem Christianis etiam sacris initiatum*, *ab his tandem dolore quodam*, *atque iracundia discessisse*. Ignoratur autem, undenam Photius id discere potuerit, cum nulla inveniatur apud Veteres hujus rei memoria; nec ullum appareat in multis, & variis ejus scriptis Christianæ Religionis vestigium.

(*c*) Hoc Petavii judicium placuit Joan. Clerico, qui in *explicatione Principii Evangelii Sancti Joannis*, tum in *Epistolis Criticis* epistol. 8., aliisque in locis, Philonem Arianis, ceterisque Divinitatis Jesu Christi hostibus facem prætulisse, scribit. Quod tamen in hoc scriptore mirari non debemus, quem constat Socinianis impense favisse, eorumque impietati patronos ubique quæsivisse.

tia Philonis judicia; quandoquidem ille sensa sua quasi de industria celare solebat, verbisque ambiguis, atque allegoriis uti, ut non facile sit ad veram ejus mentem penetrare. Insuper ex eorum numero erat, qui non omnia Religionis arcana populo rudi dilucide, atque aperte manifestanda, sed quaedam doctioribus caute reservanda putant, ne imperiti occasionem errandi capiant. Ita enim in Lib. *de Sacrificiis Abelis, et Caini* praecipit homini sapienti, *ut initietur perfectissimis mysteriis, quae ut divina nemini proloquatur facile, sed servans ea recondita, et tenens silentium, fruatur eis in abscondito. Scriptura enim subcinericiorum (encryphias vocant) meminit, quia celari debet sacer, ac mysticus sermo de ingenito, ejusque potentiis: quandoquidem divinorum orgiorum depositum servare, non cujusvis est. Nam incontinentis animae fluenta per os, linguamque emanantia inundant aures omnium.*

46. His praenotatis, aliqua modo dicamus de decantata hujus Judaei Trinitate. Hanc quidam patenter explicatam putant iis Philonis verbis, quae leguntur in ejus Libro *de Profugis;* ubi tria rerum omnium principia constituit, inquiens: *Ergo ille, qui tantum abest, ut sponte delinquat, ut ne imprudens quidem id faciat, ipsum Deum sortem habebit, in eo solo habitaturus. Ceterum qui non de industria, sed inconsulte labuntur, habebunt refugia civitates felices, et divites ..... Quaenam hae? Verbum illius summi Principis, et potentiae, creativa, ac regia.* En inquiunt triadem Principiorum, nempe summum *Deum*, ejus *Verbum*, et potentiam *creativam*, ac *gubernativam* hujus mundi.

47. Verum facile est advertere, hoc loco non tres, sed quatuor plane commemorari personas, nempe *summum Deum*, *Verbum*, et praeterea duas distinctas *potentias*, quarum prima est *opifex mundi*, altera ejusdem mundi *gubernatrix;* sensu enim allegorico, qui ipsi familiarissimus est, quae Moyses de tribus civitatibus perfugii praecepit Deuteron. XIX., ad homines peccatores traducit, qui non sponte, sed praeter voluntatem delinquunt; quibus tres civitates pro asylo constituit, nempe *Verbum*, mundi *Opificem*, ejusdemque *Rectorem;* cum soli homines innocentes ipsum *Deum sortem* habeant. Quae doctrina Philonis neque cum Ariana impietate omnino convenit, sed tota allegorica est, et Philonis propria, aut ex Platone hausta; si verum est, hunc Graeciae Philosophum praeter Deum unum et summum, tria admisisse rerum omnium principia, ut nonnulli existimant.

48. Suam mentem ibidem Philo iterum explicat, atque externo verborum cortice veram, divinamque Trinitatem ita plene expressisse videtur: „ Medius est ille Pater omnium, proprie nominatus in sacris litteris *Qui est*. Utrumque latus „ claudunt antiquissimae, et proximae ejus *Qui est*, potentiae: quarum altera *Opifex*, altera *Regia* vocatur: illa *Deus*, per quam condita, dispositaque sunt „ omnia; haec vero *Dominus*. "

49. Suspicionem tamen ingerunt verba sequentia, quibus videtur Philo, non tres divinas Personas inter se distinctas designare voluisse, sed solum tria Dei nomina, aut duplicem modum, quo Deus cognosci possit, unum quidem peculiarem hominibus sapientibus, qui ad Dei cognitionem simplicem, et puram ingenii felicitate perveniunt; alterum communem rudibus, qui Deum non cognoscunt, nisi per ejus omnipotentiam, qua omnia condidit, et per sapientiam, qua res a se conditas providentissime gubernat. En Philonis verba: „ Atque ita medius ille utrinque stipatus suis potentiis *perspicaci menti* nunc *tres* imagines exhibet: „ *unam*, quando exactissime purgata anima, nec solum ceteram numerorum multitudinem, sed et vicinum unitati binarium supergressa, ad illam simplicem,

sin-

„ sinceram, nullius omnino indigam ideam properat: *tres* vero, quando nondum „ magnis initiata mysteriis, adhuc minoribus operatur, nec potest eum, *qui est*, „ sine alio per se solum comprehendere, sed per ipsius acta aut *conditorem*, „ aut *regem* omnium. Est autem haec secundaria juxta proverbium navigatio, „ non aliena tamen a pia sententia." Certe obscura, et aenigmatica haec est doctrina, ab ea tamen, quam nos de sacrosancto individuae Trinitatis mysterio profitemur, prorsus remota. Et haec de Trinitate Philonis.

50. Pauca modo addamus de λόγῳ, seu Verbo divino, quod magnifice praedicatum non uno in loco a Philone invenimus; ac propterea ab Eusebio Lib. VII. *Praeparationis Evangelicae* cap. 13., tum Lib. XI. cap. 15., et ab aliis veteris, ac recentioris aetatis scriptoribus Philo laudatus est, ac Judaeis incredulis objectus, tanquam verae, ac Patri consubstantialis aeterni Verbi divinitatis assertor. Certe ipsum Verbum modo vocat *Angelorum principem*, qui non quidem *ingenitus sit*, ut Pater, nec tamen *factus*, ut homines (in Libro *Quis rerum divinarum haeres*, tum in alio *De somniis divinitus immissis*); modo Dei *Sapientiam*, quae gaudet, deliciaturque *in solo Patre suo* (Lib. I. *De Legis allegor.*), et *germanam Dei filiam* (in Lib. *De profugis*). Eidem Verbo et Dei nomen, et immortalitatem, omnipotentiam, aliasque verae divinitatis proprietates attribuit; quibus doctissimi hujus Judaei phrasibus certo certius concludi videtur, Verbum ejusdem esse dignitatis, essentiae, atque divinitatis cum aeterno Patre, sola personali proprietate distinctum, ut contra Arianorum perfidiam Synodus Nicaena definivit.

51. Multa tamen obstant, ne puram, atque omnino orthodoxam credamus Philonis de Verbo divino doctrinam. Primo enim objici solet locus ille ex Lib. I. *Quaestionum, ac solutionum*, quem etiam Eusebius citat. Lib. VII. *Praepar. Evang.* c. 13., ubi inquirit, cur apud Moysem dicat Deus: *In imagine Dei feci hominem, non autem in sua?* Respondet vero, hominem factum esse non ad imaginem summi Dei, sed ad imaginem *secundi Dei, qui est ejus Verbum, seu ratio*. Imo alio in loco, scilicet in Libro *De opificio mundi* vult, non hominem solum, sed totum plane Universum factum esse ad imaginem *Dei secundi*. Hoc autem explicat Philo exemplo Architecti, qui volens aedificare civitatem, *primum intra seipsum partes futurae Urbis propemodum omnes delineat, templa, gymnasia, curias, fora, porticus, navalia, vias, angiportusque, murorum constructiones, aedificiorum tam privatorum, quam publicorum: deinde impressis velut in cera, in animo suo singularum rerum imaginibus, effingit urbem intelligibilem etc.*; ac postea concludit, eodem ferme modo de Deo sentiendum, quando magnam hanc urbem condere decrevit, inquiens: *Quemadmodum igitur illa in architecto praesignata urbs locum extra nullum habuit, sed impressa erat artificis animo; ita nec ille ex ideis mundus locum alium habuit, quam divinum Verbum, quod adornavit haec omnia.*

52. Et aliquibus interjectis ita demum subdit: *Quod si cui liceat apertioribus uti vocabulis, nihil aliud dixerit esse mundum intelligibilem, quam Verbum Dei, mundum jam condentis. Nec enim intelligibilis urbs aliud quid est, quam illa architecti ratiocinatio cogitantis, jam urbem mente conceptam condere.* Quae omnia suspicionem confirmant, Verbum Dei a Philone praedicatum non esse Personam divinam, sed attributum Dei, scilicet ipsius rationem, et sapientiam, qua praeclaram hanc mundi fabricam ab aeterno, ut ita dicam, delineavit; seu potius mundum hunc intelligibilem in mente Dei existentem.

53. Quod si alicubi Philo hoc Dei Verbum tanquam subsistentem Personam de-

descripsit, ipsumque nominibus *Legati*, *Regis*, *Angeli*, *Pontificis maximi*, *et Filii Dei primogeniti* appellavit; dubitari potest, an his vocabulis in proprio significatu usus fuerit, an vero sensu minus proprio; cum metaphoris, et allegoriis ipsius libri redundent. Sic ex. gr. in Lib. *De temulentia* ita de hujus mundi genesi loquitur: *Rerum opificem patrem quoque suae creaturae juste possumus dicere; matrem autem scientiam ejus, cum qua congressus Deus, non humano more, proseminavit creaturam. Illa vero Dei semine concepto enixa est justo partu unicum illum dilectum sensibilem filium, mundum hunc.* Hoc specimen sit mystici, atque sublimis sermonis apud Philonem usitatissimi.

54. Hinc concludunt aliqui, Philonis sententiam, quam multis verborum involucris, et proprio suo dicendi genere potius divinandam, quam facile intelligendam, in variis operibus proposuit, hanc esse, Dei naturam unam, et simplicissimam nonnisi ab hominibus purae, et perspicacis mentis cognosci; a reliquis autem tardioris ingenii eamdem naturam quodammodo dividi trifariam, scilicet per *sapientiam*, *bonitatem*, *et potentiam*, ac Deum cognosci primo ut sapientissimum hujus Universi architectum; deinde ut potentissimum ejusdem conditorem; postremo ut providentissimum ipsius gubernatorem. Non desunt etiam, qui obscurissimum hunc Judaicae sectae Philosophum inconstantiae accusent, quae in ipso facile esse potuit, cum vellet Platonicae Philosophiae simul, et Mosaicae sapientiae inservire; unde modo Platonem, modo Moysem ducem sequi videtur.

55. Jac. Bruckerus in *Hist. Critica Philosophiae* Tom. II. Periodo II. P. I. Lib. II. c. 1. non contemnendis argumentis probat, Philonis Trinitatem desumptam esse ex Philosophia JudaeorumCabbalistica, qua delectatum fuisse Philonem, liquet vel ex ipso ejus dicendi genere arcano, et abstrusissimo, quod Cabbalistarum erat proprium. Vult itaque perdoctus hic Lutheranus, Philonem ita explicandum esse, ut statuat, Deum quidem supremum in infinito lucis oceano demersum esse; ex eo vero ad condendum, et regendum regnum suum fluxisse tres *emanationes* divinas, hypostaticas, et secum quidem ratione essentiae unitas, ast ratione substantialis existentiae distinctas, juxta Cabbalistarum doctrinam, qui ut supra observavimus n. 40. ex *Or Haensoph* tres supremas *Sephiras* per emanationem derivant. Ita Bruckerus in indagandis, et explicandis veterum Philosophorum systematibus solertissimus; qui tamen laud. loco observat, Philonem, utut Judaeorum doctissimum, in pluribus peccasse, dum relictis, quos domi habebat, purissimis veritatis fontibus, ex ethnica Philosophia voluit sua dogmata stabilire.

56. Sed haec pro nostro instituto satis multa. Voluimus enim brevem solum notitiam Theologiae Tyronibus suppeditare earum Trinitatum, quae magis celebratae sunt apud viros eruditos, et de quibus controvertitur primo, an cum orthodoxa sublimis hujus mysterii doctrina cohaereant; secundo an saltem informe aliquod ejusdem mysterii simulacrum exhibeant, ut proinde concludi possit, illius traditionem fuisse per omnes gentes aliquando propagatam, quamvis postea daemonum astutia, atque hominum socordia, aut malitia multis erroribus fuerit turpiter foedata, aut plane corrupta. Ceterum hujus capitalis Religionis nostrae dogmatis naturam, non ex humana Philosophia, aut ex obtusae nostrae rationis lumine, sed ex sola divina revelatione, ab Ecclesia fideliter custodita, atque infallibiliter explicata pro virili nostra Deo adjuvante exponemus, ac vindicabimus. De quibusdam Gentilium Philosophorum locutionibus, quibus visi sunt adorandum individuae Trinitatis Mysterium indicare, consulatur S. Thomas I. P. quaest. 32. art. 1., tum in Lib. I. *Sentent.* Dist. 3. quaest. 2. art. 4., et alibi.

INDEX

CAPITUM ET PROPOSITIONUM

QUÆ

IN HOC VOLUMINE III. CONTINENTUR

DE SANCTISSIMA TRINITATE

Hæc & mea fides est, quando hæc est catholica fides.

S. Augustinus Lib. I. *de Trin.* cap. 4. n. 7. Tom. VIII.

1. De mysterio nostræ Religionis præcipuo dicere aggredior, quod in eo situm est, ut tres personas divinas confiteamur, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, realiter quidem inter se distinctas secundum *ὑπόστασιν*, sed quæ omnino unam, eamdemque numero naturam habent. Harum prima, quæ Pater dicitur, a nullo alio fonte procedit, sed est ipsa ceterarum personarum origo, & fons. Filius a Patre est non per creationem, sed per æternam atque ineffabilem generationem. Spiritus Sanctus a Patre, & Filio procedit, non tanquam a duobus principiis, sed tanquam ab uno eodemque principio, propter unitatem essentiæ, & virtutis spirativæ, quæ in Patre, & Filio est. Hæc, & alia hujus mysterii dogmata mirabiliter complexus est auctor Symboli *Quicumque* vulgo S. Athanasio adscripti.

2. Non tamen iis consenserim, qui his paucis nos contentos esse vellent, omnemque uberiorem hujus mysterii tractationem resecandam (*a*). Imo vero omnes intendendi sunt nervi, ut qua majore possumus perspicuitate hoc arcanum Religionis nostræ caput perscrutemur, atque ab hæreticorum erroribus expurgemus; ut enim S. Augustinus recte observabat Libro I. *de Trinit.* cap. 3., *nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid invenitur*, apud S. Thom. I. P. quæst. 31. art. 2. Sed antequam manum operi admoveamus, nonnulla vocabula explicanda sunt, quorum in hoc tractatu perpetuus est usus, & quæ, ut bene observat S. August. Lib. VII. *de Trinit.* cap. 4. *loquendi necessitate parta sunt, cum opus esset copiosa disputatione adversus insidias, vel errores hæreticorum.*

DE ESSENTIA, NATURA, ET SUBSTANTIA.

3. Quanquam hæc tria nomina ad Grammaticæ leges exacta, vel secundum subtiliores Philosophos considerata nonnihil differant inter se, in Trinitate tamen divina, communi loquendi usu pro eodem sumuntur, pro eo scilicet, quod responderi solet roganti, quid res est. Unde Theologi indiscriminatim asserunt, unam eamdemque esse in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto *numero* essentiam, naturam, aut substantiam. Græci *οὐσίαν* dicunt, aut *φύσιν*.

4. Neque audiendus est Socrates, qui Lib. *Hist. Eccl.* c. 3. hoc nomen *φύσιν* fuisse in Concilio Alexandrino sub S. Athanasio condemnatum scribit, quia in sacris litteris de Deo usurpatum nunquam legebatur. Non inquam Socrates audiendus est, quia ut in notis observat Henr. Valesius, Socrates deceptus fuisse videtur ex epistola synodica male intellecta. Ceterum vocabulum *οὐσίας*, sicut etiam *ὑποστάσεις* adhibitum fuisse ab iisdem Patribus Alexandrinis, quando contra Sabellianos Trinitas Personarum asserenda erat, notat ipse Socrates ibidem.

5. Apud veteres tamen, quanquam summa erat in dogmate consensio, aliqua invenitur in verbis discrepantia. Primo enim quidam substantiam ab essentia distinguentes, unam quidem in Trinitate essentiam prædicabant, tres autem substantias. Ita Græcos loqui consuevisse testis est S. Augustinus Lib. VII. *de Trinit.* cap. 4. inquiens: *dictum est a nostris græcis: una essentia, tres substantiæ; a latinis autem: una essentia, vel substantia, tres Personæ* (*b*). Ulterius non defuerunt, qui

(*a*) Apud Bælium in 2. *Eclaircissement sur les Manichéens* pag. 624. Diction. Tom. IV. qui non contentus aliquos allegasse ex Protestantibus hujus sententiæ patronos, hariolando dicit, *plures* inter Catholicos idem fassuros, si libere loqui auderent. Interim ex nostris citat Petrum Fayditium, de quo nonnulla notabimus initio Dissertat. secundæ. Verendum tamen est, ne isti dum contra Scholasticorum subtilitates plus æquo debacchantur, ipsam quoque mysterii substantiam sublatam velint. *Latet anguis in herba.*

(*b*) S. Th. I. P. qu. 29. art. 2. *Substantia*, inquit, *dicitur dupliciter. Uno modo dicitur substantia quidditas rei, quam significat definitio, secundum quod dicimus, quod definitio significat substantiam rei; quam quidem substantiam Græci οὐσίαν vocant, quod nos essentiam dicere possumus; alio modo substantia dicitur*

qui de Deo rectius *essentiam*, quam *naturam* dici putarunt; quia, ut S. Gregorius Nazianzenus acute observat Orat. XLIII.; secundum etymologiam nominis *natura* dici videtur, quasi *nata*.

DE PERSONA, ET HYPOSTASI.

6. Trita & communiter recepta est ea Personæ definitio, quam tradit Boetius *de duabus naturis*, quod sit *rationalis naturæ individua substantia*, *vel subsistentia*. Quæstio inter Scholasticos orta est, undenam constituantur Personæ divinæ? Quidam eas constitui dixerunt per aliquid complexum ex absoluto, & relativo (*a*). Sed Angelicus noster Præceptor I. P. qu. 29. a 4. perspicue ostendit, Personam divinam nihil esse aliud, quam *relationem ut subsistentem*; cujus ratio hæc est, quia Personæ divinæ per id constituuntur, per quod distinguuntur; nihil autem absolutum, sed sola relatio distinctionem in divinis facit. Et hæc sententia antiquis etiam Patribus conformior videtur, qui perpetuo docuerunt, nihil esse, aut excogitari posse in Deo absolutum, quod tribus Personis commune non sit.

7. Quod Latini *Personam*, modo Græci *Hypostasim* vocant. Antiquitus tamen non infrequenter ὑποστάσεως nomen pro οὐσία, vel *substantia* usurpatum fuit (*b*). Hinc originem traxit celebre illud Ecclesiæ Antiochenæ dissidium seculo IV.; Paulinus enim cum nonnullis aliis, præcipue autem Occidentalibus; tres divinas hypostases dicere reformidabat, ne diversa in divinas Personas substantia induceretur. Meletiani contra cum Orientalibus tres in Deo hypostases libere prædicabant. Pauliniani Meletianos Arianismi accusabant; & isti par pari reddentes, Paulinianos in suspicione Sabelianismi adducebant. Utrique tamen immerito, & injuria; omnes enim orthodoxi erant, & ut S. Greg. Nazianz. ait Orat. XXI., *res prorsus ridicula, & miseranda erat. Diversæ fidei speciem præbuit levis & jejuna de vocum sono altercatio*. Quod demum S. Athanasius in Synodo Alexandrina detexit. Qui enim tres hypostases dicere reformidabant, hypostasis nomine naturam, seu essentiam intelligebant, quæ multiplex in Deo nec esse, nec dici potest. Qui contra tres hypostases prædicabant, nihil aliud hypostasis nomine intelligebant, quam personam, quæ trina in Deo recte statuitur.

8. Cognita itaque utriusque litigantium partis orthodoxa fide, logomachia sublata est, & pax Ecclesiæ restituta; quamvis Latini insidias Arianorum metuentes vix adduci poterant, ut tres hypostases faterentur. *Nescio quid veneni in syllabis latet*, scribebat S. Hieronymus ad Damasum ... *si rectum putatis, tres hypostases cum suis interpretationibus debere nos dicere, non negamus; sed mihi credite, venenum sub melle latet* (*c*). S. Basilius autem epist. 214. alias 349. neque hanc quæstionem exilem esse, neque a trium hypostaseon confessione recedi posse, putabat. Post tamen rebus magis declaratis, hypostasis nomen ad designandam Personam ubique obtinuit, & dictum communiter fuit, a græcis quidem μία οὐσία, καὶ τρεῖς ὑποστάσεις, a latinis autem: *una substantia, vel essentia, & tres personæ*. Vid. Nat. Alexander Disser. 35. in Sec. IV., & Vossius in *Etymologia* verbo *Persona*; nec non Martini Lexicon ad idem verbum *Personæ*.

9. Sed postea etiam apud Græcos fuit Personæ nomen usurpatum, qui dicebant, tria esse in Deo πρόσωπα; quamvis nonnulli hoc nomine hæresim Sabellii renovari timebant; ille enim Deum varias induisse personas comminiscebatur; scilicet Patris, cum

subjectum, vel suppositum. Hoc autem, subdit, triplicem habet significationem; *secundum enim quod per se existit, & non in alio, vocatur subsistentia; illam enim subsistere dicimus, quæ non in alio, sed in se existunt. Secundum vero quod supponitur alicui naturæ communi, sic dicitur res naturæ; sicuti hic homo est res naturæ humanæ. Secundum vero quod supponitur accidentibus, dicitur hypostasis, vel substantia. Quod autem hæc tria nomina significant communiter in toto genere substantiarum, hoc nomen Persona significat in genere rationalium substantiarum*.

(*a*) Petavius hanc opinionem *intolerabilem* vocat, immo *imperitum errorem, quem latinæ, græcæque pariter Ecclesiæ Doctorum consensus adjudicavit* Lib. IV. *de Trinit.* cap. 10. n. 6. At vero S. Thom. non tam acri censura eam laud. superius loco perstrinxit.

(*b*) Hoc Socrates observavit Lib. III. *Hist. Eccl.* c. 7. Imo S. Hieronymus ep. LVII. ad Damasum *tota*, inquit, *sæcularium litterarum schola nihil aliud hypostasim, nisi usiam novit*. In quo tamen eum hallucinatum fuisse Guillelmus Budæus, Henr. Stephanus, aliique græcæ linguæ periti contendunt. Neque omnes eruditi Petavio Lib. IV. *de Trinit.* c. 1., aut Dan. Huetio Lib. II. *Origenianorum* qu. 2. n. 3. concedunt, apud veteres hypostasim *frequentissime* pro usia, rarissime autem pro persona usurpatam. Multoque minus assentiuntur Lud. Thomassino Lib. III. *de Incarnat.* c. 2. putanti, *nonnisi senescente II. Ecclesiæ sæculo hypostasis nomen ab usia, seu essentia discriminatum esse*. Videri possunt contra duos mox laudatos Scriptores D. Julianus Garner in præfat. ad T. III. Operum S. Basilii §. 1., Georgius Bullus in *Defensione fidei Nicænæ* Sect. II. cap. 9., & Jo. Lamy *de recta Patrum Nicænorum fide* cap. 32.

(*c*) Vide S. Aug. Lib. V. *de Trinit.* c. 8. & sequ., ubi hæc habet: „ Sed quia nostra loquendi consuetu„ do jam obtinuit, ut hoc intelligatur, cum dicimus „ *essentiam*, quod intelligitur, cum dicimus *substan„ tiam*, non audemus dicere *unam essentiam, tres sub„ stantias, sed unam essentiam, vel substantiam, tres „ autem personas*, quemadmodum multi latini hæc tra„ ctantes, & digni auctoritate hæc dixerunt, cum a„ lium modum aptiorem non invenirent, quo enuncia„ rent verbis, quod sine verbis intelligebant " Et infra: „ Cum quæritur, quid tres? magna prorsus ino„ pia humanum laborat eloquium. Dictum est tamen „ *tres personæ*, non ut illud diceretur, sed ne tace„ retur. "

eum mundum condidit, Filii, cum humanam naturam sibi copulavit, & Spiritus sancti, cum sanctificavit Ecclesiam. Hac tamen Sabellianæ impietatis suspicione deposita, *Persona* nomen adhibitum fuit in Conc. Ephesino anathemate 4., in Chalcedonensi actione 5., & alibi sæpe.

DE SUBSISTENTIA.

10. Hæc vox usurpata quandoque fuit ad designandam Personam, sumta scilicet in *concreto* pro ipsa essentia divina relationibus affecta; non autem in *abstracto*, prout apud Philosophos formam significat, a qua res dicitur subsistens, quemadmodum inepte cavillatur Crellius, quasi Sancti Patres, dum tres esse in Deo subsistentias dixerunt, nonnisi totidem modos entis intellexerint. Ad quam absurdam cavillationem explodendam sufficiunt verba Synodi Romanæ sub Agathone anno 679. celebratæ, quæ actione 4. profitetur *unitatem quidem essentiæ, trinitatem vero Personarum, sive subsistentiarum*.

11. Hodie tamen apud Scholasticos communiter hæc vox accipitur in *abstracto* pro ipsa *personalitate*, si ita loqui fas est; unde ortum habuit illa quæstio, sint necne tres tantummodo subsistentiæ in Trinitate? Fuerunt enim aliqui, qui præter tres subsistentias relativas uniuscujusque Personæ proprias, subsistentiam quartam invexerunt *absolutam*, quæ essentiæ conveniret. Id primum a Cajetano inventum fuisse creditur, quem non pauci recentiores Thomistæ secuti sunt. Alii tamen Thomistæ magni nominis hanc quartam subsistentiam ex veterum Patrum auctoritate explodunt. Ita Sylvius, Jo. Nicolai, & Natal. Alexander Dissert. 35. in Sec. IV.; quibus addi potest cum pluribus aliis Dion. Petavius Lib. IV. *de Trinit.* c. 12.

DE SUPPOSITO.

12. Suppositum inter ac Personam hoc unum discrimen intercedit, quod nomen personæ soli naturæ rationis compoti tribuitur, ut Angelo, & homini; suppositum vero etiam de substantiis ratione carentibus dicitur: sic equus, & canis *supposita* dici possunt, non *personæ*. In divinis *suppositi* nomen quandoque adhibitum fuit, sed admodum raro; ut cum S. Ambr. in Symbol. Apostol. c. 13. loquens de anima humana a Verbo divino assumta, *hanc*, inquit, *pro totius humani generis salute in unitate suppositi fuisse assumtam*.

DE CIRCUMINSESSIONE.

13. Circuminsessio, vel ut Græci dicunt, περιχώρησις est mutua divinarum personarum coexistentia in se invicem, ita ut Pater sit in Filio, hic vicissim in Patre, uterque in Spiritu sancto, & Spiritus sanctus in utroque. Referente S. August. in Lib. *de Hæres.* n. 58. quidam hæretici dicti *Metangismonitæ* stulte effutiebant, *sic esse in Patre Filium, quomodo vas in vase; quasi duo corpora carnaliter opinantes; ita ut Filius intret in Patrem, tanquam vas minus in vas majus.* (a).

14. Hujus circuminsessionis nulla suppetit ex creatis rebus similitudo perfecta. Eam S. Hieronymus in Cap. III. Ezechielis per localem præsentiam exponit. *Filius*, inquit, *est locus Patris, & Pater est locus Filii.* Sed hæc, & similia ad rudiorum captum faciunt quidem, ad mysterii autem explicationem non sufficiunt.

15. Veterum nonnulli περιχώρησιν duabus Christi naturis tribuunt, ut S. Gregorius Nazianz. Orat. LI., & S. Jo. Damasc. Lib. III. *de fide orthodoxa* c. 5.; sed minus proprie; circuminsessio enim est rerum se se invicem, & omni modo penetrantium, & usquequaque immeantium; ut vero natura quidem divina humanam usquequaque pervadit, non sic autem vicissim natura humana pervadit divinam. Sed hæc breviter hic adnotata sunt, uberius vero suis locis declarabuntur.

DISSERTATIO I.

De hæresi Sabelliana.

16. Fuerunt aliqui, ut Tertullianus in Lib. adv. Praxeam c. 3. observavit (b), qui verentes, ne si plures distinguerentur divinæ personæ, plures te-

(a) S. Th. I. P. qu. 42. art. 5. probat, quamlibet divinam personam esse in aliis secundum essentiam, & relationem, & originem. *Secundum essentiam enim Pater est in Filio, quia Pater est sua essentia, & communicat suam essentiam Filio, non per aliquam suam transmutationem. Unde sequitur, quod cum essentia Patris sit in Filio, in Filio sit Pater: & similiter cum Filius sit sua essentia, sequitur, quod sit in Patre, in quo est ejus essentia ... Secundum etiam relationes manifestum est quod unum oppositorum relative est in altero, secundum intellectum. Secundum originem etiam manifestum est, quod processio verbi intelligibilis non est aliquid extra, sed manet in dicente. Id etiam quod verbo dicitur, in verbo continetur, & eadem ratio est de Spiritu sancto.* Vid. Petavius L. IV. de Trin. c. postr., ubi ex veterum Patrum testimoniis hoc dogma illustrat, & confirmat.

(b) Verba Tertulliani hæc sunt: *Simplices quique, ne dixerim imprudentes, & idiotæ, quæ major semper credentium pars est, quoniam & ipsa regula fidei a pluribus Diis sæculi ad unicum, & verum Deum transfert, non intelligentes unicum quidem, sed cum sua œconomia esse credendum, expavescunt ad œconomiam, numerum, & dispositionem Trinitatis, divisionem præsumunt unitatis; quando unitas ex semetipsa, derivans trinitatem non destruatur ab illa, sed administretur. Itaque duos, & tres jam jactitant a nobis prædicari, se vero unius Dei cultores præsumunt ... Monarchiam,*

terum inveherentur Dii, quos Christiana Religio jam eliminaverat, ut unam, & simplicissimam divinam naturam, ita unam divinam personam prædicabant. Cumque ignorare non possent, sæpius in sacris litteris factam esse mentionem Dei, Verbi, & Spiritus sancti, dicebant, hæc tria esse ejusdem Divinitatis nomina, seu potius per Verbum significari rationem, & sapientiam Dei, & Spiritus sancti nomine intelligi divinam virtutem: quamobrem observante S. Epiphanio *Hæresi* LXII. utebantur similitudine solis, in quo tria distingui possunt, nempe substantia, lux, & calor. Si vero aliquando Patrem, & Filium nominabant, non eo sensu id dixisse videntur, quasi eadem persona essent simul Pater, & Filius, seu, ut Græci dicunt, υἱοπάτωρ; nimis enim absurda hæc sententia fuisset; sed illi Verbum distinguebant a Filio; Verbum esse volebant Dei attributum, nempe sapientiam; Filium autem purum hominem a Deo in filium adoptatum (*a*).

17. Isti hæretici postea *Sabelliani* dicti sunt a Sabellio, Pentapoli in Lybia Cyrenaica orto, qui quamvis primus hujus impietatis auctor non fuerit, eam multo post medium sæculum tertium tanta celebritate & fama disseminavit, ut aliorum, a quibus eam hauserat, nomen obscuraverit. Vid. Eusebius Lib. III. *Hist. Eccl.* cap. 4. Ceterum ante Sabellium eamdem hæresim docuerat Noetus (*b*), & ante Noetum Praxeas, aliique Sæculo secundo. Nam S. Justinus in *Dialogo cum Triphone* n. 128. nonnullos memorat, qui Verbum a Patre non distinguebant; imo Christianus Wormius, cui quidam alii consentiunt, ab ipso Simone Mago hæreticorum patriarcha illius originem repetit in *Hist. Sabellian.* cap. 2. ubi *de Sabellianis ante Sabellium*.

18. Sabelliani dicti sunt etiam *Patripassiani*, ut S. Athanasius notavit in Lib. *de Synodis:* & post ipsum S. Aug. Tract. XXXXVI. in Joan. ac S. Fulgent. *contra Sermonem Fastidiosi;* eo quod Patrem, non minus quam Filium carnem induisse, ac pro nobis passum fuisse, docerent. Id de Praxea aperte tradit Tertullianus initio libri contra Praxeam inquiens: *Ipsum dicit Patrem descendisse in Virginem, ipsum ex ea natum, ipsum passum, denique ipsum esse Jesum*. Imo ex ejusdem Sabellii principiis consequebatur, id prius de Patre, quam de Filio dici oportere; Patrem enim ipsam divinam substantiam, seu *ὕλην* esse volebat, Filium autem, & Spiritum sanctum quasi hujus substantiæ virtutes; quanquam quo sensu isti Hæretici dicere possent, passum esse Deum, vix intelligitur, cum Christus nudum hominem crederent, non Deum carni hypostatice conjunctum, Deum autem *impassibilem* faterentur; unde S. Epiphanius *Hæresi* LVII. eos contradictionis redarguit, quod dicerent, *unum esse Deum impassibilem, ipsum Patrem, ipsum Filium, & passum, ut nos salvaret*. Quidquid sit de hac contradictione, ita certum videtur, eos docuisse Patrem esse passum, ut S. Augustinus in Libro *De Hæresibus* n. 41. testetur, eos *Patripassianos crebrius, quam Sabellianos fuisse nuncupatos*.

19. Sabellium saltem ex parte secutus est impius Paulus Samosatenus, qui cathedram Antiochenam pessimis suis moribus adeo fœdavit, ut vel ipsis Gentilibus stomachum moverit; unde anno 269. vel 270. Synodali sententia depositus est. Vid. Eusebius Libro V. *Hist. Eccl.* c. 28., & Libro VII. cap. 20. Quamquam iste magis Christi divinitatem, atque æternitatem oppugnavit, Ebionitarum, Theodori Coriarii, & Artemonis errores jam extinctos suscitans, & Ario præludens, de quo postea.

20. Hanc sectam *evisceratam*, ac tandem suo tempore prorsus extinctam fuisse, scribit S. Augustinus Tract. XI. in Joan.; sed eam exsuscitasse dicuntur Sæculo XII. celebris Petrus Abailardus, & Gilbertus Porretanus Episcopus Pictaviensis, qui ut Roscelini tritheismum confutarent, ad oppositum Sabellianismum declinare visi sunt. Primus damnatus in Concilio Svessionensi anno 1121. erroribus ejuratis suum librum, cui titulus erat *Theologia Christiana* (ut in Tomo V. *Thesauri anecdotorum* P. Martene) propriis manibus conjecit in flammas. Gilberti autem error in Concilio Remensi anno 1148. proscriptus fuit, ipse autem in sua dignitate servatus propter palinodiam humiliter factam (*c*).

21. Quidquid vero de istis sit, nostra, Patrumque nostrorum memoria Sabelliana pestis iterum pullulavit a Socinianis renovata, & primus quidem Sabellianismi restaurator fuit Michael Servetus patria Hispanus, professione Medicus, qui an-

inquiunt, tenemus. Hinc Tertull. eosdem *Monarchianos* appellabat. Vid. etiam S. Thom. IV. Cont. Gent. c. 5.

(*a*) S. Hippolytus contra Noetum ita sibi objicit: *ξένον ἐμοὶ λέγεις υἱόν*, quæ verba ita interpretatur Jo. Alb. Fabricius: *novum mihi offers, cum verbum vocas Filium;* quod scilicet Noetus Verbum a Filio distingueret; contra quem S. Hippolytus evincit, Verbum Dei esse carnem factum, idemque esse cum Christo Filio Dei. P. Antonius Pagi in *Annot.* Baron. ad n. 271. n. 5. ex libro Leontii *de sectis* etiam Sabellium post Noetum asseruisse dicit, *Patrem esse Deum, qui omnia condidit, Filium nudum hominem, Spiritum puram gratiam, quæ super Apostolos advenit*.

(*b*) Quanquam de Noeto non omnino eruditi consentiunt; aliqui enim cum S. August. *Hæresi XLI.* putant, eum unicam personam *trinominem* agnovisse; alii cum Gennsobrio cum Socinianis omnino prælusisse autumant: alii denique cum Laur. Moshemio in *Comm. de rebus Christianorum ante Constantinum* M. Sæc. III. §. 32. admisisse credunt veram incarnationem, sed Patris, non Filii.

(*c*) Abailardum tamen recte de Trinitate sensisse, contendunt Natalis Alexander *Hist. Eccl.* Sæc. XI. & XII. Dissert. VII. art. 6., & Ellies Dupin *Bibliotheque des Auteurs Ecclesiast.* Tom. IX. cap. 7. De Gilberto autem Vid. Baronius ad ann. 1148.

anno 1553. Calvini opera, atque auctoritate Genevæ flammis damnatus fuit (*a*). Eum proxime secutus est Joannes Valentinus Gentili Consentino Campanus anno 1566. judicio Bernensi Magistratus capite plexus, quamvis ipse Arianam potius perfidiam, quam Sabellianam recoquere visus est.

22. Eodem fere tempore mysterium Trinitatis variis modis impugnabant in Transylvania, & Polonia Franc. David, natione Hungarus, jussu Principis Transylvaniæ Christophori Bathorei in carcere necatus anno 1579. (*b*): Georgius Blandrata Medicus, Salutiis in pedemontana Italiæ regione, ortus, versus finem Sæculi XVI. in Polonia a fratris sui filio strangulatus (c); Bernardinus Ochinus Senensis infamis apostata; Jo. Paulus Alciatus Mediolanensis, qui tandem ad Mahumedanos defecisse dicitur, aliique non multi.

23. Sed inter hos omnes impietate excelluerunt duo Socini, Faustus nempe, ejusque patruus Lælius, Patricii Senenses. Lælius obiit in Helvetia anno 1562. ætatis suæ 37.; alter autem demortui scripta hæreditate consecutus Anti-Trinitariorum antesignanus factus est, atque pestilentissimæ sectæ nomen *Socinianæ* fecit: obiit autem initio Sæculi XVII. anno 1604. Sub hoc duce Sociniana lues longe, lateque propagata est, in Polonia præcipue; unde tandem anno 1658. decreto Jo. Casimiri Regis expulsa fuit, & tunc Sociniani in varias regiones dispersi latius venenum suum disseminarunt; & quamquam nullibi a Magistratibus tolerati sint, vix tamen dici potest, quot inter Protestantes, præsertim Anglos, asseclas invenerint, & adhuc habeant. Eruditissimus Bossuetus (VI. *Avertissement aux Protestans* P. III. & alibi) scribere non dubitavit, vix aliquem inter Acatholicos scriptorem prodire, qui Socinianismi fæce conspurcatus non sit (d).

24. Socinianæ autem Theologiæ caput est, nullam aliam in scripturæ sacræ interpretatione statuendam esse regulam, quam humanam rationem; unde sequitur, omnia eliminanda esse mysteria, quæ infirmæ rationis nostræ acumen longe superant. Hinc hujus sectæ homines potissimum adversus Sanctissimæ Trinitatis mysterium debacchantur; & quæ in sacris litteris tam sæpe, & luculenter de divinis Personis inveniuntur, metaphorice intelligenda esse dicunt; itaque Sabellianam impietatem, jamdiu ab Ecclesia proscriptam ab orco revocarunt, cui etiam Ariana, & Photiniana dogmata conjungunt contra Christi Domini divinitatem. Mirabile autem videri non debet, hanc alioquin absurdissimam sectam, tot, tantosque progressus fecisse; nam ut acute Bossuetus observat Libro III. *Defense de la tradition, & des saints Peres* cap. 7., facile fuit hominibus vana scientia inflatis eam theologiam persuadere, quæ una cum augustissima Trinitate omnia alia mysteria everteus, illud totum a Religione aufert, quod iis maxime difficile videtur, qui non nisi evidentiam consectantur (*e*).

25. Qui Sabelliana placita defendunt, hodie *Modalistæ* vocari solent, quod per diversos cogitandi modos divinas Personas explicant, ut videre est apud larvatum Liberium de sancto amore (qui vulgo putatur celebris Joannes le Clerc) epist. 2. *theol.* Ab hac erronea sententia non multum abhor-

(*a*) Librum edidit de *Trinitatis erroribus*, cujus excerpta inveniuntur in Operibus Calvini Tom. VIII. edit. Amstelodamensis.

(*b*) Alii dicunt, eum ex ruina ædificii oppressum. Sed Jac. Thuanus in *Hist.* Lib. LXVI. de Davide hæc habet: *Ad Lesæ arcum perfugium habuit, in qua ex conscientiæ morsu in amentiam incidens inter assidua spectrorum oculis obversantium terriculamenta excarnificatus, dum latebras frustra quærit, miserabili exitu anxiam vitam finivit.*

(c) Leonardus Rubeans Lib. II. *de Idololatria* cap. 2. dubium fuisse dicit, utrum fuerit a Satana, an ab affine extinctus.

(*d*) In VII. Tomo *Dictionarii encyclopedici* artic. Geneve hæc leguntur: *Plerique Ministri Ecclesiæ Genevensis Jesu Christi divinitatem non credunt ... neque aliam habent religionem, quam purum putumque Socinianismum, omni eo rejecto, quod mysterium appellatur.* Societas vero Pastorum, & Professorum Ecclesiæ, & Academiæ Genevensis 10. Febr. ann. 1758. Fidei professionem emisit, ut hanc Socinianismi notam a se repelleret, quæ tamen pluribus insufficiens visa est; unde Socinianismi in Ecclesia Genevensi grassantis suspicio aucta fuit. Videri potest hæc Genevensis professio una cum notis in Tomo V. *Melanges de litterature, histoire, & de Philosophie*, ubi habetur *la justification de l'article Geneve de l'Encyclopedie.* Etiam in libro, qui nuper Amstelodami prodiit anno 1763. cum hoc titulo: *Doctrina nova Hierosolymæ de Domino, & de Script. Sacra &c.* Sabellianismum aperte doceri, testis est Jo. Augustus Ernesti in *Biblioth. theolog.* Tomo IV. pag. 726.

(*e*) Socinianorum doctrina continetur potissimum in eorum *Catechesi Racoviana*, quam latine reddidit, & Jacobo Britanniæ Regi dicavit Hiron. Moscorovius anno 1609. Post autem eadem multo auctior prodiit; de qua, & de ejus impugnatoribus magna eruditione disserit Jo. Franc. Buddeus in *Isagoge historico-theologica ad Theologiam universam* Lib. poster. cap. 2. §. 10. pag. 508. Videri etiam potest Daniel Hartnaccius in sua *Continuatione Syntagmatis Hist. Eccles. Jo. Micralli*, ubi Socinianorum doctrinam 229. propositionibus comprehendit. Brevius idipsum præstitit Natalis Alexander in *Hist. Eccles.* Sæculi XV., & XVI. cap. 2. art. 13. Socinianorum historiam edidit P. Athanasius Instituti tertii Ordinis Sancti Francisci in Gallia vulgo *Picpus.* in 4. Parisiis 1623. Præcipua autem Socinianorum scripta, nempe Fausti Socini, Jo. Crellii (qui reliquis Socinianis doctior existimatur), Jonæ Slichtingii a Bukovick, & Jo. Ludov. Wolzogenii Baronis Austriaci edi curavit Andreas Wissovatius Irenopoli, seu verius Amstelodami anno 1656. sub hoc titulo: *Bibliotheca Fratrum Polonorum* octo tomis in folio. Ac demum de omnibus Socinianorum scriptis copiosissime agit Christoph. Sandius Christophori filius in *Bibliotheca Anti-Trinitariorum* Freistadii 1684. in 8., cui tamen semper fides habenda non est; sectæ enim, cui infelicites erat addictus, famam augere stu-

31. Merito igitur a Gregorio XI. hæc inter alias multas Raymundi Lulli propositiones damnata est n. 96. *Omnes articuli fidei ..... possunt probari; & probantur per rationes necessarias, demonstrativas, & evidentes* (apud Natalem Alexandrum *Hist. Eccl.* Sæc. XIV. c. 3. art. 20.). Sub Paulo etiam V. hæc alia a Censoribus Romanis confixa fuit: *Mysterium Trinitatis est demonstrabile per rationes naturales* (apud Cardin. Albizzi *De inconstantia in jure* c. 4. pag. 524. edit. Amstelodam.) (*a*).

32. Corollarium. Si itaque augustissimæ Trinitatis mysterium non potuit humano ratiocinio detegi, evidens est illud nonnisi ex divina revelatione descendisse. Et sane quis credat, tam sublime mysterium potuisse fidelibus auctoritate Philosophorum persuaderi? Sed præterea quam futilis sit illa fabella de Trinitatis dogmate ab Justino primum ex pagana Philosophia in Religionem derivato, facile constare potest, si ea legantur, quæ S. Martyr habet in *Cohortatione ad Græcos*, & in *Dialogo cum Tryphone Judæo*, ubi sæpius testatur, doctrinam suam non ex lutulentis Philosophorum fontibus, sed a Prophetis veteris testamenti & a divinis Christi verbis, ejusque Discipulis se hausisse.

33. Ob. primo. Ex sacris ipsis litteris colligitur, divinam Verbi generationem solo lumine naturali innotescere; inquit enim Deus ore Isaiæ c. LXVI. 9.: *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego, qui generationem ceteris tribuo, sterilis ero?* Quasi dicat, nunquid ego, qui ceteris generandi vim tribuo, hac perfectione carebo? Hinc Paulus etiam ad Ephes. III. 15. *Ex quo*, inquit, (nempe Deo Patre) *omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur*. Cognita vero generatione Filii, haud difficile erit etiam tertiam Personam cognoscere.

34. Confirm. primo. Glossa explicans ea Apostoli verba ad Rom. I. *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas*, inquit (apud S. Thomam Lect. VI. in c. I. ad Rom.): *per invisibilia Dei intelligitur persona Patris; per sempiternam virtutem persona Filii, & per divinitatem persona Spiritus sancti*: ergo &c.

35. Confirm. secundo. Richardus a S. Victore Lib. I. *de Sacramentis* Tract. I. c. 4. *Ad omnia*, inquit, *quæ credere oportet, non deest ratio non solum probabilis, sed necessaria*.

36. Resp. ad primum (cum Estio in Lib. I. *Sentent.* Distinct. III. §. 8.), verba Isaiæ in sensu litterali esse intelligenda de generatione filiorum Dei per adoptionem, & de multiplicatione fidelium; quamvis nonnunquam a S. Patribus etiam de æterna Verbi generatione mystice intelligantur. Hunc autem sensum mysticum S. Patres non ex humana ratione, sed ex divina revelatione nobis proposuerunt.

37. Nec vero quisquam urgeat, generationem esse perfectionem, quæ Deo perfectissimo denegari non potest. Non inquam: etenim seclusa divina revelatione non constat, generationem esse perfectionem puram, seu ut Theologi dicunt, *simpliciter simplicem*, quæ scilicet nullam involvat imperfectionem, ac proinde Deo denegari nequeat. Quin potius si generationem in se spectemus, & qualis in hominibus, & brutis apparet, eam plane invenimus Deo indignam, cum multis, & magnis imperfectionibus fœdata sit. Solum itaque revelationis lumine cognoscimus, aliquam perfectissimam, atque ordinis omnino excellentiorem Deo convenire.

38. Apostolus autem laud. loco epist. ad Ephesios nomen *paternitatis* latiori significatu sumit, & vult solummodo, Deum principium esse omnium rerum, sive quæ in cælo, sive quæ in terra sunt, contra Simonis Magi errorem, qui plura principia introducebat. Id etiam patet ex eo, quod dicit, *in cœlis*, ubi certe præter divinam nulla est proprie dicta paternitas.

39. Ad primum confirmat. noto primum, ea verba non amplius in Glossa reperiri; deinde non magnam esse ejusdem auctoritatem; ac demum a S. Thoma Glossam sic explicari, *non quod Philosophi ductu rationis potuerint pervenire per ea, quæ facta sunt, in cognitionem Personarum, quantum ad propria, quæ non significant habitudinem causæ ad creaturas* (cujusmodi sunt divinæ relationes) *sed secundum appropriata*; nempe attributa potentiæ, sapientiæ, & bonitatis. Quamquam, ut ibidem pergit S. Doctor, nihil Philosophi invenire potuerunt, quod Spiritui sancto proprie tribuerent.

40. Ad secundam confirmat. respondet S. Thomas q. XIX. *de veritate* art. 9. ad 1., esse utique omnium mysteriorum fidei rationem aliquam, eamque necessariam, notam tamen soli Deo, ac Beatis, qui omnia mysteria in Deo vident; & hanc esse Richardi mentem. Alii tamen non pauci nævum hunc esse in Richardo dicunt, quod mysteriorum fidei rationem reddi posse, crediderit. Vid. Vasquez in I. P. disp. 133. cap. 1.

41. Ob. secundo. Rationis lumen nobis ostendit, Deum utpote summe perfectum, infinita intelligentia, ac voluntate pollere: atqui hoc ipso spon-

(*a*) Recte observat S. Thomas laud. quæst. 23. a. 1., enim,„ qui probare nititur Trinitatem Personarum naturali ratione, fidei dupliciter derogare; primo quidem quantum ad dignitatem ipsius fidei, quæ est, ut sit de rebus invisibilibus, quæ rationem humanam excedunt; unde Apostolus dicit Hebr. XI. „ quod fides est de non apparentibus ...... Secundo „ quantum ad utilitatem trahendi alios ad fidem. Cum „ enim aliquis ad probandam fidem inducit rationes, „ quæ non sunt urgentes, cedit in irrisionem infidelium; credunt enim, quod hujusmodi rationibus innitamur & propter eas credamus.

sponte fuit Trinitatis cognitio: ergo &c. Prob. minor. Termini infinitæ intelligentiæ, ac voluntatis debent esse per se subsistentes, debent insuper a principio intelligente, & volente realiter distingui; & nihilominus esse unius naturæ, & essentiæ, quemadmodum reipsa sunt Pater, Verbum, Spiritus sanctus; ergo &c. Explicatur antec. Primo termini infinitæ intellectionis, & volitionis debent esse per se subsistentes, quia ratio naturalis nos docet, in Deo nullum esse accidens. Secundo debent esse a principio intelligente, & a volente distincti, alioquin idem esset principium, ac terminus. Demum eamdem habere debent naturam; alioqnin plures essent naturæ infinitæ, quod est absurdum: &c. Hanc difficultatem fusius explicat Car. Witasse Tom. II. q. 1. art. 1.

42. Respond. neg. min.; ad prob. dist. ant.; idque apparet, sola ratione facem præferente, *nego;* si etiam revelatio, & fides in subsidium advocetur, *conc.* Et sane etiam Spiritus sanctus intelligit, & vult, nec tamen terminos producit per se subsistentes, atque a sua Persona distinctos. Ad declarationem autem antecedentis dico, si nostræ rationis ductum tantummodo sequamur, nobis persuadebimus potius, terminos intellectionis, & volitionis divinæ, utut perfectissimos, ab ipso principio intelligente, & volente realiter non distingui; cum videamus, etiam nostrum intellectum seipsum intelligere, & voluntatem seipsam amare, qnin tamen exinde duo substantiales, & distincti termini exurgant: eodem igitur modo nobis videretur Deus intelligere, & velle, qnin terminos a se distinctos, & subsistentes produceret, ex quo supposita fide Trinitatis scimus, Filium intelligere, quin tamen alium Filium generet, & Spiritum sanctum intelligere, & velle, quin tamen aliæ duæ distinctæ Personæ resultent. Idque nobis magis persuaderetur, attenta infinita simplicitate Dei, quæ omnem numerum, & compositionem excludit. Nisi itaque revelatio nos illustraret, talparum similes nihil eorum videre possemus, quæ in Deo ex sui ipsius intelligentia, & voluntate resultant.

43. Ob. 3. Ratione naturali concipimus, Deum esse infinite bonum, atque beatum; atqui infinite bonus non esset, nisi seipsum summe, & infinite communicaret, scilicet producendo Personas sibi perfecte similes, qnia nulla esse potest perfecta Dei communicatio præter eam, qua Pater Filium generat, & Pater simul, & Filius Spiritum sanctum producunt. Nec insuper esset Deus infinite beatus, si æqualium Personarum consortio, & amicitia careret: ergo &c.

44. Resp. dist. min.; idque nobis sola ratione innotescit, *nego;* adhibito divinæ revelationis lumine, *conc.* Et quidem quantum ad bonitatem pertinet, ratione naturali tantum cognoscimus bonum infinitum se ita debere communicare, ut nunquam exhauriatur; non autem ut aliam personam sibi similem producat. Imo cum ratio naturalis non intelligat, quomodo plures Personæ unam, eamdemque numero naturam habeant, nec intelligere potest, possibilem esse hanc perfectam communicationem, qua Deus alias personas, sibi omnino æquales, & similes producat, & quæ eamdem numero habeant, non autem diversam, vel distinctam essentiam. Addo, hoc ratiocinio, si aliquid valeret, pluralitatem quidem Personarum, non autem Trinitatem probari.

45. Ad alterum dico, naturali lumine nobis non innotescere, summam Dei felicitatem in plurium Personarum consortio sitam esse. Ulterius id nihil plus, quam Personarum aliquem numerum evinceret, non autem Trinitatem.

46. Ob. 4. In creaturis plura sunt Trinitatis divinæ vestigia, delineationes, ac veluti imagines, quas S. Patres sæpe afferunt. Homo ex. gr. dicitur Trinitatis imago, propter intellectum, voluntatem, & memoriam, quæ potentiæ sunt unius ejusdemque animæ, inter se tamen distinctæ; atqui facile est ex vestigiis, & imaginibus in cognitionem prototypi devenire: ergo (*a*).

47. Resp. hæc omnia vestigia, delineationes, & imagines Trinitatis divinæ nobis aliquod præsidium afferre ad majorem ipsius intelligentiam, supposita ejusdem existentia, quæ nonnisi per revelationem cognoscitur; non autem quasi ex iis solis Trinitatem divinam existere, colligere possimus. Addo, imagines quascumque Trinitatis adeo rudes, atque imperfectas esse, ut nonnisi abusu nominis imagines dici queant. Vid. S. Thomas I. P. q. 45. art. 7.

48. 5. Quidam reipsa divinæ Trinitatis cognitionem solo naturali lumine consecuti sunt. Nam primo in Actis S. Cæciliæ, apud Surium die 21. Novembris, refertur, Tiburtium ipsi gratias egisse, quod *cito unum Deum esse in tribus personis per rationes aperte probasset*. Secundo pluribus Philosophis eam fuisse cognitam manifeste tradunt S. Justinus in *Apologia secunda* n. 10., Clemens Alexandr. Lib. V. *Stromatum*, & Origenes Lib. I. *de principiis* c. 3. Tertio Mercurius Trismegistus Ægyptius, qui scriptor dicitur ipso Moyse antiquior, non obscuram facit Trinitatis mentionem in Dial. IV. inquiens: *Monas genuit Monadem, & in se suum reflexit ardorem*. Similia habet in Serm. ad Asclepiadem, referente S. Cyrillo Alexandrino in Libro I. contra Julianum (*b*). Quarto Zoroaster vetustissimus Persarum Philosophus in suis *Oraculis magicis* hæc habet: In

(*a*) Guill. Estius in lib. III. *Sentent.* distinct. III. §. 9. & 10. ex Sanctis Patribus plures hujusmodi S. Trinitatis imagines, & vestigia affert, imo inter imaginem, & vestigium discrimen ponit valde subtile.

(*b*) Multa testimonia pro Trinitate collegit Steuchus Eugubinus in Lib. I. *de perenni Philosophia*. Trisme-

In toto mundo resplendet Trinitas, cujus unitas est principium (a). Quinto nota sunt Sibyllina carmina, quibus bene multa de Christo Filio Dei prædicta fuerunt. Sibyllæ Erithrææ, vel Cumeæ Carmen acrosticon refert S. Augustinus Lib. XVIII. *de Civitat. Dei* cap. 25. cujus initiales litteræ græcæ sunt Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτήρ *Jesus Christus Dei Filius Salvator*. Plure alia Sibyllarum oracula fuisse a Lactantio laudata, ibidem memorat idem S. Augustinus. Vid. Lactantius ipse Lib. IV. *Divin. Instit.* cap. 18. Observet insuper acute memoratus S. Augustinus litteras initiales eorum verborum simul junctas formare ἰχθὺς, latine *piscis*, quo nomine mystice intelligitur Christus. Sexto inter omnes autem, qui Trinitatem divinam humano ratiocinio cognoverunt, eminet Plato, in cujus libris frequens habetur mentio τοῦ λόγου, seu *Verbi*, vel *rationis*; quam ideam Dei esse per se subsistentem, & mundi creatricem, contendit in *Epinomide*; tum eumdem *logon* Dei Filium appellat in Epist. VI. *ad Herniam, Erastum, & Coriscum*; alibi autem (in Lib. IV. *de Republ.*) *Filium boni*. Ac uti alia mittemus, insignis est locus ille in Epist. II. ad Dionysium juniorem Syracusarum tyrannum, ubi ait: *dicendum est tibi per ænigmata, ut si quid tabellæ vel mari, vel terra contingat, qui legerit, intelligere non possit. Sic autem habet: Circa omnium Regem cuncta sunt; ipsius gratia omnia: ipse pulchrorum omnium causa: secundum circa secunda: tertium circa tertia.* Quem locum S. Justinus *Apologia* I. n. 60., Clemens Alexandrinus Lib. V. *Stromatum* n. 14., Eusebius Lib. IX. *Præparationis evangelicæ* cap. 20., Cirylhis Alexandr. Lib. III. *contra Julianum*, Theodoretus, Serm. II. *contra Græcos*, aliique de Trinitate interpretati sunt (b) Septimo adhuc clarius de Trinitate locuti Platonici recentiores; unde S. Augustinus Lib. X. *de Civ. Dei* cap. 23. dicit, Porphyrium, & Plotinum Platonis discipulos cognovisse in divinis Patrem, & Filium. Et rursus Lib. VII. *Confessionum* cap. 9. se invenisse dicit in quibusdem libris Platonicorum totum primum caput S. Joannis Evangelistæ: *In principio erat Verbum*, &c. verbis paulo diversis, quod iterum repetit in Tract. II. in Joannem, addens, multos Philosophos vidisse, quod ceteri credunt, & non vident. Demum Aristoteles Lib. I. *de cælo* textu 2. ex Pythagora numero ternario omnia contineri dicit; ac refert, veteres hoc numero maxime Deum colere consuevisse; unde etiam Virgilius Ecloga VII. v. 73. ita cecinit:

Terna tibi hæc primum triplici diversa colore
Licia circumdo, terque hæc altaria circum
Effigiem duco, numero Deus impare gaudet (c).

49. Resp. ad primum, vera sunt illa acta, de quibus multi dubitant (d), quod Tiburtius dicit, sibi ratione fuisse aperte probatum, Deum unum esse in tribus Personis, intelligendum esse minus proprie, scilicet de aliqua declaratione, qua sancta Cæcilia imperfectis quibusdam similitudinibus magnum individuæ Trinitatis Mysterium exposuit. Fortasse etiam id hoc sensu dictum fuit, quatenus S. Cæcilia rationibus demonstravit, veram esse religionem Christianam, in qua hoc mysterium continetur.

50.

gistus appellatus est etiam *Hermes*, *Theut*, *Thot*, *Atapis*, aliisque nominibus, ut videri potest apud Petrum Dan. Huetium in *Demonstr. evangel.* Proposit. IV. c. 4., qui more suo etiam in hoc auctore Moysen videt.

(a) Liber Zoroastris una cum Scholiis Plethonis, & Mich. Pselli, additis etiam Sibyllinis versibus prodiit Amstelodami an. 1689. Humfredus Prideaux *in Judæorum Hist.* Tom. II. Lib. IV. p. m. 36. contendit, Zoroastrum fuisse origine Judæum, & alicujus Prophetæ, scilicet Danielis, vel Ezechielis filium. Alii non unum fuisse Zoroastrem, sed tres, arbitrati sunt, unum scilicet Bactrianorum Regem, alterum Perso-Medum, tertium Proconesium. Daniel Huetius illum nullum alium fuisse vult, quem Moysem. Vid. Petrus Lambecius in *Prodromo Hist. Litt.* Lib. I. cap. 5. Opera ipsi afficta prodierunt Ferrariæ an. 1591. græcolatina edita a Franc. Patricio, qui etiam ibidem anno eodem vulgavit opera Trismegisti.

(b) Ex his, aliisque Platonis locis fucum factum esse sanctis Patribus, falso putat Jo. Clericus epist. VII. *Critica*, & Tom. X. *Biblioth. Univ.* Merito etiam Theologis ea displicent Petavii verba Lib. I. *de Trinit.* cap. 3. n. 1. ubi *plerosque S. Patrum de Sanctissima Trinitate Platonico pene more sensisse, vel loquendi genere ipsos nonnihil ad eum implicatos videri posse*, dicit. Quæ quidem, aliaque duriora, quæ ipsi contra S. Patres exciderent, in Præfat. postea ad Tom. II. *de Trinit.* demitigare curavit. Vereor tamen, ne iis ex integro satisfecerit. Videri possunt docti Fratres Ballerinii in *Prolegomenis Zenonianis*, Dissert. II. cap. 2. Pro defensione tamen Petavii vid. P. Baltus *Defense des saints Peres* &c. Lib. IV. cap. 9. præter alios laudatos in Appendicula post præfat. ad Tom. II. *de Trinit.* ejusdem Petavii edit. Venet. anni 1757. Ceterum in hac materia prodiit Romæ an. 1594. eruditum opus Jo. Bapt. Crispi cum titulo: *De caute legendo Platone*, ubi innumeros ab hoc Philosopho deceptos fuisse, ostenditur.

(c) Fayditius *Observat. in Virgilium* his versibus adumbratam Trinitatem agnoscit. Sed eum ariolari merito dixit Jo. Alb. Fabricius in *Biblioth. latina* Lib. I. c. 12. A Vossio autem irridetur Cluverius, qui antiquis Germanis fuisse cognitam Trinitatem intulit ex eo, quod Cæsar Lib. VI. *de bello Gallico* dixerit, eos Deorum numero habuisse Solem, Vulcanum, & Lunam.

(d) Ea silentio præterit P. Theodoricus Ruinart in suo egregio opere: *Acta Martyrum sincera*. Tillemontius autem Tom. II. *des memoires, pour servir à l' Hist. Eccl.* nota 4. in S. Urbanum, & Baillet *Vies des saints* Tom. III. 22. Novembris de eorum authentia dubitant. Spuria damum ea esse omnino pronunciavit Sam. Basnagius in *Annalibus politico-ecclesiasticis* ad annum 330.

50. Ad secundum resp. primo, S. Patres tribuere Philosophis cognitionem tantum imperfectam Trinitatis; ut enim S. Augustinus Lib. X. *de civ. Dei* cap. 23. animedvertit, de Spiritu Sancto aut nihil, aut non aperte aliquid Philosophi dixerunt; quod etiam ab Origene Lib. I. *de princ.* cap. 3., & a Dydimo Alexandrino apud S. Augustinum q. XXV. *in Exodum* cap. 2. observatum fuit. Præterea iidem S. Patres opinati sunt, hanc Trinitatis cognitionem fuisse a Philosophis non ratiocinio humano comparatam, sed ex Mosaicis, aliisque sacris libris haustam. Ita aperte S. Justinus *Apol.* I. n. 60., Eusebius Lib. XI. *Præparat. Evangel.* cap. 10. & S. Augustinus Lib. II. *de Doctr. Christiana c.* 28., ubi S. Ambrosii opinionem refert putantis, Platonem fuisse ab Jeremia Propheta nostris litteris imbutum. Quam tamen opinionem alibi rejecit (*a*).

51. Ad tertium, & quartum resp. opera, quæ nunc supersunt, Trismegisti, & Zoroastri spuria esse, ut eruditorum dubitat nemo. Ea ab Hereticorum officinis, Christiana Religione jam propagata, prodiisse suspicantur bene multi. Neque vero refert, eadem a nonnullis S. Patribus fuisse laudata; neque enim illi ad accuratas Critices regulas eadem expenderunt, sed *argumento ad hominem*, ut dici solet, iis usi sunt contra Gentiles, qui eadem magno in pretio habebant. Ceterum S. Jo. Chrysostomus Orat. in S. Babylam T. II. n. 2., quæ de Zoroastre etiam sua ætate spargebantur, ut *omnia conficta* rejicere non dubitavit (*b*). Attamen S. Thomas I. P. q. 32. art. 1. ad 1., postquam nonnulla alia Ethnicorum testimonia explicuit, quod scilicet non cognoverint mysterium Trinitatis *per propria*, nempe paternitatem, filiationem, & processionem, sed solum per quædam *appropriata*, ita prosequitur: „ Quod vero „ Trismegistus dicit *Monas genuit &c.* non est re„ ferendum ad generationem Filii, vel processionem „ Spiritus sancti, sed ad productionem mundi. “

52. Ad quintum. De Sibyllis variæ sunt doctorum sententiæ. Putarunt aliqui S. Patrum, eas fuisse a Deo de futura Verbi incarnatione speciali revelatione edoctas. Aliis contra visum est, eas spiritu Dæmonis afflatas, quem mysterium Trinitatis non latet. Utramque sententiam insinuat S. Thomas; primam quidem 2. 2. q. 2. art. 1. ad 3., alteram vero q. 182. art. 6. ad 1.: nempe, ut Cajetanus observavit, cum hæc materia sit admodum incerta, S. Doctor neutri parti constanter adhæsit; quod etiam notatum est a P. Jo. Nicolai.

53. Sed multo probabilius judico, ea quæ de Christo circumferuntur Sibyllarum oracula, fuisse post ejusdem nativitatem primo, vel secundo sæculo pia, ut dici solet, fraude conficta, quod etiam S. Augustinus subodoratus videtur (c); & Constantinus Imperator in *Orat. ad cœtum Sanctorum* cap. 19. multos fuisse fatetur, qui Sibyllarum oraculis fidem denegabant.

54. Ad sextum de Platone, duplex est sententia, utraque probabilis. Prima est, eum a libris Mosaicis Trinitatis mysterium didicisse. Ita Platonem ex Libris Mosaicis multa didicisse testantur Aristobulus antiquus Judæorum scriptor (apud Eusebium Lib. XIII. *Præparat. Evangel.* cap. 12., & apud Clementem Alexandr. Lib. I. *Stromat.*) Josephus Lib. II. *contra Apionem*, S. Justinus *Apol.* I. n. 60. Eusebius, Theodoretus, aliique. Neque id mirum videri debet; potuit enim vel ipsos libros Moysis legere (nam ante versionem LXX. Interpretam fuisse partem S. Scripturæ in græcum translatam narrat Aristobulus apud Eusebium Lib. IX. *Præparat. Evangel.* cap. 6.), vel ex conversatione cum Judæis in Ægypto ea discere, quæ a Moyse, & antiquis Patriarchis de hoc mysterio tradita fuerant. Sane tanta apparet Moysem inter & Platonem similitudo, & convenientia, ut Numenius Platonem nihil aliud esse dixerit, quam *Moysem atticissantem* apud Eusebium Lib. IX. *Præparat. Evangel.* cap. 10. (*d*).

55.

(a) Ita Lib. II. *Retractat.* c. 4. inquiens: *In eo, quod dixi de temporum historia, S. Ambrosium solvisse quæstionem, tamquam coætanei fuerint Plato, & Hieremias, me fefellit memoria.*

(*b*) Ita Nat. Alexander *Hist. Eccl.* Sæc. I. c. 12. art. 17. Petavius Lib. 4. *de Trinit.* cap. 2., Huetius *Demonstr. Evangel.* propos. IV. cap. 4. & 5., Casaubonus exercit. I. in Baronium c. 10., Marshamus Sæc. X., Bruckerus in Tom. I. *Hist. Phil.* pag. 153. & ab eo citati Lambecius in *Prodromo Hist. litter.* atque Jo. Alb. Fabricius T. I. *Biblioth. græca* pag. 246. Putavit Thomas Hyde in *Hist. religionis veterum Persarum* in epist. dedic., extitisse olim Zorosatria libros continentes prophetias Messiæ, easque Zoroast. a Deo infusas. Fuerunt etiam, qui probare nisi sunt, Zoroastrem fuisse Sacris Judæorum addictum, & Prophetæ Danielis discipulum, ac Persarum religionem reformasse, plurimis religionis Judaicæ dogmatibus eidem permixtis. Vid. *Lettre de quelques Juifs* a *M. de Voltaire* Tom. II. pag. 120.

(c) Ita enim habet Lib. XVIII. *de civit. Dei* cap. 46.: *Nisi forte quis dixerit, illas prophetias Christianos finxisse de Christo, quæ Sybillæ nomine, vel aliorum proferuntur &c.* Ceterum de Sibyllis videri possunt Nat. Alexander *Hist. Eccl.* Sæculo I. Dissert. 1. Onophrius Panvinius in Tract. *de Sibyllis*, P. Honoratus a S. Maria Tom. II. *Animadv. in reg. & usum Critices* Lib. 2. *de Sibyllis*, Franc. Leoni *de auctoritate Sibyllarum in antiqua Ecclesia*, P. Rem. Ceillier Tom. I. *Des Auteurs Eccl.*, & Dissertat. XXII. quas Servatius Gallæus Minister Harlemensis edidit, a quo etiam facta est pulcherrima, & omnium accuratior librorum Sibyllinorum editio Amstelod. 1689. in 4. Inter alios heterodoxos de Sibyllis egit etiam Blondellus, cui respondit P. Jo. Grasset. Petrus Petit in sua Dissert. nonnisi unam Sibyllam fuisse, contendit; & Martianus Capella Lib. XI. *Nuptiis Philologiæ* duas scilicet Erophilam Phrygiam, & Symmachiam Erithræam, seu Cumanam. Ælianus Lib. II. cap. 35. quatuor numeravit. Alii plures usque ad decem.

(*d*) Jo. Clericus epist. VII. *Criticæ* probare conatur ex nullo teste fide digno constare a Platone Prophetas

55. Altera opinio est eorum, qui putant, arcanum sanctissimæ Trinitatis mysterium fuisse Platoni prorsus ignotum, & quæ ab Adversariis opponuntur, aliud habere sensum a catholica Trinitatis doctrina omnino diversum. Nimirum putant, tres ab ipso Deos fuisse excogitatos, quorum unus omnium summus, omniumque causa prima esset; alter vero minor a primo factus & creatus, qui mens aliqua esset suprema & potior (eam Plotinus apud S. Cyrillum Lib. VIII. contra Julianum κρείττονα appellat), tertius autem Deus creatus a secundo nihil est aliud, quam mundi anima; atque hæc est decantata illa Platonis Trinitas. Hoc sensu Platonis verba explicant ejus discipuli Plotinus *Enneade* V. Lib. I. cap. 5. Numenius apud Eusebium loco cit., Macrobius Lib. I. *De Somnio Scipionis* cap. 14., Chalcidius, & Proclus in comment. ad Timæum; quorum certe, ubi de Platonis mente agitur, non minimi facienda est auctoritas, licet inter se non omnino consentiant. Quantum autem hæc Trinitas Platonica a Christiana discrepet, nemo non videt (a).

56. Ad septimum resp. Platonicos, qui post Evangelii propagationem floruere multa a nostris sacris codicibus suffuratos fuisse, ut Theodoretus ostendit, eosdem Æsopi corniculæ comparans, furtivis aliarum avium coloribus indutæ (*Serm. VII. ad Græcos*); libros enim novi testam. magno in pretio habebant; unde S. Augustinus Lib. X. *de civit. Dei* cap. 29. narrat, Platonicum quemdam dicere consuevisse, initium Evangelii S. Joannis *aureis litteris conscribendum, & per omnes Ecclesias locis eminentissimis proponendum esse*. S. etiam Basilius Hom. XVI. in cap. I. S. Joannis ea verba: *In principio &c.* val iis ipsis admirationi fuisse dicit, qui extra vias veritatis degunt, & mundi sapientiam consectantur.

57. Ad ult. resp. has veterum laudes numero ternario tributas S. Trinitatem minime spectare, sed perfectionem nescio quam numeri ternarii, quo propterea in iis vel maxima uti solebant, quæ ad Deorum cultum pertinebant.

58. Inst. Plures Ecclesiæ Patres hæc, aliaque Ethnicorum testimonia persæpe attulerunt, ut ostenderent, Trinitatem divinam fuisse vel ipsis Philosophis Gentilibus agnitam. Ita S. Justinus in utraque sua *Apologia*, & Clemens Alexandrinus Lib. V. *Stromatum*. S. autem Augustinus *de vera religione* cap. 4. putavit, quod si veteres Platonici, & Academici nobiscum viverent, *paucis mutatis verbis, atque sententiis Christiani fierent*.

59. Resp. Utique S. Patres veteribus Philosophis aliquam, licet imperfectam, divinæ Trinitatis cognitionem tribuisse, non tamen solo naturalis luminis præsidio comparatam, sed vel ex libris sanctis, vel ex commercio cum Judæis, vel antiqua traditione, vel alio quovis modo ex revelatione derivatam. Hæc autem libenter Gentilibus objiciebant, ut inde colligerent, non esse absurda nostræ religionis mysteria, quandoquidem vel ipsis eorum sapientibus probabilia visa sunt.

60. Obj. ultimo. Si mysterium Sanctiss. Trinitatis possibile demonstrari non potest, consequens erit, illud nobis videri impossibile, quandoquidem inter possibile, & impossibile nullum est medium; atqui hoc dici nequit: ergo &c.

61. Resp. neg. sequelam majoris, & quanquam inter possibile, & impossibile nullum sit medium, est tamen medium inter hæc duo, quod mysterium Trinitatis vel demonstretur possibile, vel demonstretur impossibile; potest scilicet nullatenus humano ratiocinio demonstrari. Quemadmodum licet astrorum numerus in se vel par esse debeat, vel impar, non tamen sequitur, demonstrari a nobis posse esse parem, vel contra ostendi posse esse imparem. Sed intellectus suspensus manet, cum nullum suppetat pro alterutra parte argumentum.

62. Adoranda est igitur, ut in ceteris omnibus, ita etiam in hac re divinæ bonitatis providentia, ut tantum mysterium nobis etiam in hac vita reserare aliquo modo voluerit, quod postea in altera vita clare videbimus, sicuti est; & magna optus est sobrietate, ut nihil asserere audeamus, nisi quod revelatum est, aut ex revelatione luculenter deducitur.

CA-

rum Hebræorum scripta lecta fuisse, nec ullo indicio liquere, eum quidquam ab eis fuisse mutuatum. Sed nihil affert tanti ponderis, quod tot, tantaque allata testimonia labefactare queat. Vid. P. Baltus *Defense des Saints Peres accusez de Platonisme* Lib. IV. cap. 22. & Jo. Lamius *De recta Christian. in eo, quod mysterium div. Trinit. attinet, sententia* Lib. IV. cap. 1.

(a) Consul. Præfatio in Opera S. Justini P. II. cap. 1., & Divinitas *D. N. J. C. manifestata in Scripturis, & tradit.* Lib. IV. cap. 1.: utrumque autem opus P. Prudentio Maran tribuitur. Laud. autem Jo. Lamius Lib. I. cap. 5. ostendit, falsam nescio quam Trinitatis Doctrinam Chaldaicam ad Persas promanasse, cui Platonicum illud ænigma respondere autumat: *Omnia sunt circa omnium Regem &c.*; & in hac Chaldæorum doctrina contineri corruptionem doctrinæ veræ Trinitatis, quam Noelius, & ejus filii compertam sine dubio habuerunt, quæque in omnes gentes variis tramitibus, & multiplici propagatione defluxit. Denique supra laud. P. Baltus Lib. IV. cap. 13. ex veterum Platonicorum silentio colligit, Platonem de tribus supremis principiis ne somniasse quidem; & hoc totum esse recentiorum Platonicorum commentum, qui nata jam Christiana Religione vixerunt. Videri etiam potest Card. Quirini in duabus pluribus epistolis *Decadis Vaticanæ*, ubi authenticam Platonici testimonii in epist. ad Dionysium ex Mss. Vaticanis vindicat contra Menagium, qui illud esse supposititium suspicatus fuerat. Sed de Trinitate Platonica fuse admodum pro more suo agit Radulphus Cudvvorthus in *System. mundi intellectuali* Tom. I.

CAPUT II.

Distinctio divinarum Personarum ex veteri Testamento colligitur.

63. Notandum est, hic solum de personarum divinarum distinctione agi, non autem de earumdem *consubstantialitate*, quæ nobis uberem disserendi copiam inferius suppeditabit. Judæi moderni fere omnes hoc divinum mysterium aut ignorant, aut pertinaciter negant. Sed hanc cæcitatem mirari non debemus in natione a Deo juste derelicta (*a*).

64. Quamvis autem loca, quæ ex veteri testamento afferuntur, sufficere omnino possint ad Judæos ipsos convincendos; multo tamen majorem efficaciam habere debent contra veteres, novosque Sabellianos, cum eorumdem locorum sensus in novo testam., quod & ipsi nobiscum admittunt, luculenter sit declaratus. Valent insuper, ut eos vehementer falli, & fallere ostendamus, qui Trinitatis mysterium novum esse recentiorum commentum blaterant.

65. Inter vet. testamenti loca, quibus distinctio divinarum Personarum ostenditur, primo sese offerunt illa verba Genes. 1. 26. quibus Deus in numero plurali, quasi cum aliis deliberans ait: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Nempe ut dicitur Joannis V. 19. *quæcumque* (Pater) *fecerit, hæc & Filius similiter facit* (*b*). Iterum Genes. III. 22. dicit Deus: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est:* ac demum Gen. XI. 7. *descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Cum vero hæc de pluribus Diis intelligi nequeant, nihil aliud restat, nisi ut intelligantur de pluribus personis, quæ unam constituant divinitatem (*c*).

66. Secundo, mentio aliqua duarum divinarum personarum continetur in iis verbis Genes. XIX. 24. *Igitur Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem a Domino de cœlo;* quorum verborum hic obvius sensus esse videtur: *Dominus*, nempe Filius, qui apparuit Loth, pluit sulphur, & ignem *a Domino*, nempe *a Patre*.

67. Multo clarius, ut S. Thomas advertit IV. *Cont. Gent.* c. 2., duæ personæ Patris, ac Filii indicantur in Psalmo II. 7. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu: ego hodie genui te;* quibus verbis usus est S. Paulus in epist. ad Hebræos cap. I. ad Christi divinitatem comprobandam; tum in Ps. LXXXVIII. 27. *Ipse invocabit me; Pater meus es tu.* Similiter in Psalmo CIX. duæ primæ personæ indicantur iis verbis: *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis:* quem locum adhibuit Christus Matth. XXII. 44., ut probaret, se esse filium Dei, & Deum, ac quidem successu, ut Pharisæi divinitatis ipsius hostes facti sint muti, sicut pisces: *& nemo poterat respondere ei.*

68. Tertio totius Trinitatis quoddam non obscurum vestigium habetur in Psalm. XXXII. 5. & 6., ubi dicitur: *Misericordia Domini plena est terra: Verbo Domini cœli firmati sunt: & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Et plura insuper sunt loca, in quibus Spiritus sancti persona commemoratur. Sapientiæ 1. 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Et iterum IX. 17. *Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu ... miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis.* Ac demum Isaiæ XLII. 1. *Dedi spiritum meum super eum* (*d*).

69. Obj. primo contra primam probat.... Ex quo Deus alicubi plurali numero nominetur, male colligitur, plures esse divinas personas. Nam pri-

(*a*) Hinc Judæi merito redargui possunt, quod verum Deum non adorent. Quapropter Phil. Limborchius juste reprehensus fuit, quod in sua *Amica Collatione* cum Isaac Orobio Judæos ab idololatria absolverit, cui propterea Orobius gratias agit nomine suorum Judæorum, quod ipsos, *non sicut alii, barbaros judicaverit, & a vero Deo alienos.*

(*b*) S. Augustinus in fine Lib. VII. *de Trinit.* T. XIII. sicuti ex numero plurali adhibito in iis verbis novi test. Jo. XIV. 23. *Veniemus &c.* ita etiam ex cap. I. Gen. *Faciamus &c.* Trinitatem divinarum personarum colligebat. *Non enim, inquit, ut facerent dii, aut ad imaginem, & similitudinem deorum; sed ut facerent Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, ad imaginem Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ut subsisteret homo imago Dei; Deus autem Trinitas.*

(c) Nonnulli ex eo colligunt, plures esse divinas Personas, quod Deus Vers. I. 1. Geneseos plurali numero dicatur אלהים *Elohim* loco singularis אלוה *Eloha*. De eo videri possunt P. Laur. Berti *de theol. disciplinis* Lib. VII. cap. 1., Jo. Andr. Danzius in Dissert. *Divina inter coæquales de primo homine condendo deliberatio* P. 1. *Thesauri novi theologici philologici* pag. 123., & Ludovici Capelli Dissert. de voce *Elohim*. Dion. Petavio Lib. II. *de Trinit.* c. 7. n. 3. probabilius visum est, nihil in ista voce *Elohim* inesse mysterii. Antiqui Patres non multum hoc argumento usi sunt ad Trinitatem comprobandam, quod etiam Danzius fatetur.

(*d*) Qui plura desiderat vet. test. oracula, adeat P. Raym. Martini Dominicanum in suo egregio opere inscripto *Pugio fidei*, cujus duplex est editio, altera Parisiis 1651. cum notis, altera Lipsiæ 1787. cum introductione Carpzovii. Hoc insigne opus immerito parvipendit Houttevillius *dans le discours histor. & critique* Tomo I. *de la Religion Chrétienne prouvée par les faits* pag. m. 206. quasi more Scholasticorum solum Aristotelem crepet. Sed Houttevillius minus accuratam habuit hujus operis notitiam; neque enim aliis armis Martinius usus est contra Judæos, quam sacris litteris vet. testam., & traditionibus, ac commentariis Judæorum. Fallitur ulterius Houttevillius, dum nostrum Raymundum floruisse dicit Sæculo XV. floruit enim Sæc. XIII. Raym. Martinium exscripsit Petrus Galatinus in 12. libris *de arcanis catholicæ veritatis*, ut testes sunt Jac. Thomasius *de plagio litterario* §. 436., & Ellies Dupin *Table des Auteurs Ec-*

primo id fieri potuit vel ad imperium designandum, vel honoris causa. Hujus rei exemplum habemus in Principibus, & Magistratibus, qui aliquid imperantes plurali numero uti solent. Exemplum etiam habemus in sacris litteris Genes. XXIX. 27., ubi Laban despondens Jacob filiam suam Rachelem, *hanc*, inquit, *dabo tibi*, secundum Biblia nostra Vulgata; sed in textu hebræo habetur: *hanc dabimus tibi* דכחאורלך. Etiam Job XVIII. 3. Baldad Suites in numero plurali dicebat: *Quare reputati sumus ut jumenta, & sorduimus coram vobis?* (a). Secundo potuit id sibi ipsi Deus dicere, quasi se excitando ad opus, quomodo apud Titum Livium Lib. XXXIX. n. 51. Annibal sibi mortem consciscens, *liberemus*, ait, *diuturna cura populum Romanum, quando mortem senis expectare longum censent;* & etiam artifices ad depellendum veternum dicere solent: *eja manum operi admoveamus* (b). Tertio potuit etiam Deus iis verbis uti ad alloquendum Angelos, quorum ministerio ipsum aliquando usum fuisse, patet ex Lib. III. *Regum* XXII. 19.; vel terram, quam Deus ad hominem formandum adhibuit (c). Demum non desunt, qui suspicentur, locutiones illas: *faciamus, descendamus* &c. primum a Gentilibus ortas esse, qui plures Deos colentes plurali numero utebantur, fuisse postea Israelitis familiares redditas, atque a Moyse vulgari usu adhibitas, quamvis sano sensu. Ita Jo. Clericus in Comment. ad cap. I. Geneseos.

70. Resp. haud difficile esse contra hujusmodi evasiones vim argumenti nostri tueri. Et quidem contra primam. Si Deus Principum more ad majestatis, auctoritatisque significationem plurali numero usus esset in laudatis Geneseos locis, cur etiam alibi tali phrasi usus non est? Præcipue quando aliquid imperabat, aut quando in Monte Sinai tanta majestate populo legem dedit, ut nihil magnificentius, aut divinius excogitari possit? Atqui, ut Theodoretus observat q. XIX. in Genesim, in universa plane Scriptura Deus semper singulariter loquitur, & nunquam utitur plurali numero, nisi quando numerum Personarum Trinitatis innuere vult. Addo, apud Hebræos nunquam eum morem obtinuisse, ut Reges, vel Magistratus se in plurali numero nominarent; quod exemplis Saul, David, Salomonis, aliorumque Regum facile confirmari potest. Unus sufficiat locus ex Lib. I. Esdræ VII. 21., ubi dicitur: *ego Artaxerxes rex statui* &c.

71. Nec vero obstant allata loca ex Genes. XXIX., & Job XVIII.; in primo enim loco Laban loquitur totius suæ Familiæ nomine. In alio autem loco Baldad Suites ea verba protulit non solum de seipso, sed etiam de aliis sociis, qui ad Jobum invisendum venerant. Sed si exemplis res finienda esset innumera plane occurrerent Sacræ Scripturæ loca, in quibus semper pluralis numerus ad plures significandas Personas adhibetur, nunquam ad unam solam designandam.

72. Secundam evasionem S. Basilius Hom. II. in *Hexæmeron* appellat *insignes nugas;* blasphemum enim est dicere, aut cogitare, Deum more hominum aliqua suipsius excitatione opus habere, quasi ad vincendam desidiam, aut repugnantiam. Sed ulterius non video, quomodo hoc Rabbinorum insulsum commentum iis aliis verbis Genes. III. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*, adaptari possit.

73. Figmentum est pariter, quod tertio loco affertur, Deum nempe fuisse Angelos, aut terram in creatione hominis allocutum. Nam, ut S. Basilius loco cit. observat, verba illa *ad imaginem, & similitudinem nostram* omnem Angelorum, aut cujuslibet alterius Ministri cooperationem excludunt. Neque enim ad imaginem Angelorum, & multo minus ad similitudinem terræ, sed *ad imaginem Dei factus est homo* Genes. I. 27. Quamvis igitur Deus ministerio Angelorum nonnunquam usus sit, non tamen eo usus est in creatione hominis; ac proinde illa locutio, & quasi deliberatio: *faciamus &c.* nonnisi inter æquales divinas personas esse potuit.

74. Postrema demum responsio arbitraria est, & parum verisimilis: quasi vero Moyses idololatriæ destructor, imprudenter voluisset idololatrarum phrases vero Deo adaptare; aut quasi Spiritus sanctus profana verba scriptori sacro suggerere, & inspirare potuisset.

75. Obj. secundo contra textum ex c. XIX. *Genes. Igitur Dominus pluit &c.* In lingua hebraica non est insolens, ut nomen proprium repetatur, & pronominis loco usurpetur, ut Genes. IV.

cl. du *XIII. Siecle*. Idem postea fecit etiam Victor Torchet de Salvatici Carthusianus in sua *Victoria adv. impios Judæos*. Vid. P. Touron *Hist. des hommes illustres &c.* T. I. L. V. Multa item vet. test. loca in hanc rem collegit Jo. Steph. Rittangelius in *Libra veritatis*. Contra eum prodiit *Bilibra veritatis & rationis de Verbo Dei Libræ J. Steph. Rittangelii, & appendix Jos. de Voisin, Raymundoque Martini opposita;* de qua plura dabit Jo. Clericus Epist. VIII. *Criticæ;* caute tamen legendus.

(a) Ita sentiunt, non solum Trinitatis hostes, ut Rabbi Aben Ezra in Comment. ad cap. I. Genes., Volkelius Lib. V. *de Vera Religione* cap. 9., & Sociniani plerique: sed etiam Buxtorfius Dissert. V. *de nominibus Dei Hebr.* §. 43., Drusius, Callixtus, & nonnulli alii inter Protestantes sanctissimæ Trinitatis cultores, & defensores.

(b) Sic respondebant veteres Judæi apud S. Basilium Hom. IX. in Hexæmeron, & apud Theodoretum q. XIV. in Genesim. Ipsis subscribunt Marcellus Ancyranus, apud Eusebium Libro IV. contra ipsum, & Socinus in Comment. in hunc locum.

(c) Ita pariter veteres aliqui Judæi apud S. Basilium *Hom. VI. in Hexæmeron* c. 7. & apud S. Amr.

IV. 23. Lamech uxores suas alloquens *audite*, inquit, *vocem meam uxores Lamech*, idest uxores meæ: ergo non absimiliter cum dicitur: *Dominus pluit a Domino* potest una eademque Persona designari, nimirum *pluit Dominus a se*; vel etiam hebraismus hic est, ut significetur, pluisse Dominum *desuper*. Vid. Petavius *de Trinit.* Lib. II. cap. 7. n. 23.

76. Respondet P. Berti, id verum non esse, quotiescumque de Deo sermo est, & proprium ipsius nomen Tetragrammaton adhibetur יהוה, ut in hoc loco adhibetur. Observat etiam laudatus P. Berti, hic repeti nomen Dei cum tali emphasi, ut unius exprimatur origo ab altero, nempe cum præpositione מאת *ex ab*. Ceterum quanquam fortasse hujusmodi testimonium non esset contra Judæos omnino decretorium, valere tamen debet contra Sabellianos, aliosque hæreticos, saltem ex eo, quod bona meliorque pars veterum Ecclesiæ Patrum iis verbis mysterium Trinitatis adumbratum agnovit. Quibus accedit etiam duorum Conciliorum suffragium, Antiocheni scilicet, & Sirmiensis. Et quanquam hoc postremum fuit majori ex parte ex Arianis conflatum, in hac tamen causa contra Photinum cum Catholicis conspiravit (a).

77. Obj. tertio contra testimonium ex Psal. II. *Dominus dixit ad me &c.* ea verba a S. Paulo *Actor.* XIII. 33. accommodantur Christi resurrectioni. *Deus*, inquit Apostolus, *resuscitans Jesum, sicut & in Psalmo II. scriptum est; Filius meus es tu, ego hodie genui te*. A sanctis autem Patribus Hilario, Athanasio, Fulgentio, Theodoreto, Euthymio (apud Estium in Comment. ad cap. I. epist. ad Hebræos vers. 5.), aliisque nonnullis referuntur ad temporalem Christi nativitatem, ab aliis demum ad Christi baptismum. Imo in quibusdam Evangelii codicibus super Christum baptizatum prolata leguntur; sicuti etiam suo tempore legebat S. Augustinus in *Enchiridio* cap. 44.

78. Addi potest cum Grotio (in comment. ad Ps. II. 7., & *Act.* XIII. 33.) *litteraliter* ea verba referri ad David, primo quia verba præcedentia: *Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus*, certe ad David spectant, contra quem conjuraverunt reges Syriæ, ac principes Moab, & Emath, & Philistinorum, ut habetur 2. *Regum.* VIII. Secundo quia ibidem dicitur: *ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus*. Tertio quia Psal. LXXXIII. iterum de David dicitur: *Ipse invocabit me, pater meus es tu .... & ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ*. Demum prætereunda non est particula illa *hodie*, quæ indicat, nullo modo illa verba referri posse ad æternam Verbi generationem, optime vero ad David, qui fuerat Rex a Deo creatus, ac quasi de novo genitus.

79. Resp. ad primum cum Bossueto (Dissert. ad hunc locum), quamvis ea verba: *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego genui te*, stricte, & proprie ad æternam Verbi generationem spectent, posse nihilominus etiam ad Christi nativitatem, baptismum, & resurrectionem referri; neque enim unum istorum est alteri contrarium: imo quidquid fuit mirabile, ac plane divinum in Christi nativitate, baptismo, ac resurrectione, non fuit nisi æternæ illius generationis consecutio, sive ut ita dicam progressus, & extensio quædam. Quare hi sensus omnes in unum coalescunt, atque omnes ex uno pendent, efficiturque non modo ex S. Patribus Hilario, Athanasio &c., sed etiam ex Evangelio, ut Christus verus perfectusque Dei filius & agnoscatur, & sit, eo quod & ab æterno genitus, & ex Virgine natus est, & a tumulo suscitatus. Imo ideo ex Virgine natus est, & a tumulo suscitatus, quia a Patre æterna generatione procedens, naturalis filius ejus est, & verus Deus.

80. Ad id, quod additum fuit, resp. cum eodem Bossueto, posse quidem etiam Davidi utcumque verba illa adaptari, quatenus typum, & imaginem Christi gerebat, principaliter tamen Christo, vero, & unico Filio Dei convenire; quod quidem apud Christianos certum esse debet, postquam S. Paulus ad Hebræos I. 5. ea ad Christum expressa retulit, & postquam communis est hæc eadem de re Græcorum, Latinorumque Patrum consensio, cui rafragari sine grandi temeritate, & contra certissimam Concilii Trident. regulam nemo potest.

81. Nec difficile est, idipsum contra pervicaces Judæos demonstrare. Nam ut S. Thom. bene observat Lib. IV. *Contr. Gentil.* cap. 2., ea quæ conjunguntur, ostendunt, Davidi non competere illa verba: *Ego hodie genui te*, & quod subditur: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*; cum ejus regnum non usque ad terminos terræ fuerit dilatatum. Prosequitur Angelicus ostendere, neque Salomoni posse alia verba similia Psalmi 82. *Ipse invocabit me; Pater meus es tu* adaptari, quia subditur: *Ponam in sæculum sæculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies cœli*; ac concludit, quod

brosium. Homil. VIII. in Genesim. Ita demum etiam, Rabbi Maimonides in *More Nevochim.* cap. 6.

(a) Hunc locum ita intellexerunt Justinus in *Dialogo cum Tryphone*, Irenæus Lib. III. c. 6., Eusebius Lib. I. *Histor. Eccles.* c. 2., Basilius Lib. V. *Contra Eunomium*, Gregorius Nazianzenus Orat. XXXV., & Hieronymus hebraicæ linguæ scientissimus Comment. in Oseam cap. 1. Ita etiam Concilium Antioch. in Epist. Synodica contra Paulum Samosatenum, & Concilium Sirmiense apud S. Hilarium in Lib. *de Synodis*. Vid. Nat. Alexand. Diss. XXV. in Sæcul. III.

quod quia quædam præmissis verbis annexa Davidi vel Salomoni possint congruere, quædam vero nequaquam, hæc verba de David, & Salomone dicantur secundum morem scripturæ in alterius figuram (scilicet Christi) *in quo universæ compleantur*. Accedit, quod veteres Judæi eadem verba de Messia semper intellexerunt; nec aliter modo ea intelligerent, nisi excæcati, & obdurati omnia susdeque miscerent, ne veritati Religionis Christianæ fasces submittere cogantur. Hujus rei testis sit Rabbi Salomonis Jarchi ingenua confessio (apud Bossuet loco cit.): *Majores nostri*, inquit, *ad regem Messiam Psalmum hunc referebant; expedit tamen eum referre ad Davidem, prout sonat, & propter Mineos, sive hæreticos*, videlicet Christianos. Veterum autem Rabbinorum testimonia satis multa afferunt Huetius in *Demonstr. Evangel.* prop. VII. n. 14., & Eduardus Poeckins in *Notis miscellaneis ad Moysem Maimonidem*.

82. Ulterius Petrus, & Joannes, ut habetur *Act.* IV. 25. hujus Psalmi verba una cum Hebræis de Christo intellexerunt. Idem præstitit S. Paulus in publica Judæorum Synagoga Act. XIII. 33., tum in ep. ad Hebræos cap. I., quæ omnia luculenter ostendunt, pervulgatam fuisse inter Judæos persuasionem ea Psalmi verba ad Christum præcipue referri, licet aliquo modo possint etiam de Davide intelligi; unde patet ad tria priora Grotii argumenta responsio.

83. Postremum vero ejusdem Grotii argumentum solvitur a S. Augustino in *Enchiridio* cap. 49. observando, voce illa *hodie* valde apposite æternitatem significari; quia rei præsentiam designat, nec futurum admittit, aut præteritum; quod utique æternitati convenit. Neque vero quis regerat, nullibi in sacris litteris illam vocem adhiberi ad æternitatem significandam; frustra enim, ut ait sæpe laud. Bossuetus, hujus rei exemplum quæritur, & nihil mirum, singularia, ac plane divina singulari modo exprimi, quo moveantur homines, ne humana ac consueta cogitent (*a*).

84. Ob. quarto. Ea verba ex Psalmo CIX. *Dixit Dominus Domino meo* sunt verba David Salomonem alloquentis; vel etiam de Abrahamo, Saule, Ezechia, Zorobabele intelligi possunt, ut reipsa Rabbini nonnulli interpretantur (apud Estium in cap. I. epist. ad Hebræos vers. 13.): ergo ex eis nihil pro S. Trinitatis mysterio erui potest.

85. Resp. cum Bossueto (in Dissert. adnexa ad hunc Psalmum), ex toto contextu luculenter patere, hæc verba nonnisi de Christo Filio Dei intelligi posse, sicut ea Christus ipse explicuit Matth. XXII. 43., & Lucæ XX. 44.; tum Apostolus Paulus ad Hebr. I. 13. Nam primo ibidem subditur v. 5.: *ex utero ante Luciferum genui te*. Quæ verba Patres, & Interpretes melioris notæ ad æternam, & divinam Christi nativitatem referunt, ut S. Justinus in *Dialogo cum Tryphone*, S. Athanasius orat. V., S. Basilius, S. Cyrillus, & multi alii. Et quamvis nonnulli Patres eadem verba retulerint quandoque ad temporalem Christi nativitatem, hæc tamen explicatio ab ipsis non primo, sed secundo loco afferri solet. Præterea, ut S. Augustinus Lib. XVII. *de civit. Dei* cap. 13. observat, ea verba, *tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, nonnisi Christo adaptari possunt; sacerdotium enim, & sacrificium vetus secundum ordinem Aaron jamdiu cessavit; & utique offertur sub Sacerdote Christo, quod Melchisedech protulit, quando benedixit Abraham (*b*).

86. Colligite, male de Christiana Religione illos recentiores scriptores mereri, sive Catholicos sive Acatholicos, qui ea veteris testamenti loca, quibus Sancti Patres ad mysterium Sanctissimæ Trinitatis demonstrandum feliciter usi sunt, in alienos sensus detorquent, quos propterea non immerito Card. Witasse *ingenii liberioris, ac minus considerati* appellat T. II. q. 3. art. 1. in fine (*c*).

87. Quæres: *An Trinitas divinarum Personarum Hebræis nota fuerit?*

88. Sociniani omni sacramento contendunt, Trinitatis mysterium fuisse in veteri Testamento prorsus ignotum, & nonnisi post Christi, Apostolorumque obitum a nescio quibus fabulatoribus in religionem Christianam invectum. Iis incaute pollicem premunt duo Catholici scriptores Harduinus, & Berruyerus, qui in pluribus locis scribere non sunt veriti, nulli hominum ante Christi adventum, ne quidem ipsi primo Hebræorum legislatori Moysi fuisse hoc arcanum & impersertabile mysterium perspectum; sed a Christo Jesu ho-

(*a*) Frustra sunt Harduinus, & Berruyer, quorum primus in cap. XIII. *Actor.* 33. dicit: *vox illa* hodie *in sacris litteris numquam, nisi certum diem unum aliquem significat*. Alter P. II. Tom. VIII. q. 2. *Vox illa*, inquit (*Filius meus &c.*) *ad Christum, sive Messiam dirigitur, non quatenus Verbum est in divinis Patris æterni Filius æternus*. Vid. contra utrumque Episcopus Svessionensis in sua *Instruct. Pastor.* 1760. Tom. I. P. II. sect. 1. cap. 4.

(*b*) Vid. P. Baltus *Defense des propheties de la Rel. Chret. contre Grotius*, Tom. II. cap. 6. Male autem Harduinus adnot. ad vers. 36. cap. *II. Act. Apost.* hunc Psalmi CIX. locum de solo Christo explicat, æterno ejus Patre scluso, inquiens: *Christus & Dominus est, qui dixit, & idem Dominus est, cui Dominus meus dixit* (*sede a dextris meis*); *nec tamen Domini duo, sed dominium in Christo duplex, alterum divinum, gratuitum alterum humanitati assumptæ concessum*. Male inquam; manifestum est enim ibi duas personas divinas significari, Patrem nempe, & Filium, ut Christus ipse declaravit Matth. XXII. 44.

(*c*) Inter hos fuit etiam Alph. Tostatus, qui epilogo *Opusc. de Trinit.* censet, *eos irridendos esse, qui distinctionem divinarum personarum ex adductis locis probare nituntur*; ipse tamen postea in Comment. ad v. 26. c. I. Geneseos sententiam felicius mutavit.

hominibus primo revelatum. Utrumque Franc. Fitz-james Episcopus Svessionensis pro meritis castigavit in sua *Pastorali Instruct.* anno 1760. P. II. Sect. I. cap. 6. art. 2.

89. Et certe pluribus momentis demonstrari potest, primoribus saltem inter populum Hebraicum, ac præcipue Sanctis Patriarchis, & Prophetis integram, liquidamque divinæ Trinitatis revelationem factam fuisse, quanquam rudioribus clare, & expresse mysterium hoc minime innotuerit. Ita plane antiquis Ecclesiæ Patribus persuasum fuit; unde S. Epiphanius Lib. I. *de Hæresibus* inquiebat: *Trinitas semper in illa singulari divinitate nunciata, creditaque ab illis est, qui ceteris antecellerent; cujusmodi Prophetæ, atque eximia sanctitate præditi homines fuerunt.* Et S. Fulgentius *De fide ad Petrum* cap. 1. *Fides*, inquit, *quam Sancti Patriarchæ, atque Prophetæ ante incarnationem Filii Dei divinitus acceperunt ... unum Deum prædicat Trinitatem, idest Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum.* Idem asserunt S. Gregorius Nazianzenus orat. XLIX., & alii plures, quos secutus est S. Thomas 2. 2. quæst. 2. artic. 8. inquiens: *Eodem modo, quo mysterium incarnationis Christi ante Christum fuit explicite creditum a majoribus, implicite autem, & quasi obumbrate a minoribus, ita etiam & mysterium Trinitatis.*

90. Imo id satis aperte indicavit Christus ipse, cum dixit, Prophetas, aliosque viros sanctos fuisse desiderio ipsum videndi incensos Matth. XIII. 17. *Amen dico vobis, quia multi Prophetæ, & justi cupierunt videre, quæ videtis, & non viderunt;* & Joannis VIII. 56. *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum; vidit, & gavisus est.*

91. Addi etiam potest Philonis doctissimi inter Judæos exemplum, cui fuisse distinctionem divinarum Personarum cognitam, vix quispiam in dubium revocare potest; quanquam Joan. Clericus epist. VIII. *Critica* eum non ex revelatione, & litteris sacris, sed ex Philosophia Platonica hanc cognitionem hausisse immerito contendit (a).

92. Quæres secundo, *eccur Deus omnibus Hebræis mysterium Trinitatis luculenter non revelaverit? Insuper cur Patriarchæ, & Prophetæ populum rudem de hoc sacrosancto mysterio non aperte edocuerint?*

93. Resp. adoranda esse arcana consilia Dei, nec facile eorumdem rationem reddi posse. Aliquæ tamen divinæ hujus œconomiæ rationes a sanctis Patribus afferri solent, & illa imprimis ab Eusebio Cæsariensi Lib. I. *contra Marcellum* cap. 1. quod timendum erat, ne crassum, & ignarum Hebræorum vulgus in Trinitate plures Deos adoraret, cum aliunde in idololatriam valde proclive esset. Hac etiam de causa a Patriarchis, & Prophetis, ita volente Deo, nonnisi illi instruebantur, qui erant ab erroris periculo magis remoti.

94. Doctissimus Bossuetus ad cap. LI. *Ecclesiastici* opinatus est, Hebræorum vulgo persuasum fuisse, Messiam, qui ab omnibus expectabatur, futurum Filium Dei naturalem, quod sine expressa distinctione divinarum Personarum credi certe non poterat. Repugnant tamen Bossueto Guill. Estius in Lib. III. *Sentent.* distinct. 25. §. 4. & Gaspar Juvenin Tom. IV. *Instit. theolog.* dissert. VI. cap. 2. art. 2. aliique putantes, Israelitarum vulgo persuasum duntaxat fuisse Messiam futurum filium Dei adoptivum.

CAPUT III.

Refellitur hæresis Sabelliana ex novo testamento.

95. Primum, & insigne ad probandam distinctionem trium divinarum personarum argumentum ex novo testam. nobis suppeditat forma baptismatis a Christo Domino instituta Matth. XXVIII. 11., ubi Apostolis dixit: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti;* quibus verbis invocatio trium divinarum Personarum mirifice expressa est; unde hoc maxime testimonio usi sunt Patres Concilii generalis Constantinopolitani in epist. Synodica (apud Theodoretum Lib. V. *Hist. Eccl.* cap. 9.) ad hæreses tum Sabellianorum, qui tres hypostases confundebant, tum Arianorum, aliorumque, qui naturam divinam dividebant, proscribendas.

96. Aliud luculentissimum Trinitatis divinæ testimonium nobis præsto est in Christi baptismate, cujus historiam sancti Evangelistæ Matthæus, & Lucas cap. III., Marcus autem cap. I. accurate referunt. Ibi enim manifeste expressa est, & distincta omnium trium personarum mentio; & primo Patris, & Filii; nam Pater de cælo loquens inquit: *Hic est filius meus dilectus*, quibus verbis & suam, & Filii personam luculenter distinguit; deinde Spiritus sancti, qui *descendit corporali specie, sicut columba in ipsum.*

97. Non minus perspicue distincta divinarum Personarum Trinitas iis verbis continetur, quibus Christus Dominus Joann. XIV. 16. discipulis Spiritum Sanctum Paraclitum promisit. *Ego*, inquit, *rogabo Patrem meum, & alium Paraclitum dabit vobis ... Spiritum veritatis.* Et cap. XV. 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Pa-* tre

(a) De Philonis sententia legatur inter alios D. Prudentius Maran in opere inscripto: *Divinitas D. N. J. C. manifesta in Scripturis, & traditione* Lib. IV. cap. I. Multa etiam de Philonis mente disserit Laur. Moshemius in nota 14. ad Paragr. 36. cap. IV. *System. mundi intellectualis* Radulphi Cudworthi, ubi plures alii laudantur, qui hanc spartam adornarunt.

tre procedit, ille testimonium perhibebit de me. In istis, aliisque similibus locis nonnisi obcæcati Sabelliani expressam trium divinarum Personarum distinctionem non vident. Ceteri autem fideles, & Personam Patris agnoscunt, qui rogatur, & Personam Filii, qui rogat, & personam Spiritus Sancti, qui a Patre procedit, & mittendus promittitur, manifeste vident.

98. Demum decretorius plane est locus ille S. Joannis in ep. I. cap. V. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, sanguis, & aqua, & hi tres unum sunt.* Nempe S. Joannes cum jam prope centenarius esset, hanc exaravit epistolam, ut adversus Simonianos, Ebionitas, Cerinthianos, aliasque hujusmodi pestes Christi divinitatem, ac simul etiam humanitatem comprobaret. Quod autem dicit, tale est: Christi divinitatem tria de cœlo testimonia comprobarunt. Pater, cujus illa vox fuit: *hic est Filius meus dilectus.* Filius, qui doctrina, & miraculis sibi ipsi testimonium perhibuit; & Spiritus Sanctus, qui sub columbæ specie supra Christum in Jordanue descendit. Ejusdem autem humanitatis testes fuere spiritus, quem cruci affixus emisit, aqua, & sanguis, quæ de ipsius latere effluxerunt. Jam vero utrobique tria laudari testimonia, nemo non videt: ut quemadmodum spiritus, aqua, & sanguis tria sunt diversa supposita; ita Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus tres sint distinctæ personæ.

99. Ob. primo contra primam probat. Ex iis verbis: *in nomine Patris* &c. non sequitur, Filium, & Spiritum Sanctum duas esse personas Patri coæquales, atque consubstantiales. Etenim non est insolens in sacris litteris, res diversi generis eodem modo simul conjungi: ex. gr. in vet. Test. Exodi XIV. ult.: *Crediderunt Domino, & Moysi servo ejus;* & 1. *Regum XII.* 19. *Et timuit omnis populus nimis Dominum, & Samuelem.* In novo autem fœdere 1. Corinth. X. 2. Israelitæ dicuntur baptizati *in Moyse, in nube, & in mari;* 1. ad Timoth. V. 21. *Testificor*, ait Paulus, *coram Deo, & Christo Jesu, & electis Angelis.* Imo ex ipsius Ecclesiæ Romanæ ritu ita Sacerdos in animæ commendatione precatur: *In nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus Sancti; in nomine Angelorum, & Archangelorum &c.* Ac demum non dedignantur Principes, ac Reges, sententias, ac leges simul suo ac Magistratuum nomine promulgari: ergo quamvis in forma baptismi &c. non sequitur &c.

100. Resp. primo, si qua est in hoc argumento difficultas, eam solum spectare divinarum personarum *consubstantialitatem*, quam inferius multis aliis Scripturæ Sacræ locis demonstrabimus contra Arianos, & Macedonianos; modo nobis satis est adversus Sabellianos trium Divinarum personarum distinctionem ex novo Testam. evidenter colligere.

101. Resp. secundo, magnum esse inter baptismi formam, & allata loca discrimen. Nam in forma baptismi maxime notandum est τὸ *in nomine*, quod consueto Sacr. Scripturarum sensu invocationem significat; ut illud Petri *Actor. III.* 6. claudo dictum: *In nomine Jesu Nazareni surge, & ambula;* & illa etiam Christi Domini promissio suis fidelibus facta: *in nomine meo dæmonia ejicient.* Si ergo nulla facta distinctione invocantur simul Pater, Filius, & Spiritus sanctus, tres esse debent non solum distinctæ, sed etiam coæquales, & consubstantiales Personæ. Neque enim, ut S. Ambrosius bene advertit in Lib. *de Spiritu S.* cap. 14. dixit Christus *in nominibus*, sed *in nomine*, ut una, eademque ostenderetur trium Personarum dignitas. At vero nihil tale in testimoniis objectis occurrit. Nam quæ duo ex vet. Testam. allata sunt, conjungunt quidem hominem cum Deo, seu ministrum cum Domino, sed tali modo, ut quilibet dignoscere possit infinitam inter utrumque distantiam; unde etiam additum est in priori loco subjecto; *crediderunt Deo, & Moysi servo ejus.* Idemque dici debet ad locum Apostoli ep. 1. ad Tim. V.

102. Aliqua major similitudo primo aspectu apparet formæ baptismi cum verbis Apostoli 1. Cor. X. *Omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari.* Sed si res diligentius inspiciatur, latum discrimen se prodit, neque enim hic baptizati dicuntur Judæi *in nomine*, vel *in virtute* Moysis, nubis, & maris, ut una ostendatur horum trium potestas & dignitas, sed in *Moyse* hoc est duce Moyse; *in mari*, transeundo mare Erithræum: & *in nube*, ambulando sub aquosa nube, quod illis sacri baptismatis figura fuit. Et si etiam quocumque alio modo obscurus hic textus explicetur (non enim Interpretes in eo explicando conveniunt), nunquam tamen idem sensus apparebit cum allata baptismatis forma. Vid. Angelicus Doctor, & Guill. Estius in *Comment.* ad hunc locum.

103. Quod additum est ex Ecclesiæ precibus in commendatione animæ, longe a re nostra differt. Nam primo in ipsis verbis apparet discrimen; ubi enim Trinitatis invocatio fit, dicitur: *in nomine Dei Patris, qui te creavit; in nomine Jesu Christi Filii Dei vivi, qui pro te passus est; in nomine Spiritus Sancti, qui in te effusus est;* quibus characteribus divinæ personæ indigitantur. Post autem invocantur Angeli, Archangeli &c. sed sine ullo additamento, ex quo magna resultat diversitas. Deinde fideles ex constanti Ecclesiæ doctrina probe norunt, diversa omnino ratione divinas Personas, ac Sanctos a nobis invocari, ut nullum sit erroris periculum; quod sane magnum esset, si in forma baptismi duæ diversæ ac creatæ res una cum Deo Patre invocarentur.

104. Quod ultimo loco objectum est, nullam vim habet. Semper enim ita a Magistratibus leges, & sententiæ feruntur, ut appareat, eas a so-

lius Regis auctoritate vim obtinere. Non ita autem in Sanctissimæ Trinitatis invocatione.

105. Dices: In laud. Matth. textu nomine Spiritus Sancti intelligi debet non persona, sed Dei donum, seu gratia sanctificans; quemadmodum cum Marci I. 8. Jo. Baptista dixit: *ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu sancto;* aut cum *Actor.* I. 5. dicitur: *Vos autem baptizamini Spiritu sancto*, id intelligitur de gratia sanctificante; nam in persona nemo baptizatur. Neque vero in sacris litteris exempla desunt, ut cum persona divina etiam Dei virtus conjungatur. *Act. XX.* 32. *Commendo vos Deo, & verbo gratiæ ejus.* Et *Eph. VI.* 10. *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus:* ergo &c.

106. Resp. Non equidem inficior, nonnullis in locis sacr. Scripturarum Spiritum Sanctum sumi pro ejus donis; nemo tamen inferat, eumdem semper hoc sensu sumi; hoc enim falsum esse, inferius luculenter demonstrabimus. Sed quantum ad præsens attinet, in forma baptismi Spiritum Sanctum sumi pro Persona, longe evidentissimum est. Nam primo nulla facta distinctione dicitur eodem modo: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti;* ac propterea quemadmodum Patrem, & Filium duas esse distinctas personas intelligimus, idem de Sp. S. intelligendum est. Secundo impropria esset illa locutio: *in nomine*, idest *in virtute Dei Patris, ejusque virtutis*, scilicet Spiritus Sancti. Demum decretorium plane videtur, quod *Act. XIX.* narratur: nempe cum S. Paulus quosdam Ephesi invenisset, qui nihil de Spiritu Sancto se audivisse dicebant: *neque si Spiritus sanctus est, audivimus*, Apostolus vehementer admiratus eos interrogavit: *in quo ergo baptizati estis?* quasi nempe prodigium ipsi videbatur, quod saltem in forma baptismi nihil de Spiritu Sancto audivissent. At vero hic nomine Spiritus Sancti personam venire luculenter apparet. Si enim sola virtus Dei, aut donum gratiæ significaretur, quis credat, fuisse Ephesios illos adeo stupidos, ut Spiritum Sanctum esse, prorsus ignorarent? In forma ergo baptismatis Spiritus Sanctus ut Persona, non minus, quam Pater, & Filius invocatur, quidquid sit de aliis quibusdam Scripturæ Sacræ locis, in quibus Spiritus Sancti nomine ejus dona, & gratiam sanctificantem designari, non inficiamur.

107. Obj. secundo contra ult. probationem. Ex eo versiculo S. Joannis: *Tres sunt &c.* non evincitur, tres esse in Deo personas unius ejusdemque individuæ substantiæ, sed potius contrarium. Eodem enim sensu dicitur de Patre, Filio, & Spiritu Sancto: *& hi tres unum sunt*, ac de spiritu, aqua, & sanguine; atqui hæc tria posteriora non sunt unum in natura, sed solum unum sunt unitate testimonii, & morali: ergo etiam &c. (a).

108. Resp. primo, nonnihil discriminis reperiri in bene multis codicibus, cum græcis, tum latinis inter finem septimi, & finem octavi versiculi; octavus enim sic concluditur: *& hi tres unum sunt;* quemadmodum nunc etiam apud Græcos legitur. Nonnulli veteres, ut Clemens Alexandrinus, Ambrosius, & Cassiodorus legerunt: *& hi tres unum sunt in Christo Jesu*. Omitto plures codices, in quibus hæc clausula: *& hi tres unum sunt* in octavo versiculo prorsus desideratur; unde nonnulli suspicati sunt, hæc verba fuisse ab Arianis adjecta; quod tamen omnibus consideratis parum verisimile videtur. Præterea quamvis etiam daremus, ex hoc versiculo contra Arianos non evinci apertissime, tres divinas Personas esse sibi consubstantiales, esset tamen idem versiculus decretorius contra Sabellianos ad distinctionem earumdem Personarum demonstrandam: quod potissimum in hac controversia spectamus. Nam de unitate naturæ agemus postea.

109. Demum recte explicamus illam clausulam, *& hi tres unum sunt* appositam versiculo septimo de unitate essentiæ, quia eamdem unitatem essentiæ plurima alia confirmant divina testimonia. Contra vero eadem clausula octavo versiculo apposita nonnisi de unitate morali intelligi debet; quia cum recta ratione pugnat, ut spiritus, aqua, & sanguis unum sint unitate essentiæ: nisi forte dicatur, hæc tria unum fuisse in natura humana Christi, cujus veritatem in ejus passione ostenderunt.

110. Obj. tertio: Christus Dominus Joan. X. 30. dicit: *Ego, & Pater unum sumus:* ergo hæ duæ personæ solo nomine distinguuntur.

111. Resp. Id pertinere ad divinam essentiam quæ una est in tribus personis. Præclare S. Augustinus serm. XVI. *de Verbis Domini:* „ Quod „ ait, *unum*, audiant Ariani; quod ait, *sumus*, „ audiant Sabelliani; & nec illi æqualem, nec „ isti alterum negando, sint vani. “

112. Obj. quarto: Joann. XVII. 3. inquit Christus: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*. Ex quibus Crellius Socinianorum acutissimus ita argumentatur (Lib. I. *de Deo uno Patre* sect. 1.): Ea est vis, & potestas illius vocis *solum*, ut omnes alios excludat a communione prædicati præter eum, cui apponitur: atqui is, cui apponitur hæc vox *solum*, est Pater: ergo quilibet alius excluditur a communione illius prædicati *Deus verus, & summus*, quod uni Patri tribuitur, adeoque non est nisi divina Persona.

113. Resp. cum S. Thoma IV. *Cont. Gent.* c. 8.

(a) Ea verba de sola unitate consensus, & morali explicarunt Jo. Calvinus, & nonnulli alii, quorum vestigia pressit Richardus Simonius dans l' *Histoire Critique du noveau Testament* Tom. I. cap. 17.

8. Patrem eo loco *dici solum verum Deum* per exclusionem falsorum Gentilium numinum, ut nempe Christus *ostenderet*, *Patrem*, *cujus se filium protestabatur*, *esse Deum*, *in quo inveniatur illa*, *quæ sola est vera divinitas*. *Et quia oportet*, *Filium ejusdem naturæ esse cum Patre*, *magis sequitur*, *quod illa*, *quæ sola est vera divinitas*, *Filio conveniat*, *quam ab ea Filius excludatur*: „ Unde & Joannes in fine suæ „ canonicæ cap. V. 20. quasi hæc verba Domini exponens, utrumque istorum vero Filio attribuit, quæ hic Dominus dicit de Patre, scilicet quod sit verus Deus, & quod in eo sit vita æterna, dicens: " *Ut cognoscamus verum Deum*, *& simul in vero Filio ejus*. *Hic est verus Deus*, *& vita æterna*. Neque etiam excluditur persona Spiritus sancti, qui eamdem habet cum Patre, & Filio naturam, ut suo loco demonstrabitur. Ita etiam respondebat S. Athanasius Orat. IV. *Contra Arianos*.

114. Alii aliter ea Christi verba interpretantur cum S. Augustino Tract. IV, in Joannem: nempe eorum serie aliquatenus, nec incongrue immutata ita legunt: *Hæc est vita æterna*, *ut cognoscant te*, *& quem misisti Jesum Christum*, *solum verum Deum esse*. Et hunc esse germanum illius textus sensum, liquet ex aliis verbis ejusdem S. Joannis mox allatis ex ep. I. cap. V. ubi de Christo, non minus quam de Patre dicitur: *Hic est verus Deus*, *& vita æterna*. Augustino concordant Cyrillus Alexandr. Lib. XI. in cap. V. S. Joannis, Ambrosius Lib. III. *de fide* cap. 1., S. Thomas Lect. I. in cap. XVII. Joannis, & alii.

115. Obj. quinto: Apostolus 1. Corinth. VIII. 5. inquit: *Nam etsi sint*, *qui dicuntur Dii*, *sive in cœlo*, *sive in terra*; *siquidem sunt Dii multi*, *& Domini multi*, *nobis tamen unus Deus Pater*, *ex quo omnia*; *& nos in illum*, *& unus Dominus Jesus Christus*, *per quem omnia*, *& nos per ipsum*. Ex quibus verbis ita Crellius opponit. Paulus explicans, quis sit ille unus Deus, cum dicit esse Patrem; non autem dicit esse Patrem simul, & Filium, & Spiritum sanctum, quod certe non omisisset, si Filium, & Spiritum sanctum credidisset esse divinas Personas. Huic simile est aliud ejusdem Pauli testimonium *Ephes. IV. 5. Unus Deus*, *& Pater omnium*, *qui est super omnes*, *& per omnia*, *& in omnibus nobis*."

116. Resp. ad primum, hæc ab Apostolo dicta fuisse per exclusionem falsorum Deorum, ut patet ex verbis præcedentibus: *Nam etsi sunt qui dicuntur Dii &c.*, non autem per exclusionem Filii, & Spiritus sancti. Et quamvis ibidem Filius expresse non appelletur Deus, nec ulla habeatur Spiritus sancti mentio, in aliis tamen sacræ Scripturæ locis uterque inter divinas Personas numeratur. Quanquam Apostolus in eo ipso loco *Patrem* nominans, etiam Filium, utpote correlatum ad Patrem, ejusdem esse naturæ satis insinuat.

117. Nec refert, quod Filium appellet *Dominum*; nam sicuti inde non efficitur, Patrem non esse *Dominum*, ita quoque non fit, ut Filius non sit verus Deus: unde etiam Patres Nicæni in Symbolo Filium appellarunt *Dominum*, quem tamen Deum esse Patri *ὁμοούσιον* definierunt.

118. Ad secundum resp.; ibi nomen *Dei* sumi *οὐσιωδῶς substantialiter* pro tota simul sancta Trinitate, quæ prima est rerum omnium causa, & origo.

119. Ob. sexto: In ep. 1. ad Corinth. XII. 4. dicitur: *divisiones gratiarum sunt*, *idem autem Spiritus*; *& divisiones ministrationum sunt*, *idem autem Dominus*; *& divisiones operationum sunt*, *idem vero Deus*, *qui operatur omnia in omnibus*. In hoc loco plures quidem indigitantur Personæ, sed nonnisi una est divina.

120. Resp. duplicem esse posse illorum verborum sensum; primo ut tribus illis appellationibus Spiritus sanctus designetur, quod modo *Deus*, modo *Dominus*, & modo proprio nomine *Spiritus* appelletur. Secundo etiam possumus tres distinctas Personas ibi intelligere diversis nominibus a S. Paulo indicatas. Ex illis autem solus Pater appellatur Deus, quia est aliarum Personarum principium, fons, & origo.

121. Ob. ult. (cum Joan. Lud. Wolzogenio P. alt. *Præparat. ad utilem lect. N. T.* cap. 29.). Plurimi Doctores Pontificii Trinitatis divinæ assertores nimia evidentia coacti fateri debuerunt, eam ex sacris literis sufficienter probari non posse. Sic Dion. Petavius Libro I. *de Trinitate* cap. I. num. 3. *Mysterium istud post certamen cum Arianis*, *demum Catholicis revelatum*, *& confirmatum esse*, scribit. Bellarminus autem Lib. IV. *de Verbo Dei* cap. 6. inquit: *Cum ex Scriptura non convincerentur Ariani*, *eo quod easdem scripturas aliter exponerent*, *quam Catholici*, *damnati fuerunt ex sermonibus non scriptis*, *pie tamen intellectis*. Multos alios Wolzogenius in eamdem rem citat, ac inter alios Hosium Cardinalem magni nominis (*a*), qui, ut probet, etiam traditionibus in Ecclesia opus esse, primum affert verba Theodoreti qui Lib. I. *Hist. Eccl.* c. 8. refert, *ex non scriptis sermonibus*, *pie tamen intellectis Arianos esse damnatos*; postea vero subdit in Con-

(*a*) Stanislaus Hosius natione Polonus, primo Culmensis, deinde Varmiensis Episcopus, post autem a Pio IV. in amplissimum S. R. E. Cardinalium Collegium anno 1561. cooptatus, catholicæ Ecclesiæ dogmata non solum verbis, sed multis etiam, atque utilissimis scriptis contra grassantes eo tempore Novatorum hæreses egregie defendit, adeo ut S. Pius V. & Gregorius XIII. *solidam Ecclesiæ Dei columnam* ipsum appellare non dubitaverint. Ejus eloquium legi potest apud Alph. Ciacconium in *Vitis*, *& rebus gestis Rom. Pontif. & S. R. E. Cardinalium* Edit. Rom. anni 1677. ab August. Oldoino recognitæ Tom. III. pag. 908. & seq.

Confess. Catholicæ fidei c. 27. *Tres personas unum Deum esse, nulla nobis expresse tradit Scriptura ... nos tamen tres Personas dicimus, non quia Scriptura dicit, inquit August. Lib. VII. de Trinit.* c. 4. *sed quia Scriptura non contradicit, & quia sic ab Apostolis, & eorum successoribus traditum accepimus.*

122. Resp. Wolzogenium aperte calumniari; nihil enim aliud catholici Doctores voluerunt, quam necessitatem divinarum traditionum ostendere; non quia sine traditione Trinitatis mysterium nequeat ex sacris litteris luculenter demonstrari, iis saltem, qui cavillosis interpretationibus verum earumdem sensum non depravant; sed quia traditio mirifice nos juvat ad refellendos Hæreticos, qui germanam sacr. Scripturarum intelligentiam pervertunt. Quod si aliqui nostri Theologi minus caute hac in parte ita locuti sunt, perinde ac si Scriptura sacra non satis perspicue Trinitatem divinarum Personarum doceret, probari non debent: quemadmodum Bossuetus hac etiam de causa Richardum Simonium castigavit. (*Defense de la Tradition, & de Saints Peres* Lib. II. c. I.)

123. Petavius autem potius apud viros doctos male audivit, quod traditionem sanct. Patrum hac in materia labefactaverit; nullibi autem asseruit, hoc mysterium ex sacris litteris luculenter non erui; nec ullibi ea verba habet, quæ Wolzogenius ipsi tribuit, quæque ab aperta impietate aut vix, aut nullatenus possent vindicari.

124. Bellarmini etiam locus minus fideliter a Wolzogenio affertur; nec aliud sibi vult celebris iste controversista, quam illud ipsum, quod scribit Theodoretus, quem citat, Lib. *Hist. Eccl.* c. 8. nempe cum Ariani omnia alia verba, quibus in sacris litteris Christi divinitas prædicatur, in pravum sensum detorquerent, fuisse tandem a Patribus Nicænis vocem *αὐθεντία* ad eos damnandos excogitatam, quamvis ea in Scriptura sacra non inveniretur.

125. Hoc ipsum, nec aliud quidpiam sibi vult celebris Hosius Cardinalis, & Episcopus Vormiensis in primo loco objecto. In altero autem simul cum S. Augustino, cujus verba affert, contendit solum, has voces *tres Personæ*, quas loquendi & disputandi necessitas adinvenit, in sacris litteris non inveniri; non autem vel S. Augustinus, vel ejusdem fidelis sectator Stanisl. Hosius dixerunt unquam, mysterium Trinitatis, quantum ad rem ipsam spectat, in Sacra Scriptura non contineri.

APPENDIX.

De *αὐθεντία* versic. septimi cap. V. Ep. 1. S. Joannis: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus; & hi tres unum sunt.*

126. Ad veteres, novosque Sabellianos convincendos decretorius plane videtur laud. versiculus septimus, quo & Trinitas personarum, & unitas naturæ in divinis mirifice prædicatur. Sed illum spurium esse, & sacro textui male assutum, omni molimine probare conantur Sociniani, Crellius imprimis in epist. ad Lacroizium Tomo I. *Thesauri epistolici Lacroiziani* (a).

127. Dolendum est, etiam inter Trinitatis defensores, imo inter ipsos Catholicos fuisse aliquos repertos, qui Socinianis hac in parte faverent. Erasmus in duabus prioribus suis editionibus novi Testamenti 1516. & 1519. Basileæ eum versiculum prætermisit, eumdem quidem restituit in tertia anni 1522. sed dubius semper de illius *αὐθεντία* visus est, Richardus autem Simonius totus est, ut istud comma suppositium ostendat (b): cujus exemplum non ita pridem secutus est celebris Lud. du Four, Abbas de Longuerue in Diss. *Sur les trois temoins &c.* Contra hos tamen, aliosque intemperantioris criticæ homines haud difficile erit laud. versic. *αὐθεντίαν* vindicare.

128. Et primo quidem auctoritate veterum Scriptorum, qui hunc versiculum, ut genuinum, nemine prorsus reclamante in Ecclesiis Romana, Africana, Gallica, Hispana, & Orientali usurparunt. Certe in Ecclesia Romana omnium aliarum matre, & magistra hunc versiculum semper lectum fuisse, aperte declarat M. Aurelius Cassiodorus in suis *Complexionibus* ad cap. V. epist. 1. S. Joannis, inquiens: *Cui rei testificantur in terra tria mysteria, aqua, sanguis, & spiritus: in cœlo autem Pater, & Filius & Spiritus sanctus; & hi tres unus Deus sunt.* Hoc autem Cassiodori testimonium tanti momenti est, ut totam controversiam finire videatur. Quamvis enim hic auctor Sæculo VI. floruerit, ipse tamen testatur in præfat. ad libros *De institutione divinarum litterarum* se magno labore *priscos* codices consuluisse. Sane *prisci* illi codices ad primam ætatem pertinere debuerunt; cumque Cassiodorus vir fuerit acerrimi judicii, laudatum versiculum suis *Complexionibus* non inseruisset, nisi eum in antiquis, & probatæ fidei codicibus reperisset (c).

129.

(a) Socinianis de more adhæret Jo. Clericus Part. III. *Artis criticæ* Sect. I. cap. 14., & in *Quæst. Hieronymianis* cap. 9: Thomas autem Emlynus Anglus longam habuit hac de re concertationem cum Petro Martini Doctore Ultrajectensi; cum enim iste anno 1717. dissertationem edidisset de hujus vers. *αὐθεντία*, Emlynus eam confutavit biennio post. Illi statim respondit Martinus, & Martino iterum se se opposuit Emlynus gallica epistola, quæ continetur Tom. VII. *de la Biblioth. Angloise* Part. I. num. 4.

(b) *In Histor. Critica* N. T. cap. 18., item in *Histor. Versionum* ejusdem N. T. cap. 9., ac demum in *Dissert. de variis N. T. codicibus manuscriptis*.

(c) Magnus Aurelius Senator Cassiodorus, postquam

129. Accedunt duæ epistolæ Romanorum Pontificum Hygini, & Joannis II., quæ quanquam supposititiæ sunt, ad fidem tamen in hac causa faciendam aliquid valere videntur. Prologus item *in epistolas canonicas*, qui S. Hieronymi nomen præfert, cujuscumque tandem auctoris fuerit (*a*).

130. In Ecclesia autem Africana, quæ priscis temporibus nulli alteri inter Occidentales doctrinæ laude cedebat, communis fere erat hujus versiculi traditio; nam, ut omittam Tertullianum, qui obscuram ejusdem mentionem facit *adv. Praxeam*, cap. 31., S. Cyprianus Carthaginensis Episcopus, *de unitate Ecclesiæ* c. 4. *De Patre*, inquit, *& Filio, & Spiritu sancto scriptum est: & hi tres unum sunt*. Cæcus est, qui non videt, hic digitum intendi ad controversum comma epist. primæ S. Joannis. Gemina fere habet in epist. ad Jubajanum.

131. Ulterius sæc. V. jam inclinante communiter prorsus in eadem Ecclesia Africana fuisse hunc versiculum pro genuino habitum, argumentum præbet longe evidentissimum celebris illa professio fidei, quam anno 484. Episcopi 461. in Concilio congregati, præside Eugenio Carthaginensi Antistite (*b*), Hunnerico Regi Arianorum obtulerunt. In ea enim Spiritus sancti divinitas, & cum aliis duabus Personis consubstantialitas hoc maxime versiculo comprobatur. *Et ut adhuc*, inquiunt illi Patres, *luce clarius unius divinitatis esse cum Patre, & Filio Spiritum sanctum doceamus, Joannis Evangelistæ testimonio comprobatur; ait namque: Tres sunt, qui testimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus; & hi tres unum sunt*. Numquam Ecclesia Africana, eo tempore florentissima, ausa fuisset hunc textum contra Arianos allegare, nisi vel apud ipsos Trinitatis hostes fidei fuisset indubiæ. Victor Vitensis, qui hanc fidei professionem refert Lib. III. *De persecutione Vandalica*, hunc eumdem versiculum calculis suis probat.

132. Accedit etiam ex eadem Ecclesia Africana S. Fulgentius Ruspensis Episcopus, qui Sæculo VI. ineunte magna doctrinæ, & pietatis laude florebat. Controversi autem commatis expressam mentionem fecit, tam in *Libro responsionum ad decem objectiones Arianorum* respons. 10., quam in altero *de Trinitate ad Felicem Notarium* c. 4. Imo in priori loco testimonium S. Cypriani supra a nobis allatum illustrat, dicens: *Tres sunt, qui testimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus. Quod etiam beatissimus Cyprianus in epist. de unitate Ecclesiæ confitetur, dicens .... Dicit Dominus: ego, & Pater unum sumus; & iterum de Patre, & Filio, & Spiritu sancto scriptum est: & hi tres unum sunt*. Ut nihil dicam de *Enarratione* pseudo-Athanasiana *in Symbolum* in art. *Credo in Spiritum sanctum*, quam Jos. Blanchinius ejusdem editor tribuit Vigilio Tapsensi. Ex his, aliisque monumentis concludere jure meritoque possumus, hunc Versiculum totius Ecclesiæ Africanæ, quæ inter omnes alias doctrinæ gloria olim eminebat, traditione fulciri.

133. In Gallia expressum, disertumque testimonium habemus S. Eucherii Lugdunensis Episcopi Sæculo V., qui in Libro *Formularum spiritualium* cap. 11. Versiculos septimum, & octavum distincte recitat. Ejusdem versiculi septimi mentionem, quamvis non omnino claram, faciunt Sanctus Phæbadius Aquitanus Sæc. IV. in Libro *Contra Arianos* versus finem, & Hilarius Pictaviensis in epist. prima (c). Addi etiam potest Autpertus natione Gallus, quamvis in Italia sæc. VIII. jam inclinante floruerit, qui Lib. I. in *Apocalypsim* comma controversum, ut minime dubium commemorat.

134. Nec desunt testimonia Ecclesiæ Hispanæ. Nempe ut missos faciam auctorem librorum ad Varimadum sub nomine Idatii Lib. I. c. I. (*d*); auctorem item librorum de *Trinitate* Athanasii nomine inscriptorum (*e*) Lib. I. circa finem, & iterum Lib. VII.; ut inquam hos omnes omittam, Etherius Uxamensis Episcopus, & Beatus Presbyter, uterque in primo libro adversus Elipandum Toletanum Antistitem sæculo VIII. memoratum versiculum habent.

135.

summis muniis in aula functus est sub Theodorico, Athalarico, & Vitigio, Gothorum Regibus, 70. circiter an. natus in Monasterium Vivariense se recepit; ubi nonagenarius obiit circa an. 539., ut videri potest in ejus vita inserta Tom. II. ejusdem Operum editorum a D. Jo. Garet Congr. S. Mauri. *Complexiones Cassiodori in epistolas, & acta Apostolorum, atque Apocalypsim* ex pervetusto codice Capituli Veronensis prodierunt in lucem an. 1721. Typis Florentinis cura cl. viri Scipionis Maffei. Iterum vero anno sequenti impressæ fuerunt Londini opera Samuelis Chandleri Presbyterianorum Ministri.

(*a*) De hoc prologo consuli possunt P. Martianæus Tom. I. Operum S. Hieronymi, & P. Remigius Ceillier Tom. I. *Dee anteurs Ecclesiast.* pag. 447., qui etiam observavit, hunc prologum inveniri in Codicibus manuscr. ante 900. ann.

(*b*) Sen, ut de eo loquitur Gennadius *de Scriptor. Ecclesiast.* cap. 97. *cum consensu omnium Africæ, Mauritaniæ, Sardiniæ, atque Corsicæ Episcoporum, & Confessorum, qui in Catholica permanserant fide, composuit librum fidei .... & per Collegas Confessionis suæ porrexit Hunnerico*.

(c) Inter opuscula veterum Patrum latinorum, doctissimo, solertissimoque viro Jo. Chrysostomo Trombelli in lucem edita Bononiæ 1751.

(*d*) Floruit Sæc. V. Sed libri contra Varimadum, seu Marivadum a nonnullis Criticis tribuuntur Vigilio Tapsensi Africano; a P. autem Montfauconio tribuuntur alteri Idacio Hispano Sæc. V.

(*e*) Inveniuntur in append. ad opera S. Athanasii; tribuuntur vero aut Idacio, aut Vigilio Tapsensi.

135. Addere denique possumus etiam testimonia Ecclesiæ Græcæ. Primo hic versiculus reperitur in *Lyturgico* Græcorum libro, qui Ἀπόστολος dicitur, in quo scilicet præter epistolas canonicas continentur Actus Apostolorum, & Apocalypsis; ubi etiam hic versiculus præcipitur legendus in feria quinta hebdomadæ XXXV. post Pascha (*a*). Deinde reperitur in professione fidei græco-latina edita in Concilio Lateranensi IV. an. 1215., cui duo Patriarchæ Constantinopolitanus, & Jerosolymitanus, Legati insuper duorum aliorum Patriarcharum, Alexandrini, & Antiocheni, pluresque alii Metropolitæ, & Episcopi græci adfuerunt; unde patet hac in re utriusque Ecclesiæ consensus, non modo nostra, sed superiore etiam ætate. Prætereo auctorem græcum *Disputationis contra Arium* in Concilio Niceno, qui inter opera Athanasii supposititia habetur.

136. Prob. secundo ex antiquis Codicibus tam græcis, quam latinis. Et latinorum quidem multo major est copia. Reperitur in Remensi, quo utebatur Hincmarus sæc. IX. (apud Martene in *Itinere litterario* P. II. pag. 79.), in Sangermanensi pariter sæc. IX. (Vid. Petrus Sabbathier in nota ad hunc Versic.) in Genevensi, Argentoratensi, & multis aliis ejusdem ætatis. Lucas Burgensis ex 33. Codicibus, quos multo labore lustravit, nonnisi quinque reperit hoc versiculo carentes. Ii etiam addi possunt, quibus Cardinalis Ximenes usus est ad suam editionem Complutensem Bibliorum an. 1510., in cujus præfatione dicitur, consulta fuisse *exemplaria antiquissima, quibus fidem abrogare, nefas videbatur*.

137. Atque, ne omnes commemorem, unum addo Codicem magni pretii PP. Prædicatorum Cœnobii Parisiensis, qui, ut observat P. Jacob. Echard (*b*), ante annum 1236. ex antiquis codicibus summa diligentia collatis exscriptus fuit. Uno verbo tanta latinorum codicum copia nobis suffragatur, ut Rich. ipse Simonius fateatur, circa sæculum X. *pauca extitisse latina exemplaria N. T.*, in quibus hic versus desideraretur.

138. Græci codices, qui hunc versiculum habent, pauci quidem sunt, non tamen nulli, ut nimia confidentia affirmavit Chandlerus in præfat. ad *Complexiones Cassiodori*. Memorandus ante alios venit codex Britannicus, a quo impulsus est Erasmus, ut versiculum hunc sacro contextui in tertia N. T. editione restitueret, cum in duabus prioribus omisisset. Alium antiquissimum Vaticanum memorat Amelotius. Tertius habetur in Academia Dublinensi. Calvinus, & Beza testantur, in melioribus codicibus græcis ætate sua extitisse; ac demum in pluribus aliis codicibus vetustis olim repertum fuisse, manifestum fit ex testimoniis supra num. 128. allatis.

139. Prob. tertio ex contextu. Nam primo in vers. 8. subditur: *Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, sanguis, & aqua*. Certe τὸ *in terra* minus congrue appositum videretur, nisi in versic. præcedente dictum fuisset: *tres sunt, qui testimonium dant in cœlo*. Præterea in versic. 9. dicitur: *si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est*; quæ Joannis verba manifeste supponunt utrumque versiculum præcedentem, septimum quidem, in quo testimonium divinum allegatur, & octavum, in quo continetur testimonium humanum. Tertio, quorsum illa clausula in versu octavo de spiritu, aqua, & sanguine, *& hi tres unum sunt*, nisi in superiore versiculo de Patre, Filio, & Spiritu Sancto dictum pariter fuisset: *& hi tres unum sunt?* Unde fit, hunc versiculum ita ad contextum pertinere, ut sine eo mutilus & hiulcus videatur.

140. Demum, ut alia minutiora prætereamus, observante Sancto Thoma (*in Comment.* in II. Lib. *Decret.* Opusc. XXIV.), ex eo etiam maxime probabile fit, eum versiculum vere S. Joannis esse, quod cum ejusdem Evangelio mirifice cohæret; in eo enim hæc tria testimonia divinitatis Christi laudantur; Patris quidem tam in baptismo, quam in transfiguratione, unde c. V. 37. ejusdem Evangelii dicebat Christus: *Qui misit me Pater, ipse testimonium perhibet de me*; Patris iterum & Filii simul cap. VIII. *ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater*; ac denique Spiritus sancti cap. XV. 26. *Ille* (Spiritus sanctus) *testimonium perhibet de me*. Ex quomodo versiculus ille septimus cum Evangelio S. Joannis mirifice cohæret; ut proinde sin minus demonstrativum, saltem valde probabile argumentum habeatur, eumdem esse genuinum.

141. His omnibus accedit auctoritas Concilii Tridentini, a quo omnes utriusque testamenti libri, cujusmodi in nostra Vulgata reperiuntur, cum omnibus suis partibus, ut sacri, & Canonici recepti sunt; nam Sess. IV. ita decretum fuit: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt & in veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris, & canonicis non susceperit ....anathema sit*.

142. Obj. primo contra primam auctoritatem S. Cypriani. Probabiliter S. Martyr iis verbis digitum intendit ad versic. octavum: *tres sunt, qui testimonium dant in terra &c.* quem mystice ad Sau-

(*a*) Leo Allatius in Diss. *de lib. ecclesiasticis græcorum* ostendit, lectionem harum epistolarum esse in Ecclesia græca antiquissimam. Hic autem liber primo prodiit Venet. typis an. 1602.

(*b*) In *Script. Ord. FF. Prædicat.*, ubi de Hugone de S. Charo Tom. I. Vid. etiam P. Gabr. Fabricy T. II. *Des titres primitifs de la revelation* n. 132. in not.

Sanct. Trinitatem refert secundum receptam inter Afros ejusdem intelligentiam. Nam primo similiter fecit etiam Sanct. August. Lib. II. *contra Maximinum* c. 25. ubi prætermisso versic. septimo solum octavum citat, & allegorice trahit ad divinam Trinitatem significandam. Secundo, Facundus Hermianensis pariter Afer in Lib. I. *pro defensione trium Capitulorum* c. 4. loquens de octavo versic., in quo mystice sanctam Trinitatem significatam putat, *Quod tamen testimonium*, inquit, *B. Cyprianus in epistola, seu libro, quem de Trinitate scripsit*, de *Patre*, *& Filio*, *& Spiritu sancto dictum intelligit:* non ergo ex S. Cypriano &c.

145. Resp. nullo modo verisimile esse, Sanct. Cyprianum mysticam illam interpretationem afferre voluisse sine ulla prævia explicatione, & absolute pronunciare: *de Patre*, *& Filio*, *& Spiritu sancto scriptum est; & hi tres unum sunt*. Quibus verbis sententiam litteralem, & obviam, nulloque glossemate indigentem supponit, qualis certe non est mystica, & allegorica explicatio versiculi octavi de Trinitate divina.

144. Quod autem Richardus Simonius ex S. Augustino addit, responsionem nostram mirifice confirmat. Quia enim Sanct. Doctor novam, & mysticam interpretationem afferebat, eam pluribus verbis explicat, ut probabilem lectoribus reddat, eamdem sibi inquirenti occurrisse dicit, ac demum concludit, quamcumque aliam hujus loci interpretationem respuendam non esse, dummodo nec confundat, nec separet Trinitatem. Nihil tale præstitit Sanct. Cyprianus, non alia certe de causa, nisi quia litteralem versiculi septimi sententiam recitabat, non mysticam afferebat versic. octavi interpretationem.

145. Inst. Quare S. Augustinus mysticam versiculi octavi interpretationem contra Maximinum Arianum attulit, litteralem vero versiculi septimi sententiam omisit?

146. Resp. Versiculum septimum ad rem, quam S. August. tunc agebat, minime pertinuisse. Nimirum contra Arianos disputans principii loco constituerat, nullibi in sacris litteris de diversis substantiis dictum reperiri: *unum sunt;* unde colligebat, ea Christi verba Joann. X. 30.: *ego*, *& Pater unum sumus* unitatem essentiæ significare. Opponebat autem Maximinus Arianus vers. octavum S. Joan., ubi de spiritu, sanguine, & aqua dicitur: *unum sunt*. Ut igitur Augustinus hanc solveret difficultatem, in medium attulit mysticam Trinitatis divinæ significationem.

147. Ceterum an S. Augustinus versiculum septimum *ignoraverit*, an vero aliquibus de causis ejus mentionem facere prætermiserit, certo definire nolim. Sed etiamsi S. Pater in suis codicibus laudatum comma non habuerit, inde non efficitur, illud esse suppositititum, aut fuisse aliis Africæ Præsulibus ignotum.

148. Ad alteram difficultatem resp. Facundum deceptum fuisse vitio sui codicis, in quo septimum versiculum desideratum fuisse videtur; quamobrem testimonium S. Cypriani ad versiculum octavum retulit. Non tamen magni faciendus est in rebus Facundus, quod nec Cnnonius ipse diffitetur (Diss. *De manuscriptis N. T.* p. 85.); præcipue cum lapsus sit etiam in laudando libro S. Cypriani, cui titulum affingit *de Trinitate*; cum inscriptus sit *de unitate Ecclesiæ*. Facundo longe anteponendus est S. Fulgentius, qui ut vidimus, S. Cypriani locum mirifice illustrat.

149. Ob. secundo contra probat. ex professione fidei Africanorum Antistitum. Verba illa ex versiculo septimo deprompta adulterina manu assuta videntur: *commode enim*, inquit Crellius, *ab eodem Confessionis loco abesse possunt, contextu salvo; & si series argumentationis accurate perpendatur, non apto loco a falsariis hujus Confessionis intrusa videntur*: ergo &c.

150. Resp. Si semel suscipiatur hæc intemperantis falsæque critices regula, quot, & quanta poterunt ab operibus Sanct. Patrum ut supposititia rejici? Nimirum quotiescumque, ut sæpe solent, pleraque afferunt ad aliquid comprobandum Sacræ Scripturæ testimonia, poterit quisque judicio, & arbitratu suo quodcumque libuerit expungere, quia quodlibet abesse potest, salvo contextu. Falsissimus est autem Crellius, cum addit, non apto in loco ea verba posita esse; immo vero aptissimo: quid enim ad comprobandum, Spiritum S. esse aliis duabus Personis consubstantialem magis aptum, quam laudatus versiculus S. Joan. *Tres sunt*, qui *testimonium dant* &c.?

151. Obj. tertio Crellius contra S. Fulgentii testimonium. Ea verba ab aliquo interpolatore intrusa esse patet ex eo, quod idem Sanct. Fulgentius Lib. VI. *contra Fabianum Arianum* fragmento 21. inquit: *B. vero Joannes Apostolus evidenter ait: & tres unum sunt, quod de Patre, & Filio, & Spiritu sancto dictum, sicut superius, cum rationem flagitaret, ostendimus*. Ex quibus verbis sic ratiocinatur Socinianus acutus. S. Fulgentius hoc loco manifeste alludit ad versiculum octavum, quia si de versu septimo locutus fuisset, necesse plane habebat rationem Fabiano reddere, ob quam illa verba: *tres unum sunt* de Patre, Filio, & Spiritu sancto dicta sint; nec eam flagitasset Fabianus, cum litteraliter in eo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus nominentur. Si autem supponatur, Sanct. Fulgentium allegasse versiculum octavum, tunc certe poterat Fabianus rationem flagitare, cur de sanctissima Trinitate versiculus ille intelligeretur, eamque S. Fulgentius afferre tenebatur. Quod si concedatur, Sanct. Fulgentium eo loco allegasse versiculum octavum, sequitur manifeste eum ignorasse versiculum septimum, qui certe illi magis ad rem erat contra Arianos; ac demum si versiculum septimum S. Fulgentius ignoravit, sequitur supposititia esse omnia ea loca, in quibus ejusdem mentionem facit.

152.

152. Resp. Crellium hic nodum in scirpo quærere, & ex ambigua atque obscura locutione contra clara atque evidentia verba argumentum sumere; quod eorum esse solet, qui tenebras magis diligunt, quam lucem. Nisi temporis edacitas nobis majorem partem invidisset 12. librorum Fulgentii contra Fabianum, liquido appareret, quænam esset ratio a Fabiano efflagitata, reddita autem a Fulgentio; nunc antem nonnisi ariolari possumus. Satis tamen probabile est, controversiam epectasse αὐθεντίαν illius versiculi, quam fortassis Fabianus mendosis codicibus innixus in dubium revocabat. Fortasse etiam S. Fulgentius ostenderat, versiculum octavum esse non minus, quam septimum ad divinam Trinitatem referendum.

153. Ob. quarto Chandlerus (in Præf. ad *Complex. Cassiodori* edit. Londin. 1722.) contra testimonium Cassiodori. Probabile est, hunc auctorem, utpote latinum, nonnisi latinis codicibus, iisque corruptis fuisse usum; ergo ex hoc auctore firmum argumentum deduci nequit &c.

154. Resp. nihil minus verisimile fingi posse; nam Cassiodorus *Instit. divin. litterarum* cap. 14. una cum S. Augustino monet, *latinos codices veteris, novique testamenti, si necesse fuerit, græcorum auctoritate esse corrigendos*. Ulterius dicit, se Monachis suis *Pandectim*, & alios græcos codices reliquisse: quæ omnia argumento sunt, hunc præclarum, magnoque judicio præditum Scriptorem codices græcos minime prætermisisse. Etsi vere demus, fuisse jam ea ætate plurimos codices vitiatos, ea tamen Cassiodorus usus est diligentia, quæ ad menda præcavenda erat necessaria (a).

155. Ob. quinto una cum Thoma Emlyno (in *resp. ad diss. Petri Martini*) contra testimonium S. Eucherii. Locum illum corruptum fuisse, merito suspicari possumus. Primo quia Jo. Brassicanus primus editor Operum S. Eucherii (in ep. præmissa ejus editioni) fatetur, totum opus *Formularum* fuisse plenum mendis, a se vero restitutum, adjectis iis, quæ deerant; facile igitur est credere, ea etiam verba S. Joannis fuisse ab eo adjecta. Secundo idem S. Eucherius in opere *de quæstionibus difficilioribus veteris, ac novi testamenti* ad ep. 4. S. Joannis observat, majorem Interpretum partem versic. octavum mystice de sancta Trinitate intellexisse; quomodo vero mysticam hanc interpretationem ipse allegasset, imo & probasset, si ei cognitus fuisset versiculus septimus, in quo litterali sensu eadem sancta Trinitas continetur? Tertio S. Eucherius eo in loco *Formularum* agit de numeris, quorum significationes trahuntur ab ipso ad sensum mysticum: non est ergo verisimile, eum voluisse afferre versiculum septimum, qui litteralis est, sed potius octavum, qui ad allegoricam significationem pertinet.

156. Resp. ad primum, Brassicanum utique testari, libros *Formularum* S. Eucherii maxima ex parte fuisse fœde vitiatos, a se vero perdiligenter emendatos, non tamen ex proprio marte, sed ex codice Ms. *integro, & egregio, quem sibi Jo. Artmannus Abbas sanctæ Crucis in Austria communicavit:* quo eodem codice usus est etiam Galesinius in edit. Rom. an. 1564. apud Paul. Manutium.

157. Ad secundum, nullum videtur inconveniens quod S. Eucherius in Lib. *de quæst. difficilioribus* mysticam interpretationem attulerit versic. octavi; alibi vero sensum litteralem versiculi septimi alleget; præcipue quia in priori opere profitetur, *non suo ex ingenio, sed ex illustrium Doctorum judicio se respondere* (in ep. nuncupat. ad Salonium) unde quæ epud illos invenit, afferre debuit.

158. Tertium leve est, ac plane falsum; neque enim solum allegorias in numeris ibidem consectatur Eucherius, sed etiam plerasque litterales significationes affert: ut cum in num. I. Dei unitatem agnoscit, in num. II. duo præcepta caritatis, in IV. nomen tetragrammaton litteris hebraicis scriptum &c.

159. Ob. quinto. Controversus versiculus septimus in multis codicibus tum latinis, tum maxime græcis desideratur. Deest in septem Mss. bibliothecæ Regis Galliæ, in quinque bibliothecæ Colbertinæ, in septem, quibus usus est Robertus Stephanus; in duobus Brugensibus S. Donatiani, teste Erasmo; in uno Vaticano, in omnibus fere versionibus Syriaca, quæ est omnium antiquissima, Arabica, & Æthiopica, quæ in Bibliis polyglottis continentur. Deest item in Lectionario gallico, ut fatetur Mabillonius (in Append. II. ad Liturgiam gallicanam), in editione Aldina &c. Præterea in aliquibus codicibus hic versus postponitur octavo; in aliis positus est ad marginem; in quibusdam supra lineam, unde conjicit Simonius, eum fortasse ex ora libri, ubi instar scholii explicationis causa positus fuerat, sensim in textum irrepsisse. Similia exempla non desunt; ut illa verba Lucæ IV. 19. *dimittere confractos in remissionem* putant bene multi fuisse primo posita in margine, postea migrasse in textum. Etiam Patres Benedictini (*Nov. Traité Diplomat.* T. III. p. 195.) afferunt antiquum codicem Mss. temporum Carolinorum, in quo ita habetur: *Spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt; & tres sunt, qui testimonium dicunt in cœlum, Pater, Verbum, & Spiritus, & hi tres unum sunt in Christo Jesu* (b).

160. Resp., ex iis, quæ superius dicta sunt, a-

(a) Vid. adversus Chandlerum Scipio Maffejus in *Observationibus litterariis* Tom. I. anni 1737. & in calce *Hist. theologicæ de Gratia*.

(b) Plures hic abutuntur auctoritate Rob. Stephani, qui in sua Bibliorum editione anni 1550. ex collatione 16. Codicum adornata, septem tantummodo hoc ver-

abunde constare, codices alios bene multos, & probatæ fidei, latinos præsertim, versicolum controversum habere; eos vere esse aliis anteponendos doabns rationibus demonstro. Primo, quia facile contingere potuit, unius, aut plurium librariorum oscitantia, ut versus septimus aut octavo postponeretor, aut plane omitteretur, præcipue quia eadem verba tam in principio, quam in fine habet, ac versus octavus. Similis negligentiæ præsto sunt exempla non pauca. S. Hieronymus Lib. VI. *Comment.* in Jeremiam observat, versum decimomquintom cap. III. Jeremiæ desiderari apod LXX. Interpretes, incuria exscriptoris prætermissum, propter ea verba bis repetita *propter multitudinem iniquitatis suæ*; idemque S. Hieronymus Lib. XI. in Isaiam c. 40. aliud simile exemplum affert. P. Martianæus disserens de auctore *Prologi in epistolas canonicas* observat, a quibusdam librariis fuisse omissum versiculum 37. c. XXI. Josue propter eorumdem verborum repetitionem: *civitates quatuor cum suburbaniis suis*; ulterius invenit Vallarsius codicem pervetustum Capituli Veronensis, in quo versiculus octavus desiderabatur, de cujus tamen *αὐθεντία* nemo dubitat (Tomo X. Operum S. Hieronymi). Alium similem codicem publicæ bibliothecæ Basileensis carentem versiculo octavo memorat Erasmus ad hunc locum. Denique ne infinitus sim, simillimum exemplum habemus in Lib. I. Facundi Hermianensis *pro defens. trium capitulorum*, ubi enim dicitur cap. 5. edit. Parisiensis P. Jac. Sirmondi: *non ergo ait Joannes, tres sunt personæ, quæ testificantur in terra, spiritus, aqua, & sanguis, hi tres unum sunt. Quid ergo &c.*, magnum mendum cubat, quod in editione Veneta anni 1728. ex collatione com antiquissimo Mss. Capituli Veronensis sublatum est, atque ita lectio restituta, *non ergo ait Joannes: tres sunt personæ, quæ testificantur in terra, spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt. Sed hoc potius: tres sunt, qui testificantur in terra, spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt. Quid ergo &c.* Hoc mendum nonnisi incuria exscriptoris factom est: simili itaque modo &c.

161. Secunda ratio præferendi codices nostros codicibus adversariorum hæc est, quia via credi potest, malitia, vel casu fuisse ea verba notatu dignissima, & non pauca, ea margine in textum intrusa. Primo enim non defuisset, qui illico fraudem, vel errorem subodorati essent, nullum quippe unquam fuit additamentum factum, quod non statim acuti homines non animadverterint. Præterea in hujusmodi additionibus perturbari solet periocha, & textus vitiari: hic contra aptissime fluit contextus posito eo versiculo; perturbatur autem, eo omisso. Demum si a Latinis facta fuisset hæc additio, quomodo eam sine murmure Græci suscepissent, Latinorum æmuli, ac hostes aperti? Et vicissim non tacuissent Latini, si Græci id tentassent.

162. Nihil autem valent conjecturæ a Simonio allatæ codicum, in quibus versiculus vel ad marginem, vel supra lineam scriptus fuit; non desunt enim codices vetustiores, qui versiculum suo loco habent; unde potius dicendum est, librarios, omissione animadversa, defectum, uti potuerunt, supplere voluisse. Hinc nonnunquam eadem prorsus manu versiculus additus reperitur, ut in codice olim Corbejensi, nunc Sangermanensi.

163. Quod de versiculo 19. c. IV. S. Lucæ objectum fuit, primo non est certum, & *nil valet exemplum, litem quod lite resolvit*. Secundo cum illa pauca verba nullam controversiam contineant, etiamsi de margine in textum migrassent, facilius id potuisset dissimulari, aut ignorari, quam versiculus Sancti Joannis, qui maximi momenti est.

164. Ob. ultimo. Si versiculus controversus genuinus esset, eo certe usi fuissent S. Patres ad hæreses confutandas, quæ divinæ Trinitatis mysterium corrumpebant; atqui eumdem alto silentio prætereunt pene omnes, paucis illis exceptis, quos supra n. 128. memoravimus: ergo &c. Sic ex. gr. S. Irenæus ut Christi divinitatem contra Alogos probaret, sæpe hac S. Joannis epistola, & ipso etiam cap. V. usus est, quin tamen versiculum septimum memoret. (Vid. Lib. III. *contra Hæreses* c. 18.) S. Ambrosius in Lib. *de Spiritu sancto* eum omittit, ubi tamen quotquot potuit ad ejus divinitatem probandam S. Scripturæ testimonia collegit. Omiserunt pariter S. Athanasius, Hilarius, Gregorius Nazianz., Basilius, & alii; qui pro sancto Trinitatis dogmate vindicando, omnium maxime desudarunt, imo, quod mirabilius est, ii Patres nonnunquam usi sunt versiculo octavo mystice intellecto ad Trinitatem defendendam, ut S. Dionysius Alexandrinus scribens ad Paulum Samosatenum, & S. Augustinus Lib. II. *Contra Maximinum* c. 22.; quanto magis usi fuissent versiculo septimo, si eum genuinum esse existimassent? Vid. Millius ad hunc locum sui *novi Testamenti*.

165. Resp., hoc argumentum negativum esse quod nullius ponderis est, ubi argumenta positiva præsto sunt, ut nemo ignorat, qui sanioris Critices regulas vel a limine salutaverit. Hoc versiculo usi sunt 461. Episcopi Africani, una cum Eugenio Carthaginensi Antistite contra Hunnericum Regem Arianum; usus est S. Fulgentius in responsionibus ad objectiones Arianorum; usi sunt multi alii supra num. 128., & seq. laudati. Quod autem alii multo plures omiserint, non una esse po-

siculo caruisse, testatur; unde concludunt, in aliis novem extitisse. Sed minus recte; nam ex illis 16. Codicibus septem tantum epistolas canonicas continebant, quo fit, ut in omnibus defuerit.

potuit causa; prima quidem, & omnium maxime probabilis, quod in eorum codicibus vitiatis non inveniretur. Altera etiam omissionis causa esse potuit, quod nollent cum adversariis cavillosis, & vitilitigatoribus novas & importunas controversias de hujus versiculi *αὐθεντία* suscitare; præcipue cum alia non deessent sacræ Scripturæ testimonia ad catholicam Trinitatis fidem propugnandam.

166. Colligite, audiendum non esse Erasmum, qui pro certo habens, Prologum in epistolas canonicas esse fœtum S. Hieronymi, inde infert, sanctum hunc Doctorem pia fraude illum versiculum sacro textui inseruisse. Putida calumnia hæc est; tum quia, ut demonstravimus, monumenta suppetunt Hieronymo antiquiora pro *αὐθεντία* hujus commatis; tum etiam quia viris doctis satis probabile est, Prologum esse Hieronymi ævo recentiorem (*a*).

CAPUT IV.

Refellitur hæresis Sabelliana ex traditione Sanctorum Patrum.

167. Et primo quidem argumento generali, & *præscriptionis*, ut vocant. Etenim dogma distinctionis trium personarum a primis usque temporibus in Ecclesia semper viguisse, vel ex eo solum luculenter apparet, quod statim ac Noetus, Praxeas, Sabellius, aliique hujusmodi pestilentissimi homines divinarum Personarum distinctionem tollere conati sunt, omnes fideles contra ipsos veluti Novatores pro antiquæ catholicæ fidei defensione insurrexerunt. Contra Praxeam distinctionem Personarum vindicavit Tertullianus, qui etiam in cap. 1. libri, quem adversus ipsum conscripsit, narrat, eum fuisse ad palinodiam coactum, imo ejusdem emendationis *manere chirographum*, licet postea excussa fronte ad errorem redierit (*b*).

168. Noetum impugnavit S. Hyppolitus Episcopus & Martyr in eo libro, vel homilia, quæ inscripta est *de Deo uno, & trino, & incarnatione*; ubi etiam num. 1. narrat, Noetum contumacem fuisse ab Ecclesia ejectum, quod S. Epiphanius quoque *Hæresi* LVII. confirmat.

169. Denique quando majori licentia eadem hæresis de novo erupit, obstetricante Sabellio, S. Dionysius Alexandrinus contra eam fortissime dimicavit; tum alius Dionysius, quam Romanam regebat Ecclesiam, non minus Sabellii blasphemias, qui tres confundebat divinas Personas, quam illum quorumdam errorem, qui tres Deos prædicabant, condemnandum judicavit. Vide Fragm. epist. II. T. I. *Conciliorum* p. 1012. edit. an. 1759.

170. Eadem sanctissimæ Trinitatis catholica fides in duobus Antiochenis Conciliis contra Paulum Samosatenum annis 264., & 269. celebratis multorum Patrum consensu confirmata fuit. Ex quibus apparet, quænam fuerit de hoc augustissimo nostræ Religionis mysterio trium præcipuarum Ecclesiarum fides, Romanæ scilicet, quæ supra ceteras omnes primatum tenet, Alexandrinæ, quæ secundum, & Antiochenæ, quæ tertium dignitatis gradum tunc obtinebat.

171. Sed ulterius facile refellitur Sabelliana hæresis adductis nonnullis veterum Patrum testimoniis, qui unum Deum in Trinitate Personarum aperte prædicarunt. Omnium autem agmen ducit S. Clemens Petri in apostolica Sede post Linum successor, cujus luculentissimam sanctæ Trinitatis confessionem nobis exhibet S. Basilius Lib. *de Spiritu sancto* c. 29. his verbis: „ Sed & antiquior „ Clemens *vivit*, inquit, *Deus*, *& Dominus noster Jesus Christus*, *& Spiritus sanctus* “. Quis neget hic tres distinctas numerari Personas?

172. Accedit S. Justinus Martyr, qui in *Apologia* I. Imperatori Antonino circa annum 150. oblata n. 13. atheismi calumniam a Christianis ex eo depellit, quod tres plane Personas divinas adorent. Imo tot sunt hujus S. Martyris de sancta atque individua Trinitate testimonia, ut nonnullis recentioribus Socinianis in mentem venerit fabulandi, Justinum fuisse primum, qui Trinitatis mysterium ex philosophia Platonica in Christianam religionem invexerit. Vid. supra num. 27.

173. Athenagoras etiam Justino fere coævus in celebri sua *Legatione pro Christianis* oblata Imperatoribus M. Aurelio Antonino, & L. Aurelio Commodo anno 177. num. 20. eamdem atheismi calumniam dispungens, *quis igitur non miretur*, inquit, *cum atheos vocari audiat eos, qui Deum Patrem, & Filium Deum, & Spiritum sanctum asserunt, ac eorum in unione potentiam, & in ordine distinctionem demonstrant?* Eadem habet n. 12. & 24.

174.

(*a*) De tota hac quæstione videri possunt Lud. Rogerius Bituricensis Ecclesiæ Decanus *in Diss. critico theolog. de his Evangelistæ verbis: tres sunt &c.* Parisiis 1723. in 12., P. Prud. Maran Ord. S. Benedicti in opere: *Divinitas D. N. J. C. in script. & tradit.* Part. II. cap. 19., P. Jo. Franc. Bern. Maria de Rubeis *in Diss. de tribus in cœlo testibus* &c. Venetiis 1755., P. Calmet in Diss., & Scipio Maffejus in Diss. *de Cassiodori Complexionibus* Tom. III. *Thesauri theolog.*... Ephemerides Trevoltianæ Mense Febr. an. 1714. art. 17. memorant opus Frid. Ernesti Kefneti, cui titulus: *Vindiciæ novæ dicti vexatissimi de tribus in cœlo testibus oppositæ Christoph. Sandii interpretationibus &c.*

(*b*) Frustra laborat Jo. Clericus in *Hist. Ecc.* ad annum 186., probare contendens, totam Tertullianum inter & Praxeam controversiam in eo fuisse, quod Tertullianus Patrem, & Filium duas esse substantias diversas doceret, negaret autem Praxeas. Nimirum, si superis placet, orthodoxuserit Praxeas, Tertullianus autem hac in parte hæreticus.

174. Eodem sæculo II. S. Irenæus Lugdunensis Episcopus Lib. IV. *contra hæreses* cap. 14. *Et propter hoc in omnibus, & per omnia unus Deus Pater, & unum Verbum, & unus Filius, & unus Spiritus, & una fides, & salus omnibus credentibus in eum.*

175. Tertullianus quoque sæculi II., & III. illustris Scriptor in Lib. adv. Praxeam cap. 13. *Et Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus sanctus Deus, & Deus unusquisque;* & adeo aperte trinm divinarum Personarum distinctionem Tertullianus prædicabat, ut visus sit Jo. Clerico (*Hist. Eccl.* sæc. II. anno 186. num. 4.) in oppositum Tritheitarum scopulum incidisse; a qua tamen injusta criminatione haud difficile est eum liberare.

176. S. Cyprianus pariter magnum Ecclesiæ Africanæ lumen sæculo III. in Libro *de Unitate Ecclesiæ* inquit: *de Patre, & Filio, & Spiritu sancto scriptum est, & hi tres unum sunt*, allegans scilicet versiculum septimum cap. V. epist. I. S. Joannis, ut supra num. 130. demonstravimus.

177. Ac ne longum faciam, omnes veteres Ecclesiæ Patres complexus est S. Augustinus Lib. I. *de Trinit.* c. 4. inquiens: *Omnes, quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quæ Deus est, divinorum librorum veterum, ac novorum catholici tractatores, hoc intenderunt secundum scripturas docere, quod Pater, & Filius, & Spiritus sanctus unius ejusdemque substantiæ inseparabili æqualitate divinam insinuant unitatem; ideoque non sunt tres Dii, sed unus Deus.* Ex traditione ergo &c.

178. Ob. primo. Si in Ecclesia Catholica a primis usque temporibus sanctissimæ Trinitatis doctrina viguisset, Ethnici, qui nihil studiosius quærebant, quam ut Christianis calumnias instruerent, eos polytheismi accusare non prætermisissent; at vero iis potius atheismum objectum scimus, qui absurdissime eis fuisset objectus, si trinum Deum prædicassent. Ulterius Philosophi pagani, ut Porphyrius, Celsus, Julianus, aliique Christiano nomini infensi, qui ex philosophia quidquid poterant, adversus nostram religionem objiciebant, aliquas saltem difficultates contra hoc tam sublime mysterium movissent. Hoc hostium nostrorum silentium haud leve suppeditat argumentum, Trinitatis dogma esse recentiorum hominum commentum, veteribus prorsus ignotum.

179. Resp. primo, mirandum non esse, potuisse primis Ecclesiæ temporibus angustissimum Trinitatis dogma Gentiles latere; vigebat enim ea ætate *disciplina Arcani*, qua nedum sacramenta, sed etiam quædam mysteria profanis hominibus occultabantur, ne eorum derisionibus exponerentur; ut de Trinitate potissimum probat Emmanuel a Schelestrate (in *Dissert. apologet. de discipl. arcani* adversus Tentzelium). Unum audire sufficiat S. Cyrillum Jerosolymit. *Catechesi VI. Non enim, inquit, Gentili cuiquam de Patre, Filio, & Spiritu sancto arcana mysteria declaramus: neque palam apud Catechumenos de mysteriis verba facimus, sed multa sæpe loquimur occulta, ut Fideles, qui rem tenent, intelligant, & qui non tenent, non lædantur.* Quanquam ubi opus fuit, etiam nostræ religionis Apologistæ hoc mysterium non celaverunt, ut de Justino, & Athenagora superius observavimus num. 172. & 173.

180. Falsum insuper est, nunquam ethnicos sapientes ex mysterio Trinitatis ansam arripuisse nostros calumniandi. Nam S. Justinus in sua prima *Apologia* fere totus est, ut ora Gentilium obstruat, qui Christianos accusabant, quod Christum adorarent ut Deum. Ulterius Praxeas polytheismum nostris maxime objiciebat apud Tertullianum in Libro contra ipsum, quanquam hic ethnicus non fuit. Nonnullæ etiam apparent difficultates contra hoc mysterium ab ethnicis excitatæ in libris Origenis contra Celsum. Ac demum addere possumus dialogum Luciani, seu alterius ethnici Luciano coævi, qui *Philopatoris* inscribitur, irrisionibus S. Trinitatis plenum (a).

181. Ob. secundo. Veteres sancti Patres Filium dixerunt esse sapientiam Patris in ipso existentem; Patrem Verbo nunquam caruisse, quia semper rationalis fuit; nec unquam eo carere posse, nisi rationalis esse desinat, quibus phrasibus aperte indicant, se nomine *Verbi* non personam a Patre distinctam, sed ejusdem Patris attributum intellexisse. Ita inter alios Tatianus in *Orat. contra Græcos*, Athenagoras in *Legatione pro Christianis*, & Theophilus Antiochenus in Lib. II. *ad Autolicum* (Verba inferius afferentur Dissert. III. cap. 7.).

182. Resp., ita locutos esse nonnullos veteres, ut significantius exprimerent unitatem substantiæ numericam in Patre, & Filio; docebant propterea, Filium esse quidem ipsam sapientiam Dei, genitam tamen, & subsistentem, non autem eam, quæ de Deo prædicatur ut ejus attributum. Easdem phrases adhibuerunt etiam quidam Patres hæresi Sabelliana posteriores, de quorum recta fide suspicio nulla esse potest. Unum laudare sufficiat S. Augustinum, qui in Libro *de Fide, & Symbolo* de æterni Patris Filio ait: *neque ex* tem-

(a) Jo. Alb. Fabricius *Biblioth. græca* Lib. IV. cap. 16. hunc dialogum Luciano tribuit, sed alii repugnant. Adi-sis Jo. Bapt. Gesneri disputationem *de ætate, & auctore dialogi Luciani, qui Philopatoris inscribitur* in Tomo III. Operum Luciani edit. Amstelodami. Ita autem in eo dialogo Trypho inducitur jurans:

Ὑψιμέδοντα θεὸν μέγαν, ἄμβροτον, οὐρανίωνα
Υἱὸν πατρὸς, πνεῦμα, ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον
Ἓν ἐκ τριῶν, καὶ ἐξ ἑνὸς τρία
Ταῦτα νόμιζε Ζῆνα, τόνδ' ἡγοῦ θεόν.

Per magnum regem cælestia regna tenentem,
Morte carentem omni, natum patris inde profectum,
Ex patre flumen, tria de uno, atque ex tribus unum,
Jupiter hæc tibi sunt, solum hoc pro numine habeto.

tempore genitus, *quia sempiternus Deus sempiternam habet secum sapientiam suam*.

183. Ob. tertio. S. Gregorius Thaumaturgus in Dialogo cum Æliano *Patrem*, *& Filium mentis quidem cogitatione duo esse*, *sed hypostasi unum*, dixit.

184. Resp. cum S. Basilio Ep. CCXX., alias LXIV.; hoc a S. Gregorio dictum fuisse non docendi animo, sed decertandi causa; multa etiam esse in ea disputatione librariorum errata; ac demum nonnulla fuisse minus accurate dicta quantum ad modum loquendi, quia S. Gregorius nonnihil indoli sui adversarii gentilis concedendum putavit, ne ille iis, quæ præcipua, & essentialia erant, repugnaret. Verba S. Basilii hæc sunt: *Hoc autem non docendi causa*, *seu decertandi in Dialogo cum Æliano dictum esse intelligere non potuerunt* (Sabelliani) ... *Qua in disputatione multa sunt librariorum errata* .... *Deinde vero Gentilem erudiens non existimabat accuratius disceptandum esse de verbis*, *sed nonnihil etiam indoli illius*, *qui introducebatur*, *concedendum*, *ut ne iis*, *quæ præcipua sunt*, *repugnaret*. Quæ S. Basilii verba etiam laudavit Facundus Hermian. Lib. X. pro *Defens. trium Capitul.* cap. 6.

C A P U T V.

Ostenditur, *mysterium Trinitatis non esse contra rationem*.

185. Veteres, novique Sabelliani auctoritate Scripturarum sanctarum, atque Apostolicæ traditionis victi, rationibus bellum instaurant, demonstrare conantes, Trinitatis mysterium cum naturali ratione adversa fronte pugnare. Iis mirifice favent Petrus Bælius, & Jo. Tolandus, contendentes Trinitatis dogma, imo cetera sanctissimæ nostræ religionis mysteria, nedum esse supra rationem, sed plane contra rationem (*a*).

186. At vero contra hos facile probatur, sacrosanctæ Trinitatis mysterium rectæ rationi minime repugnare, quamvis, ut supra capite I. demonstratum fuit, eam longe superet. Ut enim recte observat S. Thomas Lib. I. *cont. Gent.* cap. 7., verum vero contrarium esse non potest, quia impossibile est, idem simul esse & non esse: pugna igitur esse non potest, nisi inter verum, & falsum; atqui quod recta ratio dictat, principiis innititur per se notis, quæ falsa esse nullo modo possunt; mysterium pariter Trinitatis, utpote a Deo in sacris litteris, ac divina traditione revelatum falsum esse nequit: ergo nulla esse potest inter ipsum, rectamque rationem contradictio, aut pugna.

187. Confirmatur hoc ratiocinium, quia recta hominis ratio est participatio quædam supremæ, & infinitæ illius rationis, quæ in Deo est, seu, ut loquitur Angelicus, *est principiorum naturaliter notorum cognitio nobis divinitus indita*. Cum ergo Deus *negare seipsum non posse*, ut inquit Apostolus 2. ad Timoth. II. 15. sequitur, nullum mysterium a Deo revelatum suæ rationi repugnare posse. Vid. Tom. I. Diss. II. cap. 7.

188. Hoc ipso argumento Synodus œcumenica Lateranensis V. sub Julio II., & Leone X. usa est, ad eorum errorem condemnandum, qui post Petrum Pomponatum dicebant, animos hominum, si fidem spectemus, esse immortales; mortales autem, si rationis lumen consulamus. *Cum vero*, inquiunt Patres Sess. VIII. *verum minime contradicat*, *omnem assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam omnino falsam esse definimus* (*b*).

189. Ob. primo. Ratio naturalis non potest attin-

(*a*) Agit hac de re Bælius multis in locis suorum operum, præcipue autem in *Respons. ad Quæstiones cujusdam Provincialis*. P. II. c. 259. & in Diction. art. *Pyrrhon* rem. B. Tolandus autem cum in aliis suis scelestissimis libris, tum maxime in eo, cui est titulus, *La religion Chretienne sans mysteres*.

(*b*) Lutherus etiam docuisse perhibetur, aliquid verum esse posse in Theologia, falsum autem in Philosophia. Quidquid vero sit de Luthero, certum est hunc gravissimum errorem fuisse adoptatum, acriterque defensum a Dan. Hoffmanno Helmstadiensi Professore, aliisque non paucis, inter quos eminuit Paulus Slevogeus, cujus est *Pervigilium de dissidio Theologi*, *& Philosophi*, cui Andreas Keslerus opposuit *Quadrigam*, *dissensuum theolog.*, quorum quartus est *pro defendenda Philosophi*, *ac Theologi concordia*. Diu hæc controversia inter Lutheranos agitata est, & nonnisi auctoritate principis sopiri potuit, ut narrat Georg. Hornius *Hist. Phil.* Lib. VI. cap. 12. Ceterum de invicta ratione S. Thomæ a Synodo Lateran. adhibita, videri possunt P. Jo. Fr. Bern. de Rubeis in *Admon. prævia ad Libros cont. Gentes*, & Pet. Dan. Huetius in *Quæst. Alnetanis*. Durius tamen videtur, quod hic auctor Lib. I. cap. 4. scribit, rationem esse subjiciendam fidei, *etiamsi quid sibi manifesto contrarium & repugnans ab ea proponeretur: veluti si credere juberetur*, *falsa esse prima principia*, *nec totum esse majus sua parte*, *nec æqualia æqualibus addita facere æqualia*. Id certe non solum est, rationem fidei submittere, sed eam plane de medio tollere (De quo idem Huetius reprehenditur in opere, quod ipsi tribuitur *de la faiblesse de l' esprit humain*). Nihil tamen habet Bælius in laud. Huetii verbis, unde triumphet; illico enim subdit: *verum nihil ejusmodi proponit fides*. Neque illud probari omnino potest, quod habet P. Mich. Elizalde in suo libro *Forma veræ religionis quærendæ*, *& inveniendæ*. Quæstion. XIV. n. 244. scilicet retinendam esse religionem, etiamsi aliquis *illam evidenter*, *vel etiam evidentissime impossibilem putet*, & qu. XVII. n. 316. *credendum esse Ecclesiæ hierarchicæ*, *si ipsa nigrum illud diceret*, *quod oculis album videtur*. Hypotheses istæ absurdæ sunt, nec proponendæ. Recol. quæ hac de re dicta sunt Tomo I. Dissert. II. cap. 7. n. 176. & sequ. ubi etiam præcipua Bælii objectio soluta est.

tingere, quæ supra naturam sunt posita: ergo neque potest solvere objectiones, quæ fiunt contra mysterium Trinitatis, quod est supra naturam; adeoque semper hoc videbitur veritati contrarium. Ulterius ratio naturalis nullam sibi ideam efformare potest mysterii Trinitatis: ergo nullum habet principium, unde objectiones, quæ contra ipsum fiunt, solvere possit: ergo &c. Ita Bælius.

190. Resp. primæ difficultati neg. cons. Quanquam enim mysteria fidei lumen rationis excedunt, illud tamen non excedunt objectiones, quæ fallacibus, & apparentibus tantum ratiociniis innituntur.

191. Resp. secundæ. Quanquam claram distinctamque Trinitatis, vel alterius mysterii ideam nobis efformare non possumus, eam tamen cognitionem nobis sacræ litteræ suppeditant, qua possumus difficultates ab impiis oppositas expedire.

192. Saltem, inquit Bælius, objectiones erunt perspicuæ, utpote ex naturali ratione deductæ, responsiones autem obscuræ, utpote ex principiis obscuris derivatæ.

193. Resp. neg. prop.; neque enim, ut Bælio videtur, ex clara manifestaque ratione, sed duntaxat ex fallacibus ratiociniis objectiones contra Trinitatem, aut alia mysteria procedere possunt (a).

194. Ob. secundo. Principium est longe evidentissimum, cui omnis ratiocinandi ars innititur: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*: sed huic principio e diametro opponitur mysterium Trinitatis; nam Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus unum, idemque sunt cum essentia divina, nec tamen unum idemque sunt inter se: ergo &c.

195. Resp. cum S. Th. I. P. qu. 28. art. 3. ad 1. dist. maj. Quæ sunt eadem uni tertio *re & ratione*, sunt eadem inter se, *conc.*; quæ sunt eadem uni tertio, *re*, & *non ratione*, *nego*. Res in seipsa subtilis clarior fit exemplis. Non licet ita colligere: *homo*, & *brutum sunt idem cum vivente*, *ergo sunt idem inter se*: *actio*, & *passio sunt unum & idem cum motu*: *ergo sunt quoque inter se unum & idem*. Quorum omnium hæc ratio est, quia hæc non sunt idem cum tertio, *re*, & *ratione*, seu secundum omnem rationem; sed secundum certam quamdam rationem, & *inadæquate* tantum, differunt autem secundum aliam rationem. Ita etiam Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt quidem reipsa unum, & idem cum divina essentia, non tamen secundum omnem rationem: quia essentia divina est aliquid absolutum, paternitas autem, filiatio, & spiratio passiva pertinent ad genus relativum. Hinc manifeste sequitur, laudatum axioma mysterio Trinitatis nullo modo opponi.

196. Similis fere est alius paralogismus, quo Sabelliani utebantur, dicentes: *Pater est Deus*, *Filius est Deus*; *ergo Pater est Filius*, quod secum pugnat. In eo enim æquivocatio latet, quod cum dicitur: *Pater est Deus*, *Filius est Deus*, vox illa *Deus* non sumitur *adæquate*, & tota sua extensione, sed prout Pater est singularis quædam persona divina, quæ a Filio distinguitur: & perinde fere est, ac si quis diceret: *Petrus est homo*, *Paulus est homo*: *ergo Petrus est Paulus*. Ut hujusmodi ratiocinium aliquam vim obtineret, sic deberet institui: *Patris persona est illa eadem persona*, *quæ est Filius*: *ergo Pater est Filius*. Sed falsam esse primam propositionem etiam cæcus videret.

197. Inst. primo. Misericordia, & justitia licet ratione inter se differant, quia tamen reipsa unum sunt cum divina essentia, sunt etiam unum inter se: ergo pari jure ita concludere possumus: Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, cum reipsa sint unum cum divina essentia, licet aliqua ratione differant, erunt nihilominus unum inter se.

198. Resp. neg. consequ. & parit.; in eo enim est discrimen, quod misericordia, justitia, ceteraque divina attributa ratione quidem inter se differunt, sibi tamen invicem non opponuntur. Personæ autem divinæ sibi mutuo relative opponuntur, quæ oppositio *relativa* realem distinctionem exigit, cum nihil referri possit ad semetipsum.

189. Inst. secundo. Hæc mera est petitio principii; nam de hoc ipso quæstio instituitur, an esse possint in divina essentia tres istæ personæ, quæ idem sunt cum ipsa essentia, distinguantur autem realiter inter se.

200. Resp. nullam hic esse petitionem principii, quia mysterium Trinitatis ex ratione minime demonstramus, sed tanquam certum propter divinam revelationem adoramus: & solum ostendimus, nihil ex humana rectaque ratione produci, quod huic veritati, nobis a Deo revelatæ manifeste repugnet.

201. Ob. tertio. Mysterium Trinitatis illi principio opponitur, quod est omnium primum: *Impossibile est*, *idem simul esse*, & *non esse*: eadem enim divinitas esset simul una, & multiplex, una scilicet in natura, multiplex in personis; ingenita in Patre, genita autem in Filio; communicabilis secundum naturam, incommunicabilis secundum personam: & alia quamplurima prædicata contradictoria affirmari possent de suprema ac simplicissima Deitate.

202.

(a) Consuli hac de re queunt auctor anonymi libri: *La foi justifiée de tout reproche de contradiction avec la raison*, Pluquet Diction. *des heresies* art. *Anti-trinitaires* §. 1. ubi potissimum expendit objectiones auctoris epistolarum *sur la religion essentielle à l'Homme*; ac liber inscriptus *La religion vengée* vol. 2. lett. 6., vol. 3. lett. 1. &c. Ex Protestantibus Bælium confutarunt Leibnitius *de la conformité de la foi avec la raison*, Jacquelotius pariter in libro ejusdem tituli, Pfaffius in *Dissert. Anti-Bælianis*, & Joann. Alb. Fabricius in *Delectu argumentorum pro verit. religionis Christianæ*, cap. 24. præter alios non paucos.

202. Verum hæc omnia una, simplicique responsione facile diluuntur, videlicet illa non esse vera contradictoria, quæ de una quidem, ac simplicissima re prædicantur, sed secundum diversas rationes; contradictio enim est *affirmatio, & negatio unius de eodem, secundum eamdem rationem*. Id potest etiam in rebus creatis multis ac variis exemplis ostendi.

203. Obj. quarto. Si tres ponantur personæ divinæ, etiam tres Deos ponere necesse erit; ita enim concludemus: *Pater est Deus, & quidem distinctus a Filio; Filius est Deus, iterum distinctus a Patre; & Spiritus Sanctus est Deus a Patre, & Filio distinctus: ergo sunt tres Dii*. Quemadmodum recte dicitur: Petrus est homo, Paulus est homo, & Joannes pariter est homo; Paulus ergo, Petrus, & Joannes sunt tres homines.

204. Resp. de Patre, Filio, & Spiritu Sancto dici non posse, tres esse Deos, quia unam, eamdemque numero habent naturam divinam; tres autem homines tres habent naturas humanas numero diversas.

205. Inst. primo. Possumus ita concludere: *Pater est persona, Filius est persona, Spiritus Sanctus est persona: ergo tres sunt personæ*; ergo pariter concludere ita possumus: *Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus: ergo sunt tres Dii*.

206. Resp., neg. conseq.; personæ enim distingui, & numerari possunt, & debent, propter connotationem, & relationem unius ad aliam, quam necessario important; neque enim Pater esset Pater, nisi Filium haberet, & ita de reliquis: natura autem est absoluta, nullamque involvit habitudinem, seu relationem ad aliam naturam: quamobrem numerari non potest, nisi in rebus creatis, quæ finitæ sunt; non autem in Deo, cujus essentia utpote in omni genere absoluta & perfecta, nonnisi una esse potest.

207. Inst. secundo. Etiam personæ divinæ, non minus quam natura, debent esse infinite perfectæ; ergo si concludere non possumus, tres esse infinitas naturas, neque concludi poterit, tres esse divinas personas.

208. Resp. Personas divinas, *reduplicative* sumtas, seu ut personæ sunt, esse infinitas in genere *relativo*, non in genere *absoluto*. Sic Pater æternus, ut Pater est, habet omnes perfectiones possibiles, quæ paternitati competunt; ex quo sequitur, nonnisi unum Deum Patrem esse posse; non autem Pater æternus habet, vel potest ex se habere perfectiones, quæ competunt Filio ejus unigenito, ut Filius est, alias Pater esset Filius, quod repugnat. Hinc præter personam infinitam Patris potest, imo & debet esse alia distincta persona Filii. Natura autem divina, cum sit infinita in genere absoluto, debet omnem possibilem, ac cujuscumque generis perfectionem continere, unde repugnat, plures esse divinas naturas.

209. Inst. tertio. Si plures numerari possunt divinæ personæ, una perfectionem aliquam habebit, quam alteram carere necesse erit; quomodo enim numerari, aut distingui possent, si omnes haberent easdem infinitas perfectiones? Atqui repugnat, personas divinas aliqua vel minima perfectione carere: ergo &c.

210. Resp. dist. maj.; una persona, *reduplicative* ut persona, perfectionem aliquam haberet, qua alteram *immediate* carere necesse erit, *conc. mediate*, & ratione naturæ, qua Deus est, *nego*. Pater quidem æternus, ut Pater est, non habet filiationem, nec vicissim ejus Filius; ut Filius est, habet paternitatem; quia tamen uterque unam, eamdemque naturam, & essentiam divinam habet, quæ a paternitate, filiatione, aliisque proprietatibus relativis realiter non distinguitur, sequitur, Patrem mediante natura, & ut Deus est, etiam perfectiones Filii, & Spiritus Sancti habere. Quare tametsi falsa est hujusmodi propositio: *Pater est Filius*, hæ tamen sunt veræ: *Pater est ille Deus, qui Filius est, & Filius est idem Deus, qui Pater*, idque propter mutuam circumincessionem, qua unaquæque persona est in duabus aliis. Unde Christus ajebat Joan. XIV. 10. *non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* (a).

211. Ob. quinto. Persona, definiente Boetio in Lib. *de duabus naturis*, est *naturæ rationalis, seu intelligentis individua substantia*: ergo tot esse debent individuæ substantiæ, quot sunt personæ. Hinc cum repugnet rectæ rationi, plures esse divinas substantias, etiam repugnabit plures esse divinas personas.

212. Confirmatur hæc difficultas primo, quia ea est personæ vis, & proprietas, ut substantiam reddat incommunicabilem alteri: ergo non potest una, eademque numero natura, vel substantia esse in tribus personis. Secundo quia multiplicatis personis ea etiam multiplicari necesse est quæ de singulis dicuntur, ex. gr. multiplicatis hominibus, multiplicatur quoque humana natura: ergo multiplicatis divinis personis multiplicari quoque debet divina natura, quod ratio fieri posse negat.

213. Resp. primæ difficultati cum S. Th. I. P. q. 30. art. 1. ad 1. in Boetii definitione vocem il-

(a) Alii aliter hoc argumentum solvunt, dicentes, proprietates relativas, quibus una persona divina distinguitur ab aliis, nempe paternitatem, filiationem, & spirationem, quatenus relationes sunt, non esse perfectiones; unde quamvis una persona per relationes distinguatur ab aliis, non tamen habet perfectiones diversas. Sunt etiam, qui dicunt, unamquamque divinam personam esse infinite perfectam, quia etsi ea careat perfectione, quam habent aliæ duæ, aliam tamen habet æquivalentem. Pater æternus ex. gr. caret quidem filiatione, sed paternitatem habet, quæ ejusdem est perfectionis. Plura possunt apud Scholasticos, qui fusius hæc tractant, inveniri.

illam *substantia* non sumi consueto loquendi more pro *natura*, sed *substantia*, vel *supposito*, vel ut Græci dicunt, *hypostasi*; quod ex se perspicuum est, alias natura bis poneretur in laudata definitione, dicendo: persona est *naturæ rationalis individua natura*, quod vitium esset in definitione magnum.

214. Ad primam confirm. dico, personam reddere naturam incommunicabilem alteri in sua linea; unde natura Patris sub ea ratione, qua est per relationem paternitatis modificata, est incommunicabilis Filio; est tamen eadem natura communicabilis Filio, & Spiritui Sancto absolute, & prout præcise divina natura est; itaque Filius accipit omnino eamdem sui Patris naturam, non tamen accipit paternitatem. Nec vero hac in re quisquam exemplo rerum creatarum abuti debet; in iis enim non potest eadem natura pluribus personis communicari, quia finita est; natura autem divina quia absolute, & omnino infinita est, potest pluribus personis communicari.

215. Ad secundam dico, in rebus creatis, quæ certis, atque angustis limitibus sunt circumscriptæ, multiplicari subjecta non posse, nisi una simul etiam substantiæ multiplicentur; cujus ratio mox allata est. Aliter autem se res habet in divinis, ubi una, eademque natura undequaque infinita potest plures personas, vel substantias in se continere.

216. Inst. Omnino cum recta ratione pugnat, eamdem naturam, utut infinitam, pluribus simul formis, aut subsistentiis terminari. Nam primo una, eademque res non potest bis, aut pluries esse id, quod est; & sic non possunt unius, ejusdemque hominis plures esse rationes, & ejusdem lineæ plures longitudines. Secundo, per formam res est id, quod est, eaque detracta res ipsa destruitur; atqui si plures esse possent in eadem natura formæ, vel substantiæ, id falsum esset; nam una posita nondum res poneretur, unaque sublata adhuc natura illa subsisteret, idemque esset quod antea: ergo &c.

217. Resp. disting. primam proposit. cum ratione pugnat, unam, eamdemque naturam pluribus simul formis, & substantiis *absolutis*, & *adæquatis* terminari, *conc.*; *relativis*, & *inadæquatis*, *nego*. Hinc repugnat, plures esse Deos, aut plures Patres, vel Filios divinos, non autem plures esse personas diversi generis, Patrem, Filium, & Spiritum sanct. Ad primam vero probationem dico, divinam essentiam non multiplicari multiplicatis divinis personis, ut jam ostensum est. Ad secundam prob. resp. maj. esse veram de formis *adæquatis*, & *absolutis*, quæ dant rei totum esse; non autem de formis *inadæquatis*, & *relativis*, cujusmodi sunt divinæ subsistentiæ.

218. Ob. sexto. Si Trinitas personarum in Deo ponatur, jam poterimus inde concludere, quamlibet personam esse totam Trinitatem, quod est absurdum. Prob. autem sequela: quia Trinitas personarum, si ulla est, ad essentiam Dei pertinebit; quæcumque autem vere ad essentiam Dei pertinent, possunt de qualibet persona enunciari, quemadmodum quia ratio ad essentiam hominis pertinet, de quolibet homine affirmari potest, quod ratione polleat: eodem igitur modo ita loqui fas erit: *Deus est trinus in personis, & hoc ad Dei essentiam pertinet; sed Pater est Deus: ergo Pater est trinus in personis*. Idemque de Filio, ac de Spiritu sancto concludi poterit.

219. Resp. neg. sequelam; ad prob. autem dist. illam proposit. quæcumque ad essentiam Dei pertinent, possunt de qualibet persona divina enunciari, prout personæ in una essentia conveniunt, *conc.*; prout personæ relationibus inter se distinguuntur, *nego*. Personæ divinæ in una quidem essentia conveniunt, sed distinguuntur inter se proprietatibus *relativis*. Hinc Trinitas de qualibet divina persona enunciari tantum potest *indirecte*, & *implicite*; non tamen *directe*, & *explicite*: hoc est quanquam dici non potest: *Pater quatenus Pater, est Trinitas*: dici tamen potest: *Pater ille Deus est, qui in tribus personis subsistit*. Et sic etiam sublata æquivocatione dici potest: Deus *adæquate* intellectus pro ipsa natura divina est trinus in personis, non autem Deus sumtus *connotative*, & *inadæquate*, prout unam significat personam ab aliis distinctam.

220. Inst. primo. Nulla est inter essentiam & personam distinctio: nam S. Aug. lib. VII. *de Trinit.* cap. 6. ait: *Cum dicimus personam Patris, non aliud dicimus, quam substantiam Patris*; ergo si de essentia divina verum est dicere, quod sit trina in personis, id pariter dici poterit de persona Patris, aut Filii, quod est absurdum.

221. Resp. cum S. Thoma I. P. quæst. 39. art. 1. personam non quidem reipsa, sed ratione saltem ab essentia distingui, quo fit, ut quædam dici possint de essentia, non autem de persona, & etiam contra quædam possint de personis affirmari; quæ falso attribuuntur essentiæ (a).

222. Inst. secundo. Quanquam persona mente, & cogitatione a natura distinguitur, hoc tamen nomen personæ in se substantiam includit: ergo multiplicatis personis, etiam substantiam divinam multiplicari, necesse est; vel si hoc posterius sanæ rationi repugnat, repugnabit & primum.

223. Resp. dist. antec. Personæ nomen includit substantiam indirecte, & in obliquo, *conc.*; directe *nego*. *Personalitas*, ut loquuntur Scholastici,

(a) Franciscus Fitzjames Episc. Svessionensis S. in sua *Instruct. Pastor.* an. 1760. P. II. sect. 1. c. 2. a. 2. Harduinum, & Berruyerum merito reprehendit, quod contra communem sententiam, imo contra sanam Theologiam docuerint, personas divinas neque *per mentem* ab essentia distingui; qui error si semel adoptetur, vel Sabellianam, vel Arianam impietatem etiam adoptari necesse erit.

ci, est complementum naturæ, & substantiæ; unde qui personam dicit, etiam indirecte, & oblique substantiam indigitat, non tamen directe, & per se, quasi persona sit ipsa substantia. Hac de causa divinis multiplicatis personis necesse non est, etiam naturam multiplicari; quia cum ista absolute infinita sit, a tribus distinctis subsistentiis, seu personis terminari potest.

224. Inst. tertio. Vox illa *Deus* personam significat; nomen enim Dei est concretum, quod non tantum formam, sed etiam subjectum involvit: & ulterius *est nomen* entis perfectissimi, ac summum imperium habentis; imperare autem ad personam pertinet: ergo si tres sunt divinæ personæ, tres quoque erunt *Dii*; & cum hoc sit absurdum, absurdum quoque erit mysterium Trinitatis.

225. Resp. dist. maj. Vox illa *Deus* personam significat, si duntaxat secundum rationis naturalis lumen intelligatur, *conc.*; si sumatur adhibito supernæ revelationis lumine, *subdist.*; significat personam indeterminate, & confuse, *conc.* determinate & explicite, *nego*. Cum mysterium Trinitatis non ratione, sed divina revelatione, innotescat, hanc, non illam debemus consulere. Quocirca etiamsi hæc vox *Deus* naturaliter divinam personam connotet, quia tamen divina revelatio nos docet, tres esse in Deitate personas, audito hoc nomine *Deus*, vel totam Trinitatem intelligimus, vel si unam personam determinate volumus, necesse est aliquid addere, dicendo, *Deus Pater*, *vel Deus Filius* &c. Sed hæc omnia clariora fient ex his, quæ in sequenti Dissertatione una cum Theologis Scholasticis de processionibus, relationibus, subsistentiis, personis, & notionibus divinis dicturi sumus (a).

DISSERTATIO II.

Quædam breviter ex Scholasticis quæstionibus delibantur, ad intelligendum Trinitatis mysterium necessaria.

1. Petrus Faydit., olim celebris Congregationis Oratorii in Gallia alumnus, sed postea ab eadem expulsus, in quodam libro anonymo an. 1696., cui titulus *Alteration du dogme theologique par la Philosophie d' Aristote*, Scholasticos, ipsumque eorum principem S. Thom. indignis modis excipit, quasi SS. Trinitatis mysterium fœde corruperint *entibus suis metaphysicis*, *& logicis*, *relationibus*, *proprietatibus relativis*, *modis*, *modificationibus*, *concretis*, *personalitatibus*, *viis intellectus*, *ac voluntatis*, *attributis*, *actibus notionalibus*, *distinctionibus virtualibus*, *ratione ratiocinata*, *parvis entitatibus unius personæ propriis*, *non alterius*, *formis abstractis*, *qualitatibus intrinsecis*, *realibus*, *& subsistentibus per se ipsas*, *constitutivis divinarum personarum*, *subsistentiis*, *suppositis*, *perseitatibus*, aliisque id genus barbaris terminis, quorum nullum inveniri dicit apud Apostolos, eorumque discipulos vestigium. Sed bonus ille non intellexit, multa fuisse postea & diligentius inquisita, & subtilius tractata, & novis nominibus appellata, ut hæreticorum fraudes detegerentur, argutiæ, & technæ dissolverentur. Interim dum ille Scholasticos immoderate carpit, novamque semitam calcare audet, in absurdissimum Tritheitarum errorem lapsus est (b).

CAPUT I.

De processionibus divinis. *Vid. S. Th. I. P. q. 27.*

2. Processionis nomine communiter intelligitur *origo unius ex alio*. Est autem processio duplex; alia *ad extra*, quæ etiam *transiens* dicitur, cum nempe effectus, sive terminus productus extra causam, a qua procedit, positus est. Hoc modo creaturæ a Deo procedunt, & filius in creaturis procedit a patre. Alia est processio *ad intra*, qua aliquid ab alio oritur, intra ipsum manens; & hujusmodi sunt divinarum personarum processiones. Quamvis autem nomen *processionis* soleat Spiritui sancto tribui, prout ejus processio a Filii generatione distinguitur, hic tamen sumitur, prout designat utriusque Personæ divinæ originem, ac proinde utrique commune est.

3. Ut autem S. Thom. art. 1. observat, errores tam Sabellii, quam Arii inde orti sunt, quod uterque nonnisi processionem *ad extra* admitteret. Arius enim ponebat, Filium a Patre procedere, ut primam ejus creaturam, & Spiritum sanctum procedere a Patre, & Filio, sicut creaturam utriusque. Sabellius vero processionem accepit, secundum quod causa dicitur procedere in effectum, in-

(a) Hæc, & alia sophismata hujusmodi in veterum Sabellianorum officina jamdiu fabricata a Sanctis Patribus feliciter explosa fuere, ut multa eruditione ostendit Nat. Alexander Dissert. XXV. in Sæcul. III. Vid. etiam S. Thomas tum I. P. in quæst. *de Trinit.*, tum etiam lib. IV. *Cont. Gent.* præcipue cap. 9. & seq. Novi Sabelliani easdem fere argutias proponunt; inter quos præter Crellium excelluit Andr. Wissovatius Polonus: contra quem Guill. Gottefridus Leibnitius opusculum edidit inscriptum: *Sacrosancta Trinitas per nova argumenta logica defensa*. 1671. in 12.

(b) Vindicias Scholasticorum, & S. Thom. contra Fayditium egit P. Cad. Lud. Hugo Episc. Ptolemaidis ex Præmonstratensium Familia, edito libro, cui titulus *Refutation du systeme de M. l' Abbe Faydit sur la Trinité* an. 1699. cumque Fayditius sui apologiam egisset, iterum P. Hugo eam impugnavit alio opere inscripto *Reponse à l' apologie de M. l' Abbé Faydit sur le mystere de la Trinité* ann. 1702. Vid. Dupin *Nouv. Biblioth. des Auteurs Ecclesiast.* T. XIX.

inquantum vel movet ipsum, vel similitudinem suam illi imprimit, unde Deum Patrem etiam Filium diei posse putabat, quatenus carnem assumpsit ex Virgine; eumdemque Patrem etiam Spiritum sanctum appellari, quatenus creaturam rationalem sanctificat (a).

4. Jam vero admittendas esse divinas processiones *ad intra*, probatur primo ex sacris litteris; Christus enim de se ipso dicit Joann. VIII. 29. *Ab ipso* (Patre) *sum*, *& ipse me misit*, & VII. 42. *ego ex Patre processi*, item XVI. 27. seq. dicebat Discipulis: *Pater amat vos*, *quia vos me amastis*, *& credidistis*, *quia ego a Deo exivi: exivi a Patre*, *& veni in mundum*. De Spiritu sancto autem Joann. XV. 26. *Cum venerit Paraclitus*, *qui a Patre procedit*.

5. Prob. secundo ratione theologica. Si plures sunt divinæ personæ, quod tam veteris, quam novi testamenti superna revelatio nos docet, necesse omnino est, eas per veram, ac realem processionem ab uno principio oriri. Si enim omnes essent ex se, tunc vel nulla inter eas realis distinctio esset, sublata nempe oppositione relativa, quæ sola est distinctionis causa; vel distinguerentur ex perfectionibus absolutis; itaque non solum essent plures personæ, sed etiam plures Dii natura diversi, quod est absurdum. *Et sic*, concludit Angelicus, *fides catholica processionem ponit in divinis*. In Symbolo enim Nicæno aperte profitemur, nos credere *in Filium Dei unigenitum*, *Deum de Deo ... genitum*, non *factum ... & in Spiritum sanctum ... qui ex Patre*, *Filioque procedit*.

6. Obj. primo, Plerique sancti Patres omnem processionem, vel προβολὴν ut Græci dicunt, a Deo ablegandam esse docent. Ita Irenæus Lib. II. cap. 48., Origenes lib. I. *de principiis* c. 2., Didymus, Cyrillus Alexandrinus, Athanasius, & alii apud Petavium Lib. VII. *de Trinit*. c. 10. n. 6.

7. Resp. S. Patres eam processionem explosisse, qua impius juxta ac infacetus Valentinus triginta Eones, seu Deos ex Bytho, nempe æterno Patre, per nescio quæ connubia, variasque generationes, quas *probolas* appellabat, prognatos esse somniabat; qua de re videri potest inter alios Tertullianus *adversus Valentinianos* c. 12. Itaque processionis vocabulum hac hæretica contagione asperaum a nonnullis Patribus repudiatum est; præsertim quod eo abuterentur Ariani ad invidiam Catholicis conflandam, quasi Valentinianorum nugas, & deliramenta renovarent. Sed illud ipsum vocabulum in sano, rectoque sensu ab iisdem Patribus usurpatum legimus; ut eum S. Gregorius Nazianz. Orat. XXXV. Patrem æternum vocat γεννήτορα καὶ προβολέα *genitorem*, *& emissorem*, quo nomine eundem appellavit etiam S. Joan. Damasc. Lib. I. *de fide orthod*. c. 13. Nempe, ut sapienter Tertullianus monet *adv. Praxeam* cap. 8., *non ideo non utitur & veritas vocabulo ipso* (πρὸ Ρὴλη), *& re*, *ac sensu ejus*, *quia & hæresis potius ex veritate accepit*, *quod ad mendacium suum strueret*.

8. Obj. secundo. Quod procedit, incipit esse, cum antea non existeret; hinc, ut Philosophi dicunt, terminus generationis *a quo* est non esse: atqui fingi non potest, divinas personas aliquando non fuisse; ergo &c. Item positis divinis processionibus, ponere quoque necesse est *prius*, ac *posterius*; quod cum Dei æternitate componi non potest.

9. Resp. dist. maj. Quod procedit in tempore, *conc.*; quod ab æterno procedit per ejusdem individuæ essentiæ communicationem, *nego*. Si enim conciperemus ex. gr., solem ab æterno fuisse, conciperemus etiam radium ab æterno a sole procedere; & radius principium quidem originis a sole haberet, non autem principium temporis. Ita potiori jure de Filio, & Spiritu sancto dicendum est, qui eamdem numero essentiam a Patre habent; quæ essentia cum æterna sit, etiam æternos esse Filium, & Spiritum sanctum oportet; ita ut in tribus personis divinis solum hi duo respectus diversi sint, *a quo alius*, *& qui ab alio*. Unde etiam patet, non esse consequens, ut si plures ponantur Personæ ab una procedentes, necesse sit, unam earum esse priorem, & alias posteriores *tempore*; sed solum nostro concipiendi modo; nempe *origine*, vel *ordine*, ut aliis placet.

10. Inst. primo. Quod corrumpitur, desinit esse: ergo etiam ab opposito quod procedit, incipit esse; cum ergo divinæ personæ æternæ sint, procedere non possunt.

11. Resp. cum S. Th. I. P. q. 42. art. 2. ad 3. neg. conseq. nam omnis corruptio fit in tempore, & ideo quod corrumpitur, desinit esse, seu incipit non esse. Processiones autem divinæ sunt æternæ, ac propterea nullum esse, aut fingi potest temporis instans, in quo personæ divinæ non fuerint.

12. Inst. secun. Si processiones divinæ sunt æternæ, quemadmodum nullum principium, ita nullum possunt habere finem; ergo adhuc Filius, & Spiritus sanctus procedunt, & nondum producti sunt.

13. Resp. Filium, & Spiritum sanctum semper procedere actione immanente, quæ nunquam transit, esse tamen utrumque jam ab æterno perfectissime productum, & subsistentem. Hinc dici potest, *Filium nasci sine fine*, quod S. August. di-

(a) Præter Sabellianos, apertos divinæ Trinitatis hostes, æternas Filii, & Spiritus sancti processiones negavit etiam Herm. Alexand. Roellius, contendens, nonnisi improprie has voces *gignere*, *nasci*, *Pater*, *Filius* in divinis personis usurpari. Roellium impugnavit Vitringa, totamque hujus controversiæ historiam exhibet. Henr. Rud. Benchemius *de statu Ecclesiarum*, *& Scholarum fœderati Belgii* T. II. cap. 2.

dixit epist. 138. alias 174. c. 4. & iterum *Filium Dei esse natum;* quæ phrasis est sanct. Patribus, & divinis Scripturis multo communior. Utrumque pulchre conjunxit Propheta Ps. II. his verbis: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Dum enim dicit: *hodie* tempus præsens designat; dum vero addit: *genui*, tempus præteritum. Posset etiam dici in futuro: *Filius semper nascetur ex Patre;* nam & Apostolus in epist. ad Heb. I. 5. Deum patrem ita loquentem inducit: *ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium;* sed hæc locutio non invenitur apud sanctos Patres, fortasse quia futurum tempus aliqnid imperfectum innuere videtur, & significandæ æternitati minus est aptum.

14. Inst. tertio. Personæ procedentes ab eo dependeant necesse est, a quo procedunt; dependentia autem est imperfectio; adeoque &c.

15. Resp., hoc verum esse, quando id, quod procedit ab alio, habet essentiam diversam; sed personæ divinæ, cum procedant ab alio sibi coessentiali, nullam ab eo dependentiam habere possunt, nisi fingamus, aliquid dependere a seipso. Quamvis autem dicatur, in processionibus divinis eamdem numero essentiam a Patre communicari Filio, & ab utroque Spiritui sancto, non tamen dici potest, essentiam Filii procedere a Patre, & essentiam Spiritus sancti procedere a Patre, & Filio, quia tunc essentia procederet a seipsa. Persona ergo Filii procedit a Patre, recipiendo eamdem numero essentiam sibi communicatam, & persona Spiritus sancti a Patre, & Filio, & sic tres distinguuntur Personæ divinæ; una autem numero est divina essentia.

16. Obj. tertio. Persona procedens ab alia non est *ens a se;* ergo Deus esse non potest, quia Deus est *ens a se*.

17. Resp. Personam, quæ ab alia procedit, non esse *ens a se*, ratione personæ, esse tamen *esse a se* ratione naturæ, quæ eadem est in Patre, Filio, & Spiritu sancto. Et propterea Pater generans Filium non est ipsius *causa*, sed *principium;* quia causa non proprium suum esse effectui tribuit, sed diversum. Quod si nonnulli sancti Patres aliquando non dubitarunt, Patrem æternum appellare *causam* Verbi, seu Filii, nomen *causæ* minus proprie sumpserunt pro *principio*, ut S. Thomas eorum dicta explicat I. Parte q. 33. art. 1., ubi etiam ad 2. observat, minus proprie a quibusdam Græcis fuisse dictum de Filio, ac Spiritu sancto, quod *principientur;* hoc enim vocabulum aliquam subjectionem, vel dependentiam indicare videtur.

18. Inst. primo. Persona procedens neque esse potest *ens a se* ratione naturæ, quia naturam habet non a se, sed ab alio communicatam.

19. Resp., id non obstare; cum enim Pater æternus communicet Filio, non alienam, sed ipsissimam suam naturam, quæ est a se, etiam natura Filii debet esse a se; alias non foret eadem omnino, sed diversa. Idem dicatur de Spiritu sancto.

20. Inst. secundo. Persona communicans alteri suam essentiam debet illa esse prior; ut enim commune habet effatum, *operari sequitur ad esse*.

21. Resp., Patrem esse priorem Filio, & utrumque Spiritu sancto *origine*, vel *ordine*, non autem *tempore*, vel *natura;* quia natura est numero eadem in omnibus; multo autem minus tempore, cum omnes divinæ Personæ sint æternæ. Et insuper hæc communicatio libera non est, sed fit ex necessitate; quia perfectio divinæ naturæ exigit, ut Filio, & Spiritui sancto communicetur; alteri quidem per intellectum, alteri autem per voluntatem: hæc igitur communicatio æterna esse debet.

22. Inst. tertio. Saltem aliqua major perfectio relucet in persona generante, & producente, quam in genita, & producta; est enim commune proloquium: *beatius est dare, quam accipere*.

23. Resp. Proloquium illud de eo esse intelligendum, qui dat libere; Pater autem æternus non generat Filium libere, sed per necessariam emanationem naturæ. Ex quo etiam fit, ut Filius a Patre sine ulla dependentia, aut subjectione procedat. Eademque est ratio processionis Spiritus sancti. Nonnullæ aliæ difficultates inveniuntur apud S. Thom. art. 1. cit. I. P. q. 27., & Lib. IV. *Cont. Gent.* cap. 10. & seq.

CAPUT II.

Ostenditur, duas tantummodo esse divinas processiones, scilicet Filii a Patre, & Spiritus sancti a Patre, & Filio.

24. Hoc primo sequitur ex catholico Augustissimæ Trinitatis dogmate, quo certum est, tres esse divinas personas, nec plures, nec pauciores, quæ propterea nonnisi duas exigunt processiones, scilicet Filii a Patre, & Spiritus sancti a Patre, & Filio.

25. Deinde idipsum probatur a S. Thoma I. P. q. 27. art. 3. hac ratione. Cum processio in divinis non sit, nisi secundum actionem, quæ manet in ipso agente, seu, ut Scholastici loquuntur, secundum actionem *ad intra*, tot debent esse processiones, quot sunt actiones; duæ autem in Deo sunt actiones: nempe intelligendi, & volendi: ergo duplex etiam esse debet processio, altera per intellectum, ex qua generatur Filius, altera per voluntatem, unde producitur Spiritus sanctus. Vid. S. Thomas art. 5.

26. Obj. primo. Facultas intelligendi in Deo a facultate volendi non distinguitur: ergo nec distingui potest duplex processio.

27. Resp., intellectum, & voluntatem in Deo non distingui, *realiter*, distingui tamen *virtualiter;* quod sufficit, ut duplex inde processio resultet, & duo habeantur termini subsistentes a se invicem, & a Patre realiter distincti, propter mutuam

tuam eorumdem relationem. Vid. S. Thomas loco cit. ad 3.

28. Inst. Vel istae duae processiones solo numero differunt, vel etiam specie; neutrum autem dici potest. Non primum, alioquin utraque esset generatio, vel spiratio: non secundum; alioquin non communicaretur utrique eadem numero natura.

29. Resp., eas processiones proprie specie non differre, quia in Deo nec genus est, nec species; sed quasi secundum speciem, si ita loqui fas est; quamvis ratio hujus differentiae omnino certa afferri nequit, ut inferius videbimus (cap. III.) Nemo tamen inferat, etiam personas, quantum ad naturam specie, aut numero differre; natura enim in omnibus ita una, atque eadem est, ut nec cogitatione distinguatur.

30. Ob. secundo. Una processio est infinita: ergo totam exhaurire debet divinam fœcunditatem; secus processio erit imperfecta. Ulterius unica processione tota natura divina communicatur: ergo nihil superest communicandum in alia processione.

31. Resp. primae difficultati, processionem quamlibet, utpote infinitam, exhaurire in suo genere divinam fœcunditatem, non autem in alio genere diverso. Hinc non potest esse, nisi una generatio, & unus Filius; sed praeter generationem Filii potest esse, & reipsa est alia processio, qua Spiritus sanctus procedit.

32. Alteri difficultati resp., unica processione communicari quidem totam divinam naturam, sed in uno ordine tantum, scilicet in ordine generationis per intellectum. Potest autem iterum eadem divina natura communicari in alio ordine, nempe per voluntatem. In primo ordine est processio Filii, in altero Spiritus sancti.

33. Inst. primo. Ex vi unius processionis terminus emanat infinitus in omni genere: ergo etiam processio est infinita in omni genere; adeoque non potest esse, nisi una.

34. Resp., terminum quidem unius processionis esse infinitum in omni genere, sed non esse sic infinitum vi processionis, neque etiam praecise ratione personae, quae est infinita in genere relativo; sed ratione essentiae, quae est absolute, & in omni genere infinita.

35. Inst. secundo. In omni natura non est nisi unus modus, quo eadem communicetur; ergo id multo magis dici debet de natura divina, quae simplicissima est.

36. Resp. neg. cons. Immo ex ipsa infinita simplicitate naturae divinae fit, ut ipsa communicetur, tam per intellectionem, quam per volitionem *ad intra*, quia tam volitio, quam intellectio divina est ipsa Dei essentia.

37. Obj. tertio. Si plures esse possunt in Deo processiones, non duae tantum erunt. Nam idem principium potest habere plures terminos diversae rationis. Sic intellectus divinus producit notitiam essentialem, quae Deo convenit, ut Deus est, & notitiam genitam seu Verbum.

38. Resp. primo, potissimam rationem, ob quam duae tantum, & non plures in Deo ponuntur processiones, esse ex sacris litteris depromendam, quae nobis tres, & non plures esse divinas personas, luculenter declarant. Secundo addi potest, unum tantum esse posse terminum productum divini intellectus, quia unus totam exhaurit divini intellectus fœcunditatem. Idemque dicendum de termino producto divinae voluntatis.

39. Inst. primo. Filius, & Spiritus sanctus intellectu, & voluntate utique & ipsi pollent: ergo & ipsi alios terminos producent; & sic in infinitum.

40. Resp. Sicuti essentia non est in tribus personis, ita unum esse intellectum, unamque voluntatem. Porro infinita virtus intellectus divini tota exhauritur, si ita loqui fas est, in generatione Verbi; eodemque modo concipimus exhauriri divinae voluntatis fœcunditatem in productione Spiritus sancti.

41. Inst. secundo. Non magis Verbum divinum exhaurit vim omnem producendi per intellectum, quam infinita subsistentia Patris exhauriat capacitatem infinitam subsistendi naturae divinae; atqui praeter subsistentiam Patris admittuntur etiam substantiae Filii, & Spiritus sancti: ergo &c.

42. Resp., subsistentiam Patris, utpote relativam, exhaurire totam capacitatem subsistendi in natura divina, non absolute, & in omni genere, sed duntaxat in genere relativo paternitatis; unde adhuc divina natura terminari potest a duabus aliis subsistentiis relativis Filii, & Spiritus sancti.

43. Inst. tertio. Filius, & Spiritus sanctus si fœcunditate carent, carebunt perfectione maxima, & infinita.

44. Resp. Quamvis Filius, & Spiritus sanctus, prout personae sunt a Patre distinctae, & *reduplicative* sumptae, careant, ille quidem generandi, iste autem tam generandi, quam spirandi virtute, neuter tamen hac perfectione caret *absolute*, & mediante natura, ratione cujus persona, saltem mediate, habet omnes perfectiones aliarum (vide supra Dissert. I. n. 210.). Quod autem Filius non possit alium Filium giguere, nec Spiritus sanctus alium spirare Spiritum sanctum, non imperfectio est, sed maxima utriusque perfectio; quia nempe, cum uterque sit infinitus, unicus esse debet.

45. Obj. quarto. Quemadmodum duae admittuntur processiones in Deo, una per intellectum, altera per voluntatem, ita admittenda erit alia per memoriam, alia item per bonitatem, per omnipotentiam &c.

46. Resp. neg. sequelam. Nam quod spectat ad memoriam, haec proprie in Deo non est, qui omnia semper habet sibi praesentia per cognitionem, quae semper est in actu, nunquam in potentia. Bonitas autem divina, omnipotentia, ceteraque Dei attributa communicantur per intellectum, & voluntatem, productis duabus personis infinitis.

47. Inst. Æternitas, infinitas & quodlibet aliud at-

attributum divinum ab essentia dimanant; ergo totidem erunt processiones divinæ, quot sunt attributa divina.

48. Resp. Attributa dimanare quidem ab essentia divina, tanquam a radice non per veram, & realem processionem, quæ secum afferat distinctionem realem termini a principio producente; sed per solam emanationem virtualem. Contra se res habet in divinis processionibus, quæ vere actiones *immanentes* sunt (a).

49. Quæres, *quodnam sit*, & *quotuplex principium divinarum processionum?*

50. Durandus a S. Portiano putavit, unicum, tam proximum, quam remotum divinarum processionum principium esse naturam divinam. Sed hæc sententia ab omnibus, nec sine censura rejicitur.

51. Theologi itaque communiter duplex divinarum processionum principium *bene* distinguunt, nempe aliud *quod*, aliud *quo*. Primum est persona, vel suppositum, *quod* alias personas producit, juxta illud tritum apud Philosophos adagium: *Actiones sunt suppositorum*. Alterum principium est virtus, *qua* suppositum, vel Persona operatur. Sic Persona Patris est principium *quod* generationis Filii, & duæ Personæ Patris, & Filii sunt principium *quod* processionis Spiritus sancti. Virtus autem illa, qua Pater generat Filium, & Pater simul ac Filius spirant Spiritum sanctum, est principium *quo* processionis Filii a Patre, & Spiritus Sancti a Patre, & Filio..

52. Rursus hoc principium *quo* bifariam subtilioribus Theologis dividitur, nempe in principium *quo* radicale, primordiale, ac remotum; & in principium *quo* proximum, & immediatum. Primum esse divinam essentiam Theologi fere consentiunt, sed de altero controvertitur. Thomistæ autem fere unanimiter docent, principium *quo* proximum processionis Filii esse divinum intellectum Patris; processionis autem Spiritus sancti esse voluntatem Patris, & Filii, seu mutuum utriusque amorem. Hæc autem apud Scholasticos subtilius disputata inveniuntur.

53. Imo non desunt, qui putent, hanc doctrinam fuisse in Concilio œcumenico Lateranensi IV. anno 1215. sub Innocentio III. contra Abbatem Joachimum his verbis definitam: *Essentia non est generans, neque genita, neque procedens; sed est Pater, qui generat, Filius, qui gignitur, Spiritus sanctus qui procedit* (b). Quod si sancti Patres aliquando, imo non infrequenter dixerunt, *substantiam a substantia, vel essentiam ab essentia* esse genitam, hæ, aliæque similes locutiones minus proprie accipiendæ sunt, ut copiose contra Richardum a S. Victore ostendit Guill. Estius in Lib. I. *Sentent.* Distinct. V. §. 2.; & nos etiam inferius ostendemus, ubi de unitate *numerica* divinæ essentiæ contra nuperum quemdam Theologum disputabimus.

54. Interea non abs re erit doctrinam S. Thomæ afferre ex I. P. q. 41. art. 5., ubi inquit: „ Paternitas non potest intelligi, ut *quo* Pater generat, sed ut constituens personam generantis: „ alioquin Pater generaret Patrem (est principium „ *quod* processionis Filii, scilicet persona Patris). „ Sed id, *quo* Pater generat, est natura divina, „ in qua sibi Filius assimilatur, & secundum hoc „ Damascenus dicit Libro I. *de fide orthodoxa*. „ cap. 8., quod *generatio est opus naturæ, non* „ *sicut generantis, sed sicut ejus, quo gene-* „ *rans generat*." Et in resp. ad 1. *Agens distinguitur a facto, & generans a generato* (unde persona Patris distincta est a persona Filii); *sed id, quo generans generat, est commune genito, & generanti, & tanto perfectius, quanto perfectior fuerit generatio. Unde cum divina generatio sit perfectissima, id quod generans generat, est commune genito, & generanti, & idem numero, non solum specie, sicut in rebus creatis*.

CAPUT III.

Affertur ex S. Thoma probabilior ratio, cur Verbi divini processio, non autem processio Spiritus sancti, appelletur generatio (c).

55. Sacræ Litteræ solum Verbum appellant *Filium*, & quidem *unigenitum*, nec nullibi Spiritus sanctus dicitur *genitus*, aut *filius*. Imo in Symbolo *Quicumque*, quod vulgo S. Athanasio adscribitur, expresse dicitur: *Spiritus sanctus a Pa-*

(a) Non clam me est, quibusdam Scholasticis videri, unam personam procedere ab alia per quamdam resultantiam, & emanationem, non secus ac proprietates ab essentia dimanant. Nempe nomen *actionis* a Deo ablegatum volunt propter defectus, qui in creaturarum actionibus inveniuntur. Sed actiones immanentes proprie in Deo esse quid vetat? Omni tamen imperfectionis umbra ab eis remota. Nam ideo S. Patres, generationem Filii *ἐνέργειαν* dici posse negarunt, quia ab hæreticis hoc nomen usurpabatur ad significandam *effectionem*, seu *creationem*. Adisis Dion. Petavium Lib. V. *de Trinit.* cap. 4.

(b) Reclamat doctiss. Joan. Lamius *de recta Nicænorum Patrum fide* cap. 33. n. 12., contendens, a Concilio, cum dixit: *essentia non est generans* &c. fuisse intellectam essentiam divinam *absolute*, per sese, & ut a personis divinis abstracta, præcisaque spectatur; cujusmodi admissam fuisse a Magistro *Sententiarum* Joachimus Abbas putabat (Recole quæ diximus in Tract. *de Deo* dissert. II. in nota ad n. 37.) non autem ut in unaquaque persona consideratur, & est peculiari proprietate affecta; *alias*, subdit Lamius, *omnes fere christianæ antiquitatis Theologi turpissime lapsi essent, & immanis peccati redargui possent*.

(c) Supponimus tamquam certum ex communi S. Patrum doctrina, & fidelium persuasione, secundam

Patre, & Filio, non factus, nec *creatus*, nec *genitus*, *sed procedens*. Sed hujusmodi discriminis veram rationem reddere, difficillimum est; adeo ut aliqui S. Patres hanc quæstionem prorsus insolubilem esse putaverint. Non defuerunt tamen alii, cum veteres, tum recentiores, qui aliquam hujus rei, non quidem omnino certam, sed probabilem saltem rationem reddere conati sunt. Decem enumerat Dion. Petavius Lib. VIII. *de Trinit.* cap. 13. & 14.: nos præcipuas indicabimus inferius, postquam nostram ut maxime probabilem proposuerimus.

56. S. Thomas, & post eum multi alii Theologi in eo situm esse volunt discrimen inter Filii, & Spiritus sancti processionem, quod ille per intellectum, iste autem per voluntatem originem trahant, quanquam in hoc ipso declarando non parva sit inter ipsos contentio. Nos a S. Thomæ vestigiis non recedemus, atque expressis fere ipsius verbis utemur, quæ habet I. P. q. 27. art. 3. & 4.

57. Generatio significat *originem alicujus viventis a principio vivente conjuncto secundum similitudinem naturæ*. Tria igitur requiruntur, ut aliqua processio dici possit *generatio*. Primo, ut tam genitum, quam generans sit vivens, quapropter sudor, calculi, pili, capilli, & id genus alia, quæ corpore humano oriuntur, proprie non dicuntur generari, nec ullo modo appellantur *filii*. Secundo requiritur, ut generans sit conjunctum, hoc est, producat genitum ex sua substantia. Hinc primus homo a Deo formatus ipsius filius dici nequit, quia illum Deus non de sua substantia produxit, sed de limo terræ formavit. Tertio requiritur, ut genitum procedat a generante in similitudinem naturæ, non secundum genus tantummodo, sed plane secundum speciem. Hinc vermes, qui a *corpore* humano scatent, licet viventes sint, hominis tamen *filii* appellari minime possunt.

58. Jam vero hæc tria in processione Verbi habentur, ex quo procedit per intellectum; procedit enim per actionem vitalem; procedit a principio conjuncto, cum ipsissimam Patris essentiam recipiat; procedit denique in similitudinem naturæ, quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectæ: neque enim aliter fit intellectio, quam exprimendo imaginem rei intellectæ; unde inquiunt Philosophi, intellectum esse *assimilativum*.

59. Res contra se habet in processione Spiritus sancti: ut enim observat Angelicus art. 4., *hæc est differentia inter intellectum, & voluntatem, quod intellectus sit in actu per hoc, quod res intellecta est in intellectu secundum suam similitudinem; voluntas autem sit in actu, non per hoc, quod aliqua similitudo voliti sit in voluntate, sed ex hoc, quod voluntas habet quamdam inclinationem in rem volitam. Processio igitur, quæ attenditur secundum rationem intellectus, est secundum rationem similitudinis; & intantum potest habere rationem generationis, quia omne generans generat sibi simile. Processio autem, quæ attenditur secundum rationem voluntatis, non consideratur secundum rationem similitudinis; sed magis secundum rationem impellentis, & moventis in aliquid.*

60. Annon dicet aliquis, etiam Spiritus sanctus naturam omnino similem, imo eamdem ipsissimam cum Patre, & Filio in sua processione recipit? Cur ergo illius processio non dicitur generatio?

61. Resp. Spiritum sanctum eamdem Patris & Filii naturam recipere *identice*, ut Scholæ loquuntur, sed non *formaliter*: hoc est, non ex vi processionis; formalis enim voluntatis terminus est unio, non similitudo naturæ. *Sicuti*, inquit S. Thomas Lib. IV. *Cont. Gent.* cap. 23., *si aliquis homo virtute sibi divinitus ad hoc concessa hominem faceret ex aliqua sui corporis parte, vel etiam exteriori modo, sicut facit artificiata, productus homo producentis filius non diceretur, quia non procederet ab eo, ut natus*. Sic etiam Eva ex Adami costa formata, eique perfecte similis in natura humana, nullo pacto Adami filia dicitur, aut dici potest, non alia certe de causa, nisi quia ab illo non processit per actionem *assimilativam* in natura.

62. Caute igitur distinguendæ sunt hæ propositiones: *Spiritus sanctus formaliter est Deus; formaliter est persona divina*, ab istis aliis: *Spiritus sanctus procedit a Patre, & Filio formaliter ut Deus: procedit formaliter ut persona divina*; primæ sunt veræ; aliæ autem omnino negandæ; reddunt enim sensum, quod Spiritus sanctus *ex vi suæ processionis* per voluntatem assimiletur Patri, & Filio; quod est falsum. Tota ergo diversitas in utraque processione est in *modo*: modus enim processionis Filii per intellectum est *assimilativus*; non autem modus processionis Spiritus sancti per voluntatem. Vid. S. Thomas I. P. q. 27. art. 4. ad 1.

63.

Sanctissimæ Triadis personam appellari, & esse *Verbum*, *& Filium*; nec audiendos esse Harduinum, & Berruyer, quorum prior ea verba Joann. I. *In principio erat Verbum* ita commentatur: *Verbum, non Filius ... Aliud esse Verbum, aliud esse Filium Dei, intelligi voluit in scriptis suis Evangelista Joannes. Verbum est secunda Sanctissimæ Trinitatis persona, Filius Dei ipsa per se quidem, sed tamen, ut eidem Verbo hypostatice unita Christi humanitas &c.* Quam erroneam doctrinam sæpius in suis Operibus idem Auctor insinuat, ejus autem discipulus Joan. Berruyer adoptavit. Erronea, inquam, est hæc doctrina, & S. Patrum traditioni repugnans; imo ipsi Apostolorum Symbolo, quo profitemur, nos credere *Filium Dei*, nempe Verbum conceptum, natum, passum &c. Sane Justinus in Dial. cum Tryphone n. 105. Verbum dicit a Patre *genitum*, quod idem est, ac naturalem *filium* dicere. Et infinitus essem, si omnia, quæ ad hunc errorem refutandum pertinent, afferre vellem.

63. Obj. primo. Spiritus sanctus vocatur *imago Filii* a S. Basilio Lib. V. contra Eunomium, ubi inquit: *vera, & naturalis imago Dei Christus. Christi autem imago vera Spiritus sanctus.* Quod etiam invenitur apud S. Cyrillum Lib. XI. in Joannem, & apud quosdam alios Patres Græcos. Sed *imago* significat processionem per generationem, juxta illud Gen. V. 3. Adam *genuit filium ad imaginem, & similitudinem suam.* Item ab eodem S. Basilio Lib. V. contra Eunomium Spiritus sanctus dicitur *Verbum Filii, sicut Filius est Verbum Patris:* Ergo Spiritus sancti processio dici potest generatio, non minus quam processio Filii.

64. Resp. primum cum S. Thoma I. P. quæst. 35. art. 2. „ quod Doctores Græcorum communiter dicunt *Spiritum sanctum esse imaginem Patris, & Filii;* sed Doctores latini soli Filio attribuunt nomen *imaginis:* non enim invenitur in canonica scriptura, nisi de Filio: dicitur enim Coloss. I. 15. *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ*, & Hebr. I. 3. *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus* “.

65. Hanc autem græcorum Patrum loquendi rationem non probat Angelicus, subdens: „ Aliter dicendum est, quod sicut Spiritus sanctus, quamvis sua processione accipiat naturam Patris, sicut & Filius, non tamen dicitur *natus; Verbum*, de cujus ratione est similitudo speciei ad id, a quo procedit; non autem de ratione amoris, quamvis hoc conveniat amori, qui est Spiritus sanctus, inquantum est amor divinus. „ Qua posita doctrina S. Doctor explicat verba Damasceni dicentis Lib. I. *de fide orthodoxa* cap. 18.: *Spiritus sanctus est imago Filii* „ quod Damascenus, & alii Doctores Græcorum communiter utuntur nomine *imaginis* pro perfecta similitudine “.

66. Objectus vero locus S. Basilii explicatur hoc modo, quod Spiritum Sanctum vocaverit *Verbum Filii*, quia Filium manifestavit hominibus, testimonium de eo reddidit, ipsumque glorificavit, juxta illud Christi Domini promissum Joan. XVI. 14. *Ille* (Spiritus Sanctus) *me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Vel etiam quia sicut Pater per *Verbum* suum omnia operatus est, ita Filius sanctificans homines per Spiritum sanctum omnia operatur, quæ pertinent ad nostram salutem; unde etiam Verbum carnem assumens Spiritus sancti opera usus est, quando Spiritus sanctus supervenit, in Mariam ejus matrem, & virtus Altissimi obumbravit eam. Ceterum idem S. Basilius Hom. XXVIII. contra Sabellium duas processiones Filii, & Spiritus sancti aperte distinguit.

67. Obj. primo. In Deo voluntas non distinguitur ab intellectu: ergo etiam non distinguentur duæ processiones, ut una dici possit generatio, alia non possit.

68. Resp. cum S. Thoma I. P. qu. 27. art. 3. ad 3. „ quod licet in Deo non sit aliud voluntas, & intellectus, tamen de ratione voluntatis, & intellectus est, quod processiones, quæ sunt secundum actionem utriusque, se habeant *secundum quemdam ordinem*. Non enim est processio amoris, nisi *in ordine ad processionem Verbi:* nihil enim potest voluntate amari, nisi sit in intellectu conceptum. Sicut igitur attenditur quidam ordo Verbi ad principium, a quo procedit, licet in divinis sit eadem substantia intellectus, & conceptio intellectus; ita licet in Deo sit idem voluntas, & intellectus, tamen quia de ratione amoris est, quod non procedat, nisi a conceptione intellectus, habet ordinis distinctionem processio amoris a processione Verbi in divinis “. Posito autem hoc ordine processionum, facile intelligitur, etiam modum procedendi esse diversum, sicut explicatum est.

69. Ob. secundo. Similitudo non minus est de ratione Amoris, quam Verbi; unde dicitur Ecclesiastici XII. 19.: *Omne animal diligit simile sibi:* ergo non minus Spiritus sanctus, qui procedit tanquam Amor, quam Filius, qui procedit ut Verbum, *generari* dicetur, ut nullum sit inter utrumque discrimen.

70. Resp. cum S. Thoma ad 2., similitudinem aliter pertinere ad Verbum, & aliter ad Amorem; ad Verbum enim pertinet, quatenus est quædam similitudo rei intellectæ, sicut genitum est similitudo generantis: ad amorem autem pertinet, quod ipse amor sit similitudo, sed inquantum similitudo est principium amandi. Unde non sequitur, quod amor sit genitus, sed quod genitum sit principium amoris.

71. Neque obest, quod idem S. Thomas ibidem art. 3. dicat, per processionem amoris *amatum esse in amante, sicut per processionem verbi res dicta, vel intellecta est in intelligente*.

72. Non obest, inquam; hoc enim significat tantummodo conjunctionem inter amantem, & amatum, quæ *per se* quidem non efficit, nisi unitatem moralem; sed in divinis personis propter identitatem naturæ hæc unitas est substantialis, non propter agendi modum voluntatis, sed ratione subjecti divini.

73. Dices: Si hæc ratio valet, nec Verbum proprie dici poterit esse a Patre genitum; nam ex vi processionis ab intellectu non habet, nisi *intentionalem* similitudinem, habet vero similitudinem *naturalem* ex condictione subjecti, in quo est idem esse, & intelligere.

74. Resp. sicut mox dictum fuit num. 62. ex S. Thoma, in hoc esse totum discrimen, quod Verbum ex natura sua est similitudo rei intellectæ, *sicut genitum est similitudo generantis:* hæc autem similitudo non est in amore, nisi ratione subjecti divini.

75. Ob. tertio. In sacris litteris ad significandam,

dam processionem divinarum personarum nullum aliud invenitur nomen, quam *generationis*: ergo etiam processio Spiritus sancti erit generatio.

76. Respondet S. Th. ad 3. hujus rei causam esse, quod Deum nominare non possumus, nisi ex creaturis. Et quia in creaturis communicatio naturæ non est, nisi per generationem, processio in divinis non habet proprium, vel speciale nomen nisi *generationis*; unde processio, quæ non est generatio, remansit sine speciali nomine; consuevit tamen nominari *spiratio*, quia est processio Spiritus. Cæterum neque in libris sacris, neque in operibus sanctorum Patrum Spiritus dicitur *genitus*, aut *filius*. Contra autem Verbum non solum dicitur Filius, sed Filios *unigenitus*, Jo. cap. 14.; item cap. III. 16. & alibi (*a*).

77. Obj. quarto. Ratio S. Thomæ tota innititur philosophicæ Peripateticorum opinioni, intellectum nempe, cum intelligit, producere intra se speciem, seu verbum; quæ opinio non omnibus Philosophis arridet. Videtur autem non esse tantum mysterium rationibus dubiis explicandum; ne scilicet Hæreticis illud negantibus ansa quædam triomphandi præbeatur.

78. Resp. hanc difficultatem nullam omnino esse, cum non agatur de aliquo dogmate fidei confirmando, sed solum de aliqua opinione probabili ad majorem hujus arcani mysterii intelligentiam, & explicationem, cujusmodi est ratio Angelici nostri Præceptoris, qua explicatur aliquo modo satis verisimili discrimen inter duas divinas processiones Filii, & Spiritus sancti. Neque vero hic habent, unde triumphent, imo nec ubi cavillentur Hæretici sanctissimæ Trinitatis hostes. Nam etiamsi hæc multorum Scholasticorum, eorumque Principis S. Thomæ opinio nutaret, non profecto nutaret realis divinarum Personarum processio, & distinctio, quæ non ab hac opinione pendet, sed firmissimis, & inconcussis divini eloquii scripti, & traditi fundamentis, tum etiam repetitis Ecclesiæ definitionibus innixa est.

79. Obj. ultim. Saltem nota temeritatis non caret, velle rationibus id explicare, quod sancti Patres ineffabile judicarunt. Nam S. Athanasius Orat. II. contra Arianos num. 36. *Nec vero*, inquit, *quærenda est ratio*, *cur Dei Verbum non tale sit*, *quale nostrum*... *Nec etiam investigare convenit*, *quomodo Verbum ex Deo est*, *quove modo splendor sit Dei*, *aut quomodo gignit Deus*, *quisve ille sit Dei gignendi modus*. *Insanus enim is est æstimandus*, *qui ista scrutari non verebitur*, *quippe qui existimet*, *rem inexplicabilem divinæque propriam naturæ soli Deo*, *ac Filio cognitam*, *posse verbis exprimi*.

80. Præt. S. Jo. Chrysostomus Orat. I. *De comprehensibili Dei natura* hæc habet de Deo: *Scio ipsum genuisse Filium*; *quomodo autem*, *ignoro*. *Novi Spiritum ex ipso esse*, *quomodo autem ex ipso sit*, *nescio*. *Cibos comedo*; *quo pacto autem dividantur in pituitam*, *sanguinem*, *humorem*, *&* *bilem*, *ignoro*. *Hæc*, *quæ quotidie comedentes videmus*, *ignoramus tamen*; *&* *Dei substantiam curiose scrutamur?*

81. Tertio Sanct. Gregorius Nazianzenos Orat. XXXIX. (in nova edit. XX. num. 9.) Ariano interroganti, *si Filius generatus est*, *quomodo generatus est?* primo ita reponit: *Responde tu quoque mihi*, *o acute*, *&* *invicte sophista*: *si creatus est*, *quomodo creatus est?* *ac postea ex me sciscitare*, *quomodo generatus sit*. Deinde sic pergit num. 11.: *Audis generationem? Modum curiosius ne inquiras*. *Audis*, *Spiritum ex Patre procedere?* *Id quomodo fiat*, *ne anxio studio perscruteris*.

82. Quarto. Longum esset aliorum Græcorum Patrum testimonia similia afferre, unde satis erit auctoritas S. Jo. Damasceni, in Lib. *de fide orthodoxa* c. 4. ubi inquit: *Et quidem generationem inter & processionem discrimen intercedere edocti sumus*; *ceterum quis sit hujus distinctionis modus*, *prorsus nescimus*.

83. Eamdemque modestiam, & sobrietatem servarunt Patres latini. S. enim Ambrosius lib. I. *de fide ad Gratianum* c. 10. *Mihi*, ioquit, *impossibile est generationis scire secretum*: *mens deficit*, *vox silet*... *Licet scire*, *quod natus sit*; *non licet discutere*, *quemadmodum natus sit*. *Illud negare mihi non licet*, *hoc quærere*, *metus est*. Et lib. IV. in S. Luc. n. 72. *Etsi*, inquit, *non licet mihi scire*, *quemadmodum natus sit*, *non licet tamen nescire*, *quod natus sit*. *Seriem generationis ignoro*, *sed auctoritatem generationis agnosco*.

84. Sed præ ceteris audiendus est S. Augustinus, qui Lib. II. *contra Maximinum* cap. 14. Tomo VIII., ita Arianum alloquitur: *Quæris a me*, *si de substantia Patris est Filius*, *de substantia Patris est etiam Spiritus sanctus*, *cur unus Filius sit*, *&* *alius non sit Filius?* Proposita ab Ariano quæstio eadem ipsa est, quam modo tractamus. Audiamus vero, quomodo illa sublimis ingeniorum aquila eamdem solvet. „Ecce „respondeo, *inquit*, sive capias, sive non ca„pias. De Patre est Filius, de Patre est Spiri„tus sanctus: sed ille genitus, iste procedens: „ideo ille Filius est Patris, de quo est genitus; „iste

(*a*) Nemini difficultatem ingerant aliqua Scripturarum divinarum loca, in quibus Christus vocatur *primogenitus in multis fratribus*, ut Roman. VIII. 29.; hi enim Christi fratres sunt justi filii Dei adoptivi per gratiam. Unde Concilium Ephesinum c. 4. bene observavit, Jesum Christum fuisse nuncupatum Filium Dei *primogenitum*, *&* *unigenitum*; *primogenitum* comparative ad Filios adoptivos, & *unigenitum* per exclusionem aliorum filiorum naturalium. Verum id obiter.

„ iste autem Spiritus utriusque, quoniam de utroque procedit ... Quid autem inter nasci, & procedere intersit, de illa excellentissima natura loquens explicare quis potest? Non omne, quod procedit, nascitur, quamvis omne procedat, quod nascitur; sicut non omne, quod bipes est, homo est, quamvis bipes sit omnis, qui homo est. Hæc scio; distinguere autem inter illam generationem, & hanc processionem nescio, non valeo, nec sufficio. *Et tract.* 99. *in Jo.* Quid illic, *inquit*, intersit inter procedere, & nasci, & longum est quærendo disserere, & temerarium, cum disserueris, definire; quia hoc & menti utcumque comprehendere, & si quid forte mens inde comprehenderit, linguæ difficillimum est explicare, quantuslibet præsit doctor, quantuslibet adsit auditor." Quod igitur SS. Patres inexplicabile, imo prorsus incomprehensibile judicarunt, non potest sine magna temeritatis nota explicari.

85. Respond., Sanctos Patres noluisse hanc difficillimam controversiam ingredi, quando agebant contra Arianos, & Macedonianos, qui Spiritum sanctum non esse divinam personam colligebant, quia Dei filius non est, imo neque *genitus*, neque *ingenitus* dicebatur. Prudenter autem Catholici has controversias, quæ ad fidem non pertinent, prætermittendas esse volebant, ne Trinitatis hostes his diverticulis elaberentur, atque ad eos coercendos, & convincendos merito reponebant, illud solum credendum, & prædicandum esse, quod a Deo in sacris libris revelatum est, nec alia, quæ reserata a Deo non sunt, curiosius esse investiganda præcipiebant (*a*).

86. Sic S. Athanasius in epist. ad Serapionem ad resecandas inanes & dolosas Hæreticorum subtilitates respondebat: „ Sufficit hoc nosse, Spiritum sanctum non esse creaturam, neque inter opera numerari ... Hæc sufficiunt fidelibus, hucusque humana pertingit cognitio, hucusque cum ventum est, Cherubim pennis obvelant faciem ejus. Qui autem plura istis inquirit, & perscrutari cupit, male obtemperat dicenti: Ne nimium sis sapiens, ne obstupescas. Nam quæ fide tradita sunt, hæc non humana sapientia, sed auditu fidei percipienda sunt." Sapienter igitur, & prudentissime sancti Patres de his subtilibus quæstionibus disputare nolebant cum hæreticis, ne inde ansam declinandi a dogmatibus fidei arriperent. Ceterum non ita ab hujusmodi quæstione abhorrebant, ut nefas omnino putarent, aliquas, sin minus undequaque certas, saltem probabiles hujus discriminis rationes afferri: reipsa enim non unam, sed plures ipsi attulerunt, quarum præcipuas leviter saltem sub oculos ponere non erit inutile.

87. Ac primo S. Basilius in Libro V. contra Eunomium Hæretico sciscitanti, cur Spiritus sanctus non sit filius Filii, ita respondet; „ Non quia non est ex Deo per filium, sed ut ne Trinitas infinita multitudo putetur, ac Filios ex filiis, ut in hominibus usuvenit, eam habere suspicetur aliquis." Tum postea rationem reddens, cur Scriptura Spiritum sanctum non vocet Filium, inquit, „ quia, si ita nominaret, Trinitatem deitatis in suspicione multitudinis apud audientes homines adduxisset. Facile enim esset opinari, si Filius e Filio natus sit, etiam ab isto alium esse genitum, & ab hoc rursus alterum, & ita plures deinceps esse genitos." Aliam etiam hujus discriminis rationem alibi insinuavit.

88. Secundo S. Augustinus, qui majori emphasi Hæreticos reprehendebat, quod aliquam ineffabilis hujus discriminis rationem exposcerent, in Tractatu 99. in Joannem n. 9. Tom. III. P. II. hæc habet: „ Hic utcumque etiam intelligitur, quantum a talibus, quales nos sumus, intelligi potest, cur non dicatur natus esse, sed potius procedere Spiritus sanctus. Quoniam si & ipse Filius diceretur, amborum utique Filius diceretur; quod absurdissimum est: Filius quippe nullus est duorum, nisi patris, & matris. Absit autem, ut inter Deum Patrem, & Deum Filium tale aliquid suspicemur." Quam S. Aug. rationem nonnulli Patres, & Theologi adoptarunt.

89. Aliam insuper idem S. Pater excogitavit ratio-

(*a*) Ut aliqua ponamus hujus rei exempla, ita Hæretici cavillabantur apud S. Athanasium in epist. ad Serapionem: *Si Spiritus sanctus creatura non est, neque unus ex Angelis, sed a Patre procedit, igitur & ipse Filius est, & duo sunt fratres, nimirum ille ipse Spiritus, & Verbum. Quod si frater est, quinam unigenitus est Verbum; aut quomodo non erunt aequales; cur ve alter post Patrem genitus est, iste vero post Filium nominatur? Quomodo etiam si ex Patre est, non & ipse genitus esse dicitur, nec Filius est, sed simpliciter Spiritus sanctus? Jam si est Filii Spiritus, unus ergo Pater erit Spiritus sancti.*

Nec minus protarva provocabat S. Augustinum Arianus Maximinus in Lib. II. contra eundem Maxim. cap. 14., inquiens: *Cum enim & Spiritum sanctum de substantia Patris esse dicatis, si Filius ex substantia Dei Patris est, de substantia Patris & Spiritus sanctus, cur unus Filius est, & alius non est Filius?* Et similiter apud Didymum in Opere *de Spiritu sancto* ita argutabantur Pneumatomachi: *Spiritus sanctus creatus non est, aut frater est Dei Patris, aut patruus est unigeniti Jesu Christi, aut Filius Christi est, aut nepos Dei Patris, aut ipse Filius Dei est, & jam non erit unigenitus Dominus Jesus Christus, cum alterum fratrem habeat.* His, aliisque similibus temerariis Hæreticorum interrogationibus unica erat, solida, & facilis responsio, qua nos etiam uteremur, si cum Hæreticis disputandum modo esset, resecandam esse omnem curiositatem, & Scripturis credendum, quæ luculentissime tradunt, tres esse divinas Personas; quarum una dicitur Pater, altera Filius, altera Spiritus Sanctus; primam esse ingenitam, alteram a prima natam, tertiam ab utraque procedentem.

tionem quæsiti discriminis Lib. V. *de Trinit.* cap. 14., „ quia Spiritus sanctus exiit a Patre, „ non quomodo natus, sed quomodo datus; & i„ deo non dicitur Filius, quia neque natus est, „ sicut unigenitus, neque factus, ut per Dei gra„ tiam in adoptionem nasceretur, sicuti nos. *Quæ* „ *verba postea S. Doctor ita explicat cap. seq.:* „ Quod donum, idest, Spiritus sanctus, non ex „ tempore, sed ex æternitate procedit. Sed quia „ sic procedebat, ut esset donabile, jam donum „ erat, & antequam esset, cui daretur. " Ut scilicet intelligamus, Spiritum sanctum appellari *donum*, non ad denotandum id, quod actu donatur, sed quod ab æterno fuit *donabile*. Hoc autem vocabulum *doni* non male tribuitur Spiritui sancto, quia donum ex amore, & charitate procedit, amor autem, & charitas proprie de Spiritu sancto dicuntur (*a*).

90. Tertio S. Gregorius Nyssenus in Libro ad Abladium aliam hujus discriminis causam affert, quam etiam nonnulli alii Patres Græci attulerunt, scilicet Spiritum sanctum non dici genitum, quia a Patre, *non immediate*, sed *mediate*, nempe per Filium, procedit. En ejus verba; cum enim dixisset, personas divinas eo solo distingui, quod vel principium sint, vel a principio, ita subdit: „ Et ejus, quod est ex principio, rursus aliud „ discrimen intelligimus. Nam aliud proxime est „ a primo; aliud per id, quod proxime est a „ primo; adeo ut & unigeniti proprietas sine ul„ la controversia maneat in Filio, neque dubium „ sit, quin ex Patre Spiritus existat, cum ipsa „ Fidei interpositio, & Unigeniti conditionem ei „ conservet, & Spiritum a naturali, quam ad „ Patrem habet, habitudine non excludat. " S. etiam Basilius in epist. 43. in eamdem fratris sui conspirat sententiam (*b*).

91. Jam vero ex his paucis sanctorum Patrum sententiis (nam multo plures recensere potuissemus) facile est concludere, nullo modo eos vetuisse aliquam hujus abstrusissimi arcani investigare rationem, sin minus omnino certam, saltem probabilem, & talem, quæ immobilibus fidei catholicæ decretis non repugnet; unde temere accusantur, qui ad difficillimum hunc nodum solvendum omnes ingenii nervos intenderunt. Quod postea majori studio conati sunt Theologi, quorum opiniones breviter recensere, neque ingratum, neque inutile erit.

92. Primo. Richardus a S. Victore, clarus Sæc. XII. Scriptor, in Lib. *de Trin.* VI. postquam præmisit, hanc materiam esse *multum profundam*, *& diligenti inquisitione dignissimam* c. 6. statuit, tam Filium, quam Spiritum sanctum procedere „ de voluntate paterna, *quatenus* innascibilis, „ *nempe Pater*, condignum habere voluit, & pro „ voluntate habere oportuit, ut esset, cui sum„ mum amorem impenderet, & qui sibi summum „ amorem rependeret. Nec solum condignum, „ sed etiam condilectum habere voluit, & pro „ voluntate habere oportuit, ut consortem amoris „ haberet .... Condignum itaque habere voluit, „ ut esset, cui communicaret magnitudinis suæ „ divitias: condilectum vero, ut haberet, cui com„ municaret charitatis delicias. Communio itaque „ majestatis fuit (ita dicam) causa originalis u„ nius: communio amoris videtur velut quædam „ causa originalis alterius. Quamvis igitur utriu„ sque personæ productio procedat (ut diximus) „ de voluntate paterna, est tamen in hac produ„ ctione, vel processione, gemina ratio, alia, & „ alia causa, & diversa. *Et plurima hac de re* „ *disputata c. 17. ita* verbum suum abbreviatum „ *proponit*: Ingenitum velle habere de se sibi con„ formem, ac condignum, idem mihi videtur, „ ac gignere Filium. Tam genitum, quam inge„ nitum velle habere condilectum, idem videtur, „ quod producere Spiritum sanctum. In illo no„ ta communionem honoris, in isto communio„ nem amoris. "

93. In hac doctrina Richardi Victorini primo probandus non est vocabulorum usus, a communi sanctorum Patrum, ac Theologorum consuetudine alienus; qui nunquam dicere consueverunt, *originalem causam* Filii esse Patris *omnipotentiam*, *& voluntatem;* cum semper, constanterque dicatur, Filium procedere a Patre *per intellectum*, quo generat suum Verbum. Sed præterea non apparet in his verbis *condigni*, & *condilecti* sufficiens ratio discriminis, quod hic quæritur, duarum processionum. Utraque enim persona potest, & debet appellari *condigna*, & *condilecta*, cum utraque sit Patri consubstantialis, & coæqualis.

94.

(*a*) Lambertus Danæus Calvinista in Schol. ad Lib. I. *Sentent.* Dist. 18. Augustinum, aliosque vellicare ansus est, quod Spiritum sanctum dixerint, potuisse ab æterno appellari *donum*, quia ab æterno *donabile* erat, contendens, non posse appellari *donum*, nisi quod *donatum est*. Et quidem subdit, *si donum est, quod potentia tantum donabile est, nondum autem est donatum, & Spiritus sanctus, qui donum est, etiam procedens est a Patre, & Filio, sequetur Spiritum sanctum procedere de Patre, & Filio potentia tantum, non actu*. Sed frivola hæc ratio. Namque esse *donum*, vel *donabile* non indicat tantum potentiam in Spiritu Sancto procedendi, sed modum actualis processionis; unde S. Pater Lib. V. c. 15. *Quia*, inquit de Spiritu Sancto, *sic procedebat, ut esset donabile, jam donum erat, & antequam esset, cui daretur*.

(*b*) Hanc Sancti Gregorii rationem esse prorsus invictam putavit Emmanuel Calecas cap. 3. inquiens: *Proprietas Spiritus est, ex Patre procedere per Filium, sive a primo per medium existere; ac propter hanc processionem dicitur procedere; nam Filius esset, si a Patre, nullo interposito prodiret. Quippe hoc ipsum a Patre immediate esse, proprietas est Filii*. Eidem sententiæ subscribunt Card. Bessarion in suo Libro Dogmatico cap. 7., Gennadius cap. 1. contra Græcos, & alii.

94. Hinc fortasse factum est, ut ipse Richardus sua allata ratione minime contentus cap. 18. aliam insinuaverit, quamvis non omnino claram, & multo minus communiter receptam; nempe esse *proprium Spiritui sancto habere, nec personæ alicui dare; commune autem Patri & Filio tam habere, quàm dare*. Merito autem Patris *Filium dici debuisse, cui Pater hanc proprietatis suæ figuram, & imaginis formam intime impressit, & plene expressit: propter hanc conformitatis expressionem solum Filium imaginem Patris dici; propter hoc solum Filium figuram substantiæ illius recte nominari* &c. Hanc rationem adoptarunt Alexander Alensis I. P. q. 42. membro 2., Major in I. *Sentent.* distinct. 3. q. unica, aliique clarius docentes, processionem Spiritus Sancti ideo esse a Verbi processione distinctam, quia hoc accipit Patris naturam fœcundam, ut aliam Personam producere possit; non sic autem Spiritus sanctus, a quo nulla alia Persona procedit. Hanc etiam rationem haud obscure insinuare videtur S. Basilius Lib. V. contra Eunomium, docens, Spiritum Sanctum non posse dici Filium Filii, quia ex eo alius non procedit.

95. Præter ea multa, quæ contra hanc explicationem objici possunt, illud est palmare, & obvium; nempe adhuc explicandum superesse, quare Filius per generationem accipiat naturam fœcundam ad productionem alterius personæ divinæ, Spiritus sanctus autem non accipiat? Fortasse quia Filius similis est Patri? At Spiritus sanctus etiam est similis, & æqualis Patri, a quo eamdem numero accipit essentiam. Ulterius quamvis Filius sit Patri omnino similis, & æqualis, non tamen a Patre accipit, ut possit alium generare Filium. Jure igitur, meritoque hæc opinio rejicitur.

96. Secundo. S. Bonaventura in Lib. I. *Sentent.* distinct. 13. q. 2. Verbum genitum dici vult, quia procedit per intellectum, Spiritum sanctum vero non posse hoc nomine appellari, quia procedit per voluntatem; quæ opinio cum nostra convenit, modo addatur explicatio S. Thomæ a nobis superius exposita.

97. Tertia sententia est Gabr. Vasquez, qui disput. 113. in I. P. S. Thomæ cap. 7., Verbi processionem appellandam esse *generationem* vult, quia Verbum divinum & in sacris litteris, & a Sanctis Patribus passim vocatur perfecta, & essentialis æterni Patris imago; imago autem perfecta Patris non potest esse nisi Filius. Quæ sententia nec nobis displiceret, si explicaretur postea vera ratio, quare Verbum dicatur *imago* Patris; nempe quia procedit per intellectum, in quo rei intellectæ imago formatur; & quidem imago subsistens, & essentialis, si loquamur de intellectu divino, prout supra explicatum fuit.

98. Quarta opinio Franc. Suarez non multum a nostra distat. Docet enim hic auctor Lib. XI. *de Trin.* cap. 6., processionem Verbi divini esse generationem, quia fit per intellectionem actualem, quæ est gradus quasi specificus divinæ essentiæ.

99. Hæ præcipuæ sunt Patrum, & Theologorum opiniones ad explicandam obscurissimam hanc quæstionem, qua Hæretici perpetuo nostros pulsabant; non ut arcanum hoc mysterium clarius cognoscerent, sed ut difficultatibus excitatis illud aut aperte exploderent, aut saltem in dubium revocarent. Fideles autem Catholici illis contemptis, aut quocumque modo solutis, mysterii substantiam, quantum ex revelatione constat, firmissime tenebant, & toto cordis affectu Trinitatem in unitate, & unitatem in Trinitate venerabundi adorabant (a).

CAPUT IV.

Ostenditur, admittendas esse quatuor relationes reales, quibus tres divinæ personæ distinguuntur ab invicem. Vid. S. Thomas I. P. quæst. 28. & 40.

110. Relatio, ut omnes norunt, *est ordo, seu habitudo unius ad aliud*. Quæritur autem, an hujusmodi ordo, seu habitudo in divinis personis inveniatur, & quidem *realiter*, seu a parte rei, & non tantum secundum nostrum concipiendi modum, quo plura in divinis distinguimus, quæ distincta reipsa non sunt. Quatuor autem hujusmodi relationes numerantur, quibus divinæ Personæ se mutuo respiciunt; scilicet *paternitas*, qua prima Persona refertur ad secundam, quam genuit; *filiatio*, qua secunda vicissim refertur ad primam, a qua genita est: *spiratio* activa, qua Pater, & Filius ordinem dicunt ad Spiritum sanctum, quem mutuo amore producunt; ac demum *spiratio* passiva, qua Spiritus sanctus a Patre, & Filio procedit; & hæ relationes *originis* appellantur.

101. Jam vero has originis relationes *realiter* esse in divinis Personis, dubitari minime potest; ut enim recte S. Thomas ratiocinatur I. P. q. 28. art. 1., *Pater non dicitur, nisi a paternitate, & Filius a filiatione: si igitur paternitas, & filiatio non sint in Deo realiter, sequitur, quod Deus non sit realiter Pater, aut Filius, sed secundum rationem intelligentiæ tantum; quod est hæresis Sabelliana*.

102. Probat ulterius S. Doctor, has relationes esse reales, & mutuas his verbis: *Cum aliquid* pro-

(a) De hac materia qui plura desiderat, adeat inter alios Carolum Witasse Tomo II. *de August. Trinitate* Q. V. art. 5. sect. 2., ubi breviter aliorum Theologorum rationes exponit, & refellit; nostram ut probabiliorem defendit. Etiam Dion. Petavius Lib. VII. *de Trinit.* cap. 14. eamdem multis, ut solet, veterum Patrum testimoniis corroborat.

procedit a principio ejusdem naturæ, necesse est, quod ambo, scilicet procedens, & id, a quo procedit, in eodem ordine conveniant; & sic oportet, quod habeant reales respectus ad invicem. Cum igitur processiones in divinis sint in identitate naturæ, necesse est, quod relationes, quæ secundum processiones divinas accipiuntur, sint relationes reales.

103. Et certe si vel nullæ essent in Deo relationes, vel non essent reales, sed rationis tantum, Personæ divinæ inter se realiter non distinguerentur, sed solum ratione, seu per mentem nostram, qui fuit error Sabellii, in superiore Dissert. a nobis confutatus. Cum enim Personæ divinæ inter se distingui non possint per aliquod prædicatum absolutum, sed solum per proprietates relativas (attributa enim absoluta, ut sapientia, bonitas, potentia &c. omnibus Personis communia sunt), erit distinctio inter easdem personas, quales sunt relationes; nempe distinctio realis, si relationes sunt reales, & sola virtualis, seu rationis, si relationes sint solum ex mente nostra confictæ.

104. Hoc invicto argumento usus est in Concilio Florentino celebris Joannes de Monte nigro Dominicanus Sess. XVIII. universo illorum Patrum cœtu approbante ita concludens: *Secundum Doctores, tam græcos, quam latinos, sola relatio est, quæ multiplicat personas .... nam in divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.* Hinc illud etiam a Boetio sapienter dictum in fine libri *de Trinitate: Substantia in divinis continet unitatem, relatio multiplicat Trinitatem.*

105. Perfacile autem esset, multorum S. Patrum testimonia ad hanc doctrinam confirmandam afferre, quod Petavius fecit L. IV. *de Trinit.* c. 9. Sed nos uno Augustino contenti erimus. In Lib. V. *de Trinit.* c. 3. difficultatem proponit, qua Ariani contra catholicam fidem disputabant hoc modo: *Quidquid de Deo dicitur, vel intelligitur, non secundum accidens, sed secundum substantiam dicitur, diversum est autem, ingenitum esse, & genitum esse: diversa est ergo substantia Patris, & Filii.*

106. Hoc autem subtile Arianorum sophisma non aliter solvebat S. Doctor, quam proposita divinarum relationum doctrina, inquiens c. 5. *In Deo nihil quidem secundum accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile est; nec tamen omne, quod dicitur, secundum substantiam dicitur. Dicitur enim ad aliquid, sicut Pater ad Filium, & Filius ad Patrem, quod non est accidens, quia & ille semper Pater, & ille semper Filius .... Si vero quod dicitur Pater, ad seipsum diceretur, non ad Filium; & quod dicitur Filius, ad seipsum diceretur, non ad Patrem, secundum substantiam diceretur; & ille Pater, & ille Filius; sed quia & Pater non dicitur Pater, nisi ex eo, quod est ei Filius, & Filius non dicitur nisi ex eo, quod habet Patrem; non secundum substantiam hæc dicuntur, quia non quisque eorum ad seipsum, sed ad invicem, atque ad alterutrum ista dicuntur: neque secundum accidens, quia & quod dicitur Pater, & quod dicitur Filius, æternum, atque incommutabile est eis. Quamobrem quamvis diversum sit, Patrem esse, & Filium esse, non est tamen diversa substantia, quia hæc non secundum substantiam dicuntur, sed secundum relativum, quod tamen relativum non est accidens, quia non est mutabile.* Non piguit longiusculum hoc S. Augustini testimonium recitare, quia mirifice non solum doctrinam, sed etiam consuetas Scholasticorum voces confirmat, ut desinant aliqui nimis morosi etiam hac in parte nos carpere. En itaque, quomodo sacrosanctum Trinitatis mysterium non possit contra hæreticorum argutias defendi, nisi admissis relationibus, quibus divinæ Personæ distinguuntur.

107. Ob. primo. Deus potest vere esse Pater quin reali aliqua relatione ad Filium referatur; nam Deus vere omnium rerum est creator & Dominus, quin tamen ulla in eo ponatur realis relatio ad creaturas; & sic etiam Maria appellata fuit, & est reipsa Θεοτόκος, *Mater Dei*, nec tamen Verbum divinum realiter ad Mariam refertur: pari ergo ratione divinæ Personæ &c.

108. Resp. neg. ant, ad cujus primam prob. attendenda est insignis S. Thomæ doctrina I. P. q. 13. art. 7., ubi distinguit inter relationes, quæ sunt inter duo extrema ejusdem ordinis, & illas, quæ sunt inter duo extrema diversi ordinis: primæ sunt reales ex utraque parte, aliæ vero non. Sic relatio, quæ est inter patrem, & filium ejusdem naturæ, est in utroque realis. Relatio vero, quæ est inter sensum & sensibile, vel inter scientiam & scibile (exemplum est S. Thomæ) realis quidem est in sensu, & in scientia, non autem in sensibili, vel scibili, quia scientia, & sensus reipsa *ordinantur ad sciendum vel sentiendum res; sed res ipsæ in se consideratæ sunt extra ordinem hujusmodi, unde in eis non est aliqua relatio realiter ad scientiam, vel sensum, secundum rationem tantum, inquantum intellectus apprehendit ea, ut terminos relationum scientiæ, & sensus. Unde Philosophus dicit,* (in V. *Metaph. textu* 20.) *quod non dicuntur relative, eo quod ipsa referantur ad alia, sed quia alia referuntur ad ipsa. Et similiter dextrum non dicitur de columna, nisi inquantum ponitur animali ad dexteram: unde hujusmodi relatio non est realiter in columna, sed in animali.*

109. Ex his autem sic postea concludit Angelicus: *Cum igitur Deus sit extra totum ordinem creaturæ, & omnes creaturæ ordinentur ad ipsum, & non e converso, manifestum est, quod creaturæ realiter referuntur ad ipsum Deum; sed in Deo non est aliqua realis relatio ejus ad creaturas, sed secundum rationem tantum, inquan-*

quantum creaturæ referuntur ad ipsum. Non itaque est eadem ratio relationis inter divinas Personas, & relationis Dei ad creaturas; prima enim est mutua, quia extrema sunt ejusdem ordinis; altera non est, quia extrema sunt diversi ordinis.

110. Neque vero quis inferat, si in Deo non est relatio dominii *secundum rem*, sed solum *secundum rationem*, Deum non esse *realiter* dominum. Non inquam; respondet enim Angelicus ibid. ad 5. *Cum relatio subjectionis sit realiter in creatura, sequitur, quod Deus non secundum rationem tantum, sed realiter sit dominus, eo enim modo dicitur dominus, quo creatura ei subjecta est*.

111. Ex allata Sancti Thomæ doctrina facile expeditur secunda primi antecedentis probatio; quia cum nempe Verbum divinum, quod ex Maria Virgine carnem sumpsit, altioris est ordinis, quam Mater, eamque infinito intervallo superat, non potest relatione reali ad ipsam referri; alias Verbum divinum in sua incarnatione aliquid reale de novo acquisivisset, quod Deo repugnat. Sicut ergo in hoc mysterio tota mutatio facta est in natura humana, quæ assumpta fuit in consortium divinæ naturæ, ita tota relatio realis est in Maria Virgine, quæ realiter facta est Mater Dei; in Persona autem divina non est nisi relatio rationis, quam intellectus noster concipit, non vero est relatio mutua, quia Personæ sunt diversi ordinis.

112. Dices: Quidquid in Deo est, propter summam, & infinitam ejus simplicitatem, ab ejusdem Dei essentia non distinguitur: si ergo sunt in Deo tres, & diversæ relationes, erunt etiam tres, & diversæ essentiæ, adeoque tres Dii.

113. Resp. neg. cons; relationes enim non distinguuntur quidem realiter a divina essentia, sed ratione tantum; quia inter absolutum, cujusmodi est essentia, & relativum, nulla est oppositio; unde eadem essentia divina, utpote infinita, potest diversas relationes habere. Relationes vero distinguuntur *realiter* inter se, propter mutuam correlatorum oppositionem: nihil enim potest referri ad seipsum. Per relationes ergo diversæ Personæ divinæ constituuntur, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, non distinctæ essentiæ. Frustra autem quæruntur in rebus creatis exempla ad hujus ineffabilis mysterii explicationem, quæ nulla sunt, nec esse possunt. Ceterum S. Augustinus hoc argumentum, quod *callidissimum machinamentum* appellabat, ita retorquebat in Arianos loco cit.: „ Si „ quidquid de Deo dicitur, secundum substantiam „ dicitur: ergo quod dictum est Joan. X. 30. *E*„ *go, & Pater unum sumus*, secundum subsi„ stentiam dictum est: una est igitur substantia „ Patris, & Filii “; quod Ariani negabant.

114. Dices iterum. Relatio non constituit personas, sed illis jam existentibus advenit; nec enim relatio paternitatis filium generat, sed eo generato resultat; corruit ergo ratio S. Thomæ, quod Personæ divinæ non exsisterent, si relationes in Deo realiter non essent, cum potius ex quo sint personæ, relationes resultent.

115. Resp., id verum esse in creaturis, quarum relatio est accidens, non autem in divinis Personis, in quibus relatio unum idemque est cum substantia divina. Falleremur quammaxime, si relationes divinas conciperemus, veluti formas aliquas advenientes divinæ essentiæ, ab eaque distinctas; distinguuntur enim realiter inter se propter mutuam oppositionem, quæ est inter generantem, & genitum, spirantem, & spiratum: non distinguuntur autem reipsa ab essentia, cum qua nullam dicunt oppositionem, cum relativum non opponatur absoluto. Distinguuntur ergo a divina essentia solum virtualiter per mentem nostram; distinguuntur postea inter se realiter propter mutuam oppositionem (*a*).

116. Ob. secundo. Relatio realis mutuam extremorum dependentiam importat, ut filius dependet a patre, servus ab hero; atqui nulla esse potest in divinis dependentia, utpote quæ imperfectionem involvit: ergo &c.

117. Resp., duplex esse relationis genus; alia enim est relatio effectus ad causam, & hæc dependentiam secum affert, atque imperfectionem. Altera est relatio *originis*, seu *principii*; & hæc connexionem quidem exigit, seu mutuam terminorum

(*a*) De hac re omnino consulendus est S. Thomas, qui I. P. quæst. 40. art. 4., instituta quæstione, *utrum actus notionales præintelligantur proprietatibus*, ita eamdem resolvit in hypothesi sua, & communis doctrinæ contra paucos; quod *relationes distinguant, & constituant hypostases in divinis*, inquiens: „ Oportet distinctione uti. Quia orige significatur in divinis *active*, & *passive*: active quidem, sicut generatio attribuitur Patri, & spiratio sumpta pro actu notionali attribuitur Patri, & Filio; *passive* autem, sicut nativitas attribuitur Filio, & processio Spiritui sancto. Origines enim *passive* significatæ simpliciter præcedunt secundum intellectum proprietates personarum procedentium, etiam personales. Quia origo passive significata significatur ut via ad personam proprietate constitutam. Similiter & origo active significata prior est secundum intellectum, quam relatio personæ originantis, quæ non est personalis: sicut actus notionalis spirationis secundum intellectum præcedit proprietatem relativam innominatam, communem Patri, & Filio. Sed proprietas personalis Patris potest considerari dupliciter. Uno modo ut est relatio, & sic iterum secundum intellectum præsupponit actum notionalem; quia relatio, inquantum hujusmodi, fundatur super actum. Alio modo secundum quod est constitutiva personæ; & sic oportet, quod præintelligatur relatio actui notionali, sicut persona agens præintelligitur actioni. “ Hæc quidem subtilius disputata videri possunt; sed admodum utilia sunt ad claram hujusmodi rerum ideam efformandam; magis autem perspicua fient ex iis, quæ postea de divinis *notionibus* explicabuntur.

rum coexistentiam, non autem dependentiam. Hæc autem sola relatio reperitur inter divinas Personas, quarum una est principium alterius, sed non causa. Vide quæ supra dicta sunt n. 17.

118. Ob. tertio. Relatio est *ordo unius ad aliud*: ergo si relatio realiter est inter divinas Personas, una dici poterit *aliud* quidpiam diversum ab altera, quod tamen in Concilio Lateranensi IV. cap. 5. damnatum fuit his verbis: *Licet alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, non tamen aliud, sed id, quod est Pater est Filius, & Spiritus sanctus, idem omnino, ut secundum orthodoxam, & catholicam fidem consubstantiales esse credantur.*

119. Resp., relationem in divinis Personis esse *ordinem unius ad aliam*, non unius ad aliud. Ut enim docet S. Thomas I. P. q. 31. art. 2. ad 4., *per neutrum genus significatur essentia communis, per masculinum autem, & femininum aliquod suppositum determinatum in communi natura. Unde etiam in rebus humanis, si quæratur, quis est ipse? respondetur: Socrates, quod nomen est suppositi; si autem quæratur, quid est iste? respondetur: animal rationale, & mortale. Et ideo quia distinctio est in divinis secundum personas, non autem secundum essentiam, dicimus, quod Pater est alius a Filio, sed non aliud; & e converso dicimus, quod sint unum, & non unus.*

120. Ob. 4. S. Augustinus Lib. V. *de Trin.* cap. 26. ad explicandum, quomodo divina essentia aliquid absolutum sit, Persona autem quid relativum, quin tamen aliqua mutatio in Deum cadat, utitur similitudine nummi, cujus pretium relative, & etiam mutatur, quin tamen substantia nummi mutetur: censet ergo S. Pater, divinas relationes non esse reales, sicuti reales non sunt diversæ relationes nummi.

121. Resp., S. Doctorem ibi loqui de relationibus Dei ad creaturas, quæ, ut supra dictum est num. 108., reales non sunt; & sic Deo adveniunt, ut tota mutatio sit in creatura, quod variis exemplis ibidem S. Pater ostendit.

122. Quæres primo, *quot sint relationes in divinis Personis?*

123. Resp. cum S. Thoma I. P. q. 28. art. 4., esse tantum quatuor, ut supra innuimus, scilicet paternitatem, filiationem, spirationem activam, & spirationem passivam, quæ postrema etiam dici solet *processio*. Hujus rationem reddit Angelicus, quia in Deo non sunt nisi duæ processiones, ut supra cap. 2. ostensum est, quarum una accipitur secundum actionem intellectus, quæ est processio Verbi, alia secundum actionem voluntatis, quæ est processio Amoris; ex prima processione resultant paternitas, & filiatio; ex altera autem spiratio activa, & spiratio passiva.

124. Objicit autem sibi Angelicus, multo plures esse debere relationes in divinis; nam præter quatuor enumeratas, debent admitti relationes intelligentis ad intellectum, & volentis ad volitum, quæ videntur relationes reales.

125. Huic difficultati ut respondeat Angelicus, doctrinam affert probe notandam, inquiens ad primum: *In his, in quibus differunt intellectus, & intellectum, volens, & volitum, potest esse realis relatio & scientiæ ad rem scitam, & voluntatis ad rem volitam. Sed in Deo est idem omnino intellectus, & intellectum, quia intelligendo se intelligit omnia alia, & eadem ratione voluntas, & volitum. Unde in Deo hujusmodi relationes non sunt reales, sicut neque relatio ejusdem ad idem. Sed tamen relatio ad Verbum est realis, quia Verbum intelligitur, ut procedens per actionem intelligibilem, non autem ut res intellecta: Cum enim intelligimus lapidem, id, quod ex re intellecta concipit intellectus, vocatur verbum.*

126. Sic eadem fere ratione solvit Angelicus aliam difficultatem, quod relationes reales accipiuntur in Deo secundum processionem intelligibilem verbi; rationes autem intelligibiles multiplicantur in infinitum: ergo &c.

127. Respondet enim, *in nobis relationes intelligibiles in infinitum multiplicari, quia alio actu intelligit homo lapidem, & alio actu intelligit, se intelligere lapidem, & alio etiam intelligit hoc intelligere; & sic in infinitum multiplicantur actus intelligendi, & per consequens relationes intellectæ. Sed hoc in Deo non habet locum, quia uno actu tantum omnia intelligit.*

128. Quæres secundo, *an relationes divinæ reales sint*, tam in conceptu *in*, quam in conceptu *ad?*

129. Resp., duos in relationibus distingui oportere conceptus pro duplici respectu, quem habent. Prout enim relatio respicit subjectum, *in quo* est, consideratur sub conceptu *in*. Sic ex. gr. paternitas in persona ipsa Patris æterni spectatur sub conceptu *in*. Prout vero relatio respicit terminum, dicitur habere conceptum *ad*: & sic paternitas, quatenus dicit ordinem ad Filium suum correlatum, spectatur sub conceptu *ad*. Relationes divinas sub conceptu *in* esse reales, nullum dubium est; sunt enim ipsa Dei essentia, a qua non distinguuntur, ut supra copiose explicatum fuit; Sed reales quoque esse debent sub conceptu *ad*; realem enim distinctionem personarum efficiunt, quidquid aliqui pauci Theologi contradicant, ut Paludanus in III. Distinct. I. q. 2. & Capreolus in I. Distinct. XXXIII. art. 1.

130. Quæres tertio, *quomodo relationes distinguantur, tum inter se, tum a divina essentia, tum a personis, in quibus insunt?*

131. Resp. primo, eas relationes, quæ sibi mutuo opponuntur, ut sunt paternitas, & filiatio, spiratio activa, & passiva, inter se realiter distingui; eas autem, quæ sibi mutuo non opponuntur, ut paternitas, & spiratio activa, filiatio, & spi-

spiratio item activa, non distingui, nisi *virtualiter*, & mente nostra: cujus ratio est vulgatum illud apud Theologos axioma: *In Deo sunt omnia unum, & idem, ubi mutua non intercedit oppositio*; seu ut S. Anselmus loquitur *de process. Spiritus sancti: Unitas non amittit aliquando suam consequentiam, ubi non obviat aliqua relationis oppositio*.

132. Resp. secundo, relationes non distingui realiter ab essentia, ut contra Gilbertum Porretanum in Concilio Remensi, contra Abbatem Joachimum in Concilio IV. Lateranensi definitum est. Vide, quæ diximus in Tom. I. Dissert. II. de Deo cap. 1. pag. 56. & sequ.

133. Resp. tertio, relationes non distingui realiter a personis divinis, in quibus sunt, unde paternitas, & spiratio activa idem omnino sunt cum persona Patris, filiatio, & spiratio activa cum persona Filii, & spiratio passiva cum persona Spiritus sancti. Distinguuntur tamen realiter a Personis, quibus opponuntur. Ita paternitas realiter distinguitur a Persona Filii, & filiatio a Patre, spiratio activa Patris, & Filii a Spiritu sancto, ac demum spiratio passiva a Patre, & Filio.

134. Quæres quarto, *an relationes personales secundum utrumque conceptum* in, & ad *sint perfectiones simpliciter simplices?*

135. Resp., procul dubio relationes secundum conceptum *in*, quo, ut diximus, idem sunt cum divina essentia, esse perfectiones simpliciter simplices, imo adorandas a nobis, ut S. Th. I. P. q. 28. art. 2. probat ex iis Ecclesiæ verbis in Præfatione Festi sanctissimæ Trinitatis: *Ut in personis proprietas, & in essentia unitas, & in majestate adoretur æqualitas* (*a*). Vid. totus ille S. Doctoris articulus.

136. Utrum vero relationes etiam vi conceptus *in*, sui relativi *ad* aliquam perfectionem relativam secum afferant, & quidem simpliciter simplicem, ab absoluta virtualiter distinctam, controversia est non facile dissolvenda, dissidentibus inter se etiam unius, ejusdemque scholæ Theologis; quamvis fortasse de verbis potius, quam de re ipsa disputetur.

CAPUT V.

De Divinis Personis. S. Thomas I. P. quæst. 29.

137. *Persona*, definiente Boetio in Lib. *de duabus naturis*, *est rationalis naturæ individua substantia*; quam definitionem ita explicat S. Thomas in art. 1., scilicet dicit *individuam substantiam*, inquantum significat singulare in genere substantiæ; addi autem *rationalis naturæ*, inquantum significat singulare in rationalibus substantiis. Richardus autem de S. Victore, Theologus Sæc. XII. non incelebris Lib. IV. *de Trinit.* cap. 18. & 23. Boetii definitionem de personis quidem creatis, quales sunt Angeli, & homines, admittit; sed cum sermo est de personis divinis, hanc aliam præfert definitionem: *Persona est divinæ naturæ incommunicabilis existentia*; in hoc enim divina persona ab essentia divina differt, quod hæc sit tribus personis communicabilis, personæ autem communicari non possunt (*b*).

138. Fatendum est cum S. Augustino Lib. VII. *de Trin.* cap. 4., hoc vocabulum *divinæ personæ* nullibi in sacris litteris inveniri; unde quidam contendebant, nec esse a nobis usurpandum; ut enim Dionysius vulgo Areopagita præcipit in principio Libri *de divinis nominibus*; *universaliter non est audendum aliquid dicere, nec cogitare de supersubstantiali occultâ divinitate, præter ea, quæ divinitus nobis ex sanctis eloquiis sunt expressa*.

139. Sed S. Thomas bene observat hic art. 3. ad 1. „ quod licet nomen *personæ* in Scriptura „ veterie, vel novi testamenti non inveniatur di„ctum de Deo, tamen id, quod nomen signifi„ cat, multipliciter in sacra Scriptura invenitur „ assertum de Deo, scilicet *quod est maxime per „ se ens, & perfectissime intelligens* ... Ad in„ veniendum autem nova nomina antiquam fidem „ de Deo significantia coegit necessitas disputandi „ cum hæreticis. Nec hæc novitas vitanda est, „ cum non sit *profana*, utpote a Scripturarum „ sensu non discordans: docet autem Apostolus so„ lum *profanas vocum novitates vitare* 1. ad „ Timoth. ult. “. Unde etiam S. Augustinus in loco laud. addit: *Licuit loquendi, & disputandi* ne-

(*a*) Hæc Præfatio admodum antiqua est, & recensetur a Pelagio II. inter novem, *quas longa retro vetustas in Ecclesia Romana observavit* Distin. I. *De consecratione* in Decretis cap. *Invenimus*.

(*b*) Boetius initio cit. Libri *de duabus naturis* hæc habet: „ Nomen personæ videtur traductum ex his „ personis, quæ in comœdiis, tragœdiisque homines „ præsentabant; persona enim dicta est a *personando*, quia concavitate ipsa major necesse est, ut vol„ vatur sonus. Græci vero has personas πρόσωπα vo„ cant ab eo, quod ponantur in facie, atque ante o„ culos obtegant vultum; nempe a voce composita πρὸς „ ὦπα *ante oculos*, ὢψ enim oculum, aut vultum si„ gnificat “. Hinc πρόσωπον ad designandum *vultum* adhibuit S. Jacobus in sua epistola catholica I. 23. Bene etiam S. Thomas observat, nomen personæ aliquando significare *dignitatem*; unde Alexander III. in cap. *Ad hæc* Extra *de præbendis*, & *dignitatibus* definit, omni rationi contrarium esse, *ut unus Clericus in una, vel diversis Ecclesiis plures dignitates, vel personatus obtineat*; quod postea confirmatum fuit ab Innocentio III. ib. cap. *De multa*.

necessitate tres personas dicere, non quia Scriptura dicit, sed quia Scriptura non contradicit (a).

140. Hic tamen cavendi sunt occulti Sabellianorum doli, qui Catholicorum argumentis pressi nonnunquam τρία πρόσωπα *tres personas* fateri visi sunt. Sed *personæ* nomen pro *officio*, vel *munere* usurpabant, & quia Deus modo Pater, modo Filius, modo Spiritus sanctus in Scripturis nominatur, ideo dicebant, tres personas repræsentare; quasi nempe (ut eorum fraudes detegit S. Basilius epist. 349.) Deus *modo Patri congruentes sibi voces assumat, quoties istiusmodi persona opus est: modo Filio consentaneas, quando ad rerum nostrarum procurationem, aut alias dispensatorias sanctiones sese demittit: modo denique Spiritus sancti personam induat, cum ex hujusmodi persona profectas tales voces tempus exegerit* (Vid. Dissert. 1. n. 16.). Ad hanc vero captiosam explicationem explodendam Catholici τρία ἐνυπόστατα πρόσωπα, seu *tres subsistentes personas* exprimebant. Qua de re videndus Petavius Lib. IV. *de Trinit.* cap. 2.

141. Sed ut redeamus ad nomen *Personæ*, arguta, subtilis, & implexa est illa quæstio, quam S. Thomas movet art. 4., an hoc nomen significet relationem? Et quam intactam præterire non debemus. Primo autem notandum est, hoc nomen esse concretum, seu compositum ex duobus, quorum unum gerit vices subjecti, alterum formæ, qua subjectum afficitur; scilicet natura, seu essentia divina concipitur instar subjecti, proprietas autem relativa concipitur quasi hujus subjecti forma; & sic constitui intelligimus personam Patris ex essentia divina, & paternitate. Dixi *concipimus*; reipsa enim propter summam, & infinitam Dei simplicitatem nulla omnino in Deo est, aut esse potest compositio. Unde etiam in Concilio Senonensi contra Petrum Abælardum definitum fuit, Personas divinas nullo modo esse compositas. Hoc prænotato

142. S. Doctor primo affert aliorum opinionem. Quibusdam enim visum est, hoc nomen *Persona* ex vi, & natura vocabuli esse absolutum, & significare essentiam divinam, sicuti hæc vox *Deus* (b). Dion. Petavius Lib. IV. *de Trinit.* cap. 11., hanc sententiam tribuit S. Augustino propter ea, quæ habet Libro VII. *de Trinit.* cap. 6. a quo se *invitum* discedere scribit. Veruntamen S. Pater in epist. 170. aperte contrarium docet; solvens enim Arianorum technas, *Quis non videat*, inquit, *ista vocabula* (Patris, & Filii) *non in seipsis demonstrare naturas, sed alterius ad alterum significare personas?* Et insuper ut aliam eorumdem hæreticorum fallaciam dilueret, quod nempe Filius alterius esset naturæ, diversæque substantiæ, quia Pater Deus non est de altero Deo, Filius autem est de Patre Deo, ita pergit num. 7.: *Hic non indicatur substantia, sed origo, idest non quid sit, sed unde sit quisque, vel non sit.* Quod ut magis illustret, utitur exemplo Adam, & Abel, *quorum iste fuit homo de homine illo: ille autem de nullo: si ergo quæratur utriusque natura, homo Abel, homo Adam; si autem origo, primus homo, ex quo Abel; nullus homo, ex quo Adam. Ita in Deo Patre, & Deo Filio, si utriusque natura quæratur, uterque Deus, nec magis alter altero Deus: si autem origo, Pater est Deus, de quo Filius Deus; de quo autem Pater, nullus est Deus.* Hæc adeo clara sunt, ut debeamus ex ipsis explicare, si quæ in hoc sancto Patre hac de re dicta obscuriora occurrant.

143. Repudianda est igitur sententia supra memorata, quia si Personæ vocabulum essentiam divinam significaret, non liceret dicere, *tres* esse divinas personas, nec cum Ecclesia canere: *alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti*; & omnino certum, ratumque esse debet, hoc nomine *personæ* significari tum divinam essentiam, tum relationem; persona enim, ut S. Thomas ratiocinatur, in quacumque natura significat id, quod est in natura illa individuum, & ab aliis distinctum; quod etiam patet ex ipsa *Personæ* definitione supra num. 137. distinctio autem in divinis non fit nisi per relationes originis: at vero relationes divinæ non sunt accidentia, quæ inhæreant subjecto, sed sunt ipsa divina essentia; unde quælibet relatio est subsistens, sicut essentia divina subsistit. *Sicut ergo Deitas est Deus, ita paternitas divina est Deus Pater, qui est persona divina: persona igitur divina significat relationem ut subsistentem.* Ita solide non minus quam acute concludit Angelicus.

144. Sed ibidem subtilius inquirit, an in hoc vocabulo *Personæ* significetur essentia *in recto*, an vero *in obliquo?* Docet autem, significari relationem *in recto*, & essentiam *in obliquo*; *non tamen relationem, inquantum est relatio, sed inquantum significatur per modum hypostasis*; significari autem essentiam *in recto*, & relationem

in

(a) Si Facundo Hermaniensi fides est, Sabellius fuit, qui antiquos Christianos ad tuendam orthodoxam de mysterio Trinitatis doctrinam coegit, trium *hypostasum*, aut *Personarum* nomina usurpare; inquit enim cap. 3. Libri I. *Defens. trium capitul. Conc. Chalcedon.: Personarum nomen nonnisi cum Sabellius impugnaret Ecclesiam, necessario in usum prædicationis assumptum est, ut qui semper tres crediti, & vocati sunt, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, uno quoque simul, & communi Personarum nomine vocarentur.* Etiam S. Fulgentius in Lib. *de Trinit. Cum quæreretur*, inquit, *a Patribus, & diceretur: quid tria? Nec essentias, nec substantias, aut naturas dicere ausi sunt, ne aliqua forte diversitas crederetur essentiarum, aut naturarum aut substantiarum; sed dixerunt tres personas, unam essentiam, uti una essentia declararet Deum, tres autem personæ sanctam Trinitatem ostenderent.*

(b) Hæc fuit opinio Hugonis Victorini in Tract. 1. *Sum. sent.* c. 9. & Petri Lombardi in I. *sent.* dist. 23. & 25.

in obliquo, *inquantum essentia idem est cum hypostasi*.

145. Hæc fortasse minus utiliter disputata aliquibus videbuntur. Sed Angelicus bene observat, hæc accurate distingui oportuisse *propter hæreticorum calumniam*. Nam prius hoc nomen *personæ* sumebatur, tanquam absolutum, ad significandum individuum rationalis naturæ; postmodum vero accommodatum est ad significandam etiam relationem, qua Personæ divinæ distinguuntur, & constituuntur.

146. Obj. primo. S. Augustinus Lib. VII. *de Trinit.* cap. 6. apertissime docet, personam dici *ad se*, & non *ad alterum*, inquit enim: „ Quid „ ergo? Nam placet, ut dicamus, Patrem perso„ nam esse Filii, & Spiritus sancti, aut Filium „ personam esse Patris, & Spiritus sancti; aut „ Spiritum sanctum personam esse Patris, & Fi„ lii? Sed neque persona ita dici alicubi solet; „ neque in hac Trinitate, cum dicimus personam „ Patris, aliud dicimus, quam substantiam Pa„ tris. Quo circa ut substantia Patris ipse Pater „ est, non quo Pater est, sed quo est; ita & per„ sona Patris non aliud, quam ipse Pater est: ad „ se quippe dicitur Persona, non ad Filium, vel „ Spiritum sanctum: sicut ad se dicitur Deus, & „ magnus, & bonus, & justus, & si quid aliud „ hujusmodi: & quemadmodum hoc illi est esse, „ quod Deum esse, quod magnum, quod bonum „ esse, ita hoc illi est esse, quod personam esse. “

147. Respondet S. Thomas I. P. quæst. 29. art. 4. ad 1. „ quod hoc nomen persona dicitur ad „ se, non ad alterum, quia significat relationem, „ non per modum relationis, sed per modum sub„ stantiæ, quæ est hypostasis. Et secundum hoc „ Augustinus dicit, quod significat essentiam, pro„ ut in Deo essentia est idem cum hypostasi; „ quia in Deo non differt quod est, & quo est. “ Cæterum de mente Sancti Augustini vid. quæ dicta sunt num. 142.

148. Obj. secundo. Si nomen Personæ in divinis involvat, sive in recto, sive in obliquo relationem, cum quatuor sint relationes, ut supra dictum est cap. IV., quatuor etiam admittendæ erunt divinæ Personæ, quod est contra fidem.

159. Resp. cum S. Thoma I. P. quæst. 30. art. 1. ad 1., licet sint quatuor relationes in divinis, non tamen quatuor esse personas, quia relatio spirationis activæ *non separatur a persona Patris*, *& Filii*, *sed convenit utrique*; *& sic licet sit relatio*, *non tamen dicitur proprietas*, *quia non convenit uni tantum personæ*, *neque relatio personalis*, *idest constituens personam*. *Sed hæ tres relationes*, *paternitas*, *filiatio*, *& processio dicuntur proprietates personales*, *quasi personas constituentes*; *nam paternitas est persona Patris*, *filiatio persona Filii*, *processio persona Spiritus sancti procedentis*.

150. Obj. tertio. Persona in hominibus, & angelis non significat relationem, sed aliquid absolutum; ergo neque in Deo, alias hoc nomen diceretur æquivoce de Deo, & hominibus, & angelis.

151. Respond. cum S. Thoma hic quæst. 29. art. 4. ad 4., aliam esse rationem in Deo, ac in hominibus, vel angelis; & licet in significatione personæ divinæ contineatur relatio, non autem in significatione angelicæ personæ, vel humanæ, non sequi, quod nomen personæ *æquivoce* dicatur; quia *diversa ratio minus communium non facit æquivocationem in magis communi*. Subdit tamen Angelicus, hoc nomen personæ non dici *univoce* de Deo, & aliis personis; *cum nihil univoce de Deo dici possit*, *& de creaturis*; ut ostensum est I. P. quæst. 13. art. 5.

152. Obj. quarto. Si hoc nomen *persona* non significat divinam essentiam *in recto*, sed tantum in obliquo, ut dictum est num. 144. non poterit dici de singulis tribus divinis hypostasibus, quia nihil est iis omnibus commune, nisi essentia.

153. Resp. cum S. Thoma quæst. 30. art. 4. hoc nomen *persona* in divinis fuisse inventum ad significandam hypostasim, seu rem subsistentem in natura divina: *hoc autem est commune secundum rationem omnibus personis divinis*, *ut unaquæque earum subsistat in natura divina distincta ab aliis*. *Et sic hoc nomen persona secundum rationem est commune tribus personis divinis*.

154. Dices: Nonne persona dicitur *divinæ naturæ incommunicabilis existentia?* supra n. 137. ex Richardo de S. Victore.

155. Resp. Quamvis una persona divina aliis communicari nequeat, quomodo communicatur essentia, modus tamen existendi incommunicabiliter potest esse pluribus communis. S. Thomas art. mox laud. ad 2.

156. Quæres primo, *an divinæ Personæ constituantur per relationes consideratas in conceptu*, *an vero per relationes sub conceptu* in?

157. Resp. primo certum esse debere, divinas Personas constitui, & distingui per relationes; qua de re præter superius dicta videri potest S. Thomas I. P. quæst. 40. art. 2. ubi rejecta illorum opinione, qui volebant, Personas divinas distingui *per originem*, probat, Personas, seu hypostases divinas melius distingui relationibus, quam per originem. Quamvis enim distinguantur utroque modo (*a*), tamen prius, & principalius, prout nos abstrahendo concipimus, distinguuntur per relationes. „ Unde hoc nomen *Pater*, subdit Angeli„ cus, non solum significat proprietatem, sed et„ iam

(a) In Concilio Florentino celebris Card. Bessarion in ea oratione, quam habuit Sess. XXV. pro unione cap. 6. hac S. Thomæ ratione usus est, ut evinceret, Personas divinas *principaliter quidem*, *& maxime* per earum relationes distingui, per origines vero, sive processiones *consequenter*.

„ iam hypostasim; sed hoc nomen *genitor*, vel „ *generans* significat tantum proprietatem, quia „ hoc nomen *Pater* significat relationem, quæ est „ *distinctiva*, & *constitutiva* hypostasis. Hoc au„ tem nomen *generans*, vel *genitus* significat o„ riginem, quæ non est *distinctiva*, & *constitu*„ *tiva* hypostasis". Hinc est illud Boetii in Lib. *de Trin.*: *Substantia continet unitatem; relatio vero multiplicat Trinitatem: atque ideo sola sigillatim, ac separatim proferuntur, quæ relationis sunt*.

158. Hac itaque supposita doctrina communiter recepta, quæsitum postea fuit, an istæ relationes constituant, & distinguant divinas personas, prout in qualibet ipsarum esse considerantur; an vero prout concipiuntur respectu alterius personæ, ad quam terminantur, seu sub conceptu *ad?* Manifestum est autem, Personas constitui, & distingui per relationes *in*, seu prout in ipsis Personis sunt, & cum iisdem identificantur. Hoc S. Thomas aperte docet I. P. quæst. 40. art. 4. inquiens: si proprietas personalis Patris consideretur, prout est *constitutiva personæ*, *sic oportet*, *quod præintelligatur relatio actui notionali*, *sicut persona agens præintelligitur actioni*. Vide totum contextum superius n. 115. in nota. Et sane relationes consideratæ per conceptum *ad* supponunt Personas jam constitutas, & quæ habitudinem dicant ad terminum correlativum. Sic persona Patris jam intelligitur existens, cum refertur *ad* Filium, vel *ad* Spiritum sanctum.

159. Neque vero quis objiciat, eadem ratione cum nominatur Pater, intelligi personam Filii jam constitutam; quia *Pater* non potest dici, aut intelligitur sine Filio, *ad* quem refertur.

160. Respondetur enim, reipsa primam Personam non esse, nec dici Patrem, nisi actu habeat Filium; si tamen volumus abstrahendo rem totam subtilius considerare, facile intelligimus, prius esse Patrem, quam Filium, quia ille generat, iste generatur, & Pater est principium Filii, non Filius est principium Patris; & consequenter relatio mutua prius concipitur *inesse* Patri, ac deinde terminari *ad* Filium. Sed hæc subtilius, & fusius dabunt Scholastici.

161. Quæres secundo, *an in Deo præter tres subsistentias relativas, quibus tres distinguuntur, & constituuntur Personæ, admittenda sit quarta quædam subsistentia absoluta?*

162. Quid proprie sit subsistentia, superius declaratum fuit pag. 4. num. 10.: prout enim vocabulum hoc sumitur in abstracto, significat formam illam, per quam res aliqua subsistit, unde in concreto postea suppositum exurgit, vel persona. Sic paternitas est subsistentia illa, seu subsistendi modus, unde prima divina persona constituitur, & distinguitur ab aliis, & denominatur *Pater*. Quæstio igitur inter Scholasticos orta est valde abstrusa, & difficilis, an præter tres subsistentias, quibus jam sæpius diximus constitui, & distingui tres divinas Personas, nempe paternitatem, filiationem, & processionem; quarta quædam subsistentia admitti debeat solius divinæ naturæ propria, prout abstrahendo concipitur sine divinis Personis, unde hoc nomen absolutum *Deus* resultat?

163. Ad præcavendam autem omnem ambiguitatem monet Petavius, nomine *subsistentiæ* hic non esse intelligendam illam cujuscumque substantiæ proprietatem, qua dicitur *in se*, vel *per se* subsistere, & per quam ab accidentibus distinguitur, quæ non existunt, nisi in aliquo subjecto. Hoc enim modo certum est, essentiam divinam, quæ est perfectissima, & infinita, *a se*, *in se*, & *per se* subsistere. Nam & humana natura Christi Domini, licet proprie non subsistat nisi subsistentia divini Verbi, cum tamen accidens non sit, abstractive considerata *in se*, & *per se* existere dici potest. Quæstio itaque solum nata est, an sicut in singulis divinis Personis subsistentia admittitur unicuique propria, ita tribuenda sit etiam subsistentia sua propria, & absoluta divinæ essentiæ, prout abstractive consideretur in se ipsa, & hoc nomine *Deus* enunciatur?

164. Affirmant communiter Thomistæ post Cajetanum in I. P. quæst. 29. art. 4. præcipue propter auctoritatem S. Thomæ, qui in I. *Sentent.* distinct. 21. quæst. 2. art. 1. inquit: *Natura divina est in se habens esse subsistens*, *nulla intellecta personarum distinctione*; tum IV. *Cont. Gent.* c. 14. *In Deo sunt plures res subsistentes*, *si relationes considerentur*, *& una res subsistens si consideretur essentia*. Ac denique quæst. IX. *de potentia* art. 5. ad 13. inquit: *Supposita divinæ naturæ non sunt principium subsistendi divinæ essentiæ: ipsa enim divina essentia est per se subsistens*.

165. Non omnes tamen Thomistæ hac in parte consentiunt (a). Sed fortasse verum est, quod Card. Witasse suspicatur, de nomine fere esse totam istam quæstionem, quia Theologi admittentes hanc quartam subsistentiam absolutam, nihil aliud volunt, quam divinitatem, etiam abstrahendo a personis, *per se* subsistere. Sed hæc viderint alii; nos enim a domesticis istis dissidiis, quantum possumus, abstinemus.

BRE-

(a) Confer Natalem Alexandrum in fine Diss. XXXV. in Sæc. IV. ubi quartam hanc subsistentiam divinam absolutam vocat *figmentum a Cajetano adinventum contra antiquiores Thomistas*, *imo contra Magistrum omnium S. Thomam*, *qui subsistentiam in natura compote rationis semper usurpant pro persona*. Vid. etiam Dion. Petavius Lib. IV. *de Trinit.* cap. 12.

BREVIS APPENDIX

De controversia Antiochiæ exorta de una, vel tribus hypostasibus, vel personis.

166. Haud erit inutile, nec fortasse injucundum, brevem, sed distinctam notitiam habere celebris illius controversiæ, quæ propter nomina *essentiæ*, *substantiæ*, *personæ*, & *hypostasis* Antiochiæ exorta fuit post medium sæculum IV., & propter quam, ut ait S. Gregorius Nazianzenus, eo *tandem res* adducta est, *ut periculum esset, ne orbis terrarum fines una cum syllabis abrumperentur* Orat. XXI. *de laudibus S. Athanasii*, n. 35.

167. Jam in Concilio Alexandrino circa annum 320. ab Osio Cordubensi Episcopo Constantini Imperatoris jussu ad præfocandam nascentem Arii hæresim celebrato, distingui cœptum fuerat inter οὐσίαν, & ὑπόστασιν; & ex eo tempore Græci consueverant dicere μίαν οὐσίαν καὶ τρεῖς ὑποστάσεις, *unam essentiam*, & *tres hypostases*; ut ita simul a Sabellianorum, & Arianorum hæresi caverent (*a*). Nec ulla de hac loquendi formula quæstio mota est, usque ad annum 361. quando alterum dissidium in Ecclesia erat Antiochena, cujus hæc fuit causa.

168. Anno 361. Eudoxio Ariano pseudo-Episcopo Antiocheno Constantinopolim translato, Meletius catholica religione, & pietate insignis ab Arianis ipsis, qui eum suis partibus addictum putabant, illi Ecclesiæ præfectus est. Sed cum se omnino orthodoxum publice professus esset, Constantii Imperatoris vi ab Episcopali cathedra exturbatus, & in exilium pulsus fuit, Euzojo Ariano in ejus locum suffecto; & tunc Ecclesia Antiochena in tres partes divisa fuit. Quidam enim Eustathiani dicti, quia Eustathii morum integritate, ac religionis puritate celebratissimi, licet jam demortui, fidem constanter sectantes, Meletii electioni, quem Arianismi suspectum, licet immerito, habebant, consentire noluerant, seorsim suos conventus agebant; alii novo pseudo-Episcopo Euzojo communicabant; major autem pars Meletio legitimo suo Pastori fidelis remanserat. Nonnulli etiam Vitalem hæreticum Apollinaristam sibi Episcopum delegerant.

169. Constantio Imperatore e vivis sublato, sub Juliano Apostata Meletius suam sedem recuperavit. Sed tunc accidit, ut Lucifer Calaritanus, a synodo Alexandrina ad conciliandos simul Eustathianos cum Meletianis missus, imprudenti consilio ut schisma tolleret, Paulinum egregium Sacerdotem ad sedem Antiochenam eveheret, cui Eustathiani quidem illico conjuncti sunt, sed non Meletiani, suo antistiti constanter adhærentes.

170. Et tunc quæstio de una, vel tribus hypostasibus excitata fuit. Meletiani enim unam in Deo usiam, seu essentiam, & tres hypostases publice prædicabant. Pauliniani autem tres hypostases dicere reformidabant, verentes ne sub nomine trium hypostasium tres diversæ substantiæ Ariano sensu inducerentur; propterea dicebant, unam hypostasim in Deo esse, hoc est substantiam, & tres Personas. Reclamabant vero Meletiani, hac dicendi formula extinctam Sabellianorum hæresim exsuscitari, quasi in Deo una essentia trium nominum, vel munerum significaretur. Una itaque pars aliam hæresis insimulabat, non sine gravi Fidelium scandalo.

171. Sed rem tandem feliciter composuit S. Athanasius in Concilio anno 362. Alexandriæ coacto. Vocatis enim iis, qui cum Meletio tres hypostases in Deo confitebantur, eosdem interrogavit, an putarent, divinas hypostases *diversæ a se invicem substantiæ*, & *unamquamque hypostasim per se, ac seorsim divisam esse*, *ut ceteræ creaturæ*, & *qui ex hominibus nascuntur? An intelligerent diversas res, quale est aurum, argentum, æs? An ut alii hæretici sub istis vocibus tria principia constituerent?* Illi autem responderunt, nequaquam se hæc dicere, aut credere, nunquam *se dixisse tres Deos*, *aut tria principia; imo nec toleraturos quidem*, *si quis tale quidpiam dicat*, *aut sentiat: sed se scire esse sanctam Trinitatem*, *ut tamen sit una Deitas*, & *unum principium*, & *Filium se agnoscere esse coessentialem Patri*, & *Spiritum sanctum non creaturam*, *neque alienum*, *seu proprium*, & *indisgregatum ab essentia Patris*, & *Filii*. Cognovit ergo S. Athanasius rectam, & orthodoxam Meletianorum fidem.

172. Tunc conversus ad alios, cui unam duntaxat confitendam esse volebant divinam hypostasim cum tribus Personis, eosdem est percunctatus, an hoc dicerent Sabelliano sensu, *ut sublatos vellent ex Trinitate Filium*, & *Spiritum sanctum*, *quasi Filius essentia careat*, *aut Spiritus sanctus non subsistat?* At vero illi palam protestati sunt, se longe abesse ab his Sabellii blasphemiis, atque idcirco unam tantummodo hypostasim se prædicare, *quia ὑπόστασιν idem esse cum οὐσίᾳ intelligebant*, & *quia Filius ex essentia Patris est*, & *quia in tribus est identitas naturæ*.

173. Quibus auditis *beatus ille vir*, inquit S. Gregorius Nazianzenus loco supr. laud. & *vere homo Dei*, *magnusque animarum dispensator*, facile hoc tam grave dissidium composuit hoc modo: „ Utraque parte leniter & benigne accita, „ ver-

(*a*) Socrates Lib. III. *Hist. Eccl*: cap. 7. ita rem narrat: „ Osius Cordubæ Hispaniarum urbis Episcopus ... cum ab Imperatore Constantino ad hoc missus esset (Alexandriam) ut excitatum ab Ario tumultum extingueret, dum Sabellii Lybiensis dogma studet evertere, de substantia, deque hypostasi quæstionem agitavit: quæ quidem quæstio alteri contentioni materiam præbuit &c. “

„ verborumque sententia diligenter & accurate per-
„ pensa, posteaquam concordes reperit, nec quan-
„ tum ad doctrinam ullo modo inter se dissiden-
„ tes, ita negotium transegit, ut nominum usum
„ concedens, rebus eos constrinxerit. “ Itaque
hæc magna procella facile dissipata fuit & pax
ac concordia restituta.

174. Postea tamen cum trium hypostasum con-
fessio exigeretur, hoc graviter ferens S. Hierony-
mus ita ad Damasum R. P. scribebat epistola XV.
„ Nunc igitur, proh dolor! post Nicænam fidem,
„ post Alexandrinum, juncto pariter Occidente,
„ decretum trium hypostaseon ab Arianorum pro-
„ le, & Campensibus (*a*) novellum a me homine
„ Romano nomen exigitur ... Interrogamus, quid
„ tres hypostases posse arbitrentur intelligi? Tres
„ personas subsistentes, ajunt. Respondemus, nos
„ ita credere. Non sufficit sensus: ipsum nomen
„ efflagitant; quia nescio quid veneni in syllabis
„ latet. Clamamus, si quis tres hypostases, ut
„ tria enypostata, hoc est, tres subsistentes per-
„ sonas non confitetur, anathema sit. Et quia vo-
„ cabula non ediscimus, hæretici judicamur. *Et*
„ *iterum expostulans subdebat*, Decernite, obse-
„ cro, si placet, & non timebo tres hypostases
„ dicere. Si jubetis, condatur nova post Nicæ-
„ nam fides; & similibus verbis cum Arianis con-
„ fiteamur Orthodoxi. Tota sæcularium litterarum
„ schola nihil aliud hypostasim, nisi usiam no-
„ vit. Et quisquam, rogo, ore sacrilego tres sub-
„ stantias prædicabit? *Tum postea suæ senten-*
„ *tiæ tenax sic pergit:* Taceantur tres hyposta-
„ ses, si placet, & una teneatur ... Aut si rectum
„ putatis, tres hypostases cum suis interpretatio-
„ nibus debere nos dicere non negamus. Sed,
„ mihi credite: venenum sub mele latet: transfi-
„ guravit se angelus satanæ in angelum lucis ...
„ Quid tam anxie unum verbum tenent? Quid
„ sub ambiguo sermone latitant? Si sic credunt,
„ ut interpretantur, non damno, quod retinent.
„ Si sic credo, ut ipsi sentire se simulant, per-
„ mittant & mihi meis verbis suum sensum lo-
„ qui. *Ac demum ita concludit, Damasum R.*
„ *P. alloquens:* Obtestor Beatitudinem tuam per
„ Crucifixam mundi salutem, per ὁμόουσιον Tri-
„ nitatem, ut mihi epistolis tuis, sive tacenda-
„ rum, sive dicendarum hypostasum detur aucto-
„ ritas. “

175. Neque vero sine ullo fundamento erat S.
Hieronymi metus, quia Ariani eamdem dicendi
formulam aliquando usurpaverant. Patres enim
Conc. Sardicensis in epist. Synodica, quæ a Theo-
doreto refertur Lib. II. *Hist. Eccl.* c. 8. testan-
tur, Ursacium, & Valentem „ duas viperas ex
„ Ariana aspide, *asseruisse*, quod Hæreticorum
„ factio pertinaciter asseverat, Patris, ac Filii,
„ ac Spiritus sancti diversas esse hypostases, &
„ a se invicem separatas; se vero hanc a majo-
„ ribus accepisse, ac didicisse, & hanc tenere
„ catholicam atque apostolicam traditionem, & fi-
„ dem, ac professionem, unam esse hypostasim,
„ quam ipsi hæretici substantiam appellant, Pa-
„ tris, ac Filii, ac Spiritus sancti. Et si quæ-
„ rant, quænam sit hypostasis Filii, profitemur,
„ eam esse, quæ omnium consensu sola est Pa-
„ tris. “

176. Etiam S. Aug., qui multo post quindecim
libros de Trinit. conscripsit, de hac re non omni-
no convictus fuisse videtur. Nam Lib. V. c. 8. de
Græcis loquens, ait; „ Dicunt quidem & illi hy-
„ postases; sed nescio quid volunt interesse inter
„ usiam, & hypostasim, ita ut plerique nostri,
„ qui hæc græco tractant eloquio, dicere consue-
„ verint μίαν οὐσίαν τρεῖς ὑποστάσεις quod est la-
„ tine, unam essentiam, tres substantias. Sed
„ quia nostra loquendi consuetudo jam obtinuit,
„ ut hoc intelligatur, cum dicimus essentiam,
„ quod intelligitur, cum dicimus substantiam,
„ non audemus dicere unam essentiam, tres sub-
„ stantias, sed unam essentiam, vel substantiam,
„ tres autem personas, quemadmodum multi La-
„ tini hæc tractantes, & digni auctoritate dixe-
„ runt, cum alium modum aptiorem non inve-
„ nirent quo enunciarent verbis, quod sine ver-
„ bis intelligebant.

177. Postea tamen sensim ac seosim utrumque
nomen *hypostasis*, & *personæ* obtinuit ad desi-
gnandam subsistentiam divinam; unde etiam in Con-
cilio Chalcedonensi Act. V. in secunda Confessio-
ne Fidei adhibitum fuit utrumque vocabulum ad
exprimendam unitatem personæ in Christo Jesu,
videlicet asserebant, naturas divinam, & huma-
nam inconfuse, indivise &c. in Christo unitas es-
se & *in unam personam*, *atque subsistentiam*
concurrere, græce sic ἐν πρόσωπον ϗ μίαν ὑπόστα-
σιν. Qui dicendi modus etiam in aliis Conciliis
servatus fuit, & communis pene factus. Et nunc
Latini non dubitant dicere una cum Græcis, in
Deo esse unam essentiam, & tres hypostases; nec
Græci recusant nobiscum fateri, unam divinam
substantiam, & tres Personas; quæ formula ad-
hibita est in Concilio IV. Lateranensi sub Inno-
centio III. iis verbis cap. 1.: *Firmiter credimus*,
& simpliciter confitemur, *quod unus est solus*
verus Deus, *Pater*, *& Filius*, *& Spiritus san-*
ctus; *tres quidem personæ*, *sed una essentia*,
substantia, *seu natura omnino simplex*.

CA-

(*a*) Ita legit in sua editione Dominicus Valersius.
Alii autem legunt: *ab Arianorum Præsule*, *& Campen-*
sibus. Nomine autem *Campensium* Sanctus Hieronymus
intelligit *Meletianos*, qui in campis conventus suos a-
gere cogebantur, vel in Ecclesia extra civitatem, quæ
Palea vocabatur. Conqueritur autem de violentia, quia
in Concilio Alexandrino recta fides cognita, & probata
fuerat etiam eorum, qui unam tantummodo hyposta-
sim, & tres personas profitebantur.

CAPUT VI.

De divinis notionibus.

178. **N**oster Angelicus Præceptor I. P. q. 32. a. 2. docet, *notiones esse proprias rationes cognoscendi divinas Personas*, unde notio definiri potest cum Petavio Lib. IV. *de Trinit.* in proœmio *character*, *vel insignis nota*, *vel nomen*, *quo una persona divina ab aliis distinguitur cum dignitate*. Hinc tria necessaria sunt ad constituendam notionem; primo ut exprimat aliquam dignitatem; afficit enim personam, quæ nomen est dignitatis (vide supr. not. ad num. 137.): secundo ut aliquid significet speciale, & distinctum; quod enim tribus personis ex æquo convenit, non potest unam ab alia distincte denotare, quod notionis munus esse diximus: tertio ad originem pertinere debet, cum solis relationibus per originem Personæ divinæ ab invicem distinguantur.

179. Petrus Præpositivus (a), ut testatur S. Thomas, attendens simplicitatem personarum, negavit in iis ponendas aliquas proprietates, vel *notiones*, & sicubi inveniantur, exponendum esse abstractum per concretum; & sicuti consuevit dici: Rogo benignitatem tuam, idest, te benignum, ita ille putavit, in divinis cum dicitur *paternitas* intelligi Deum Patrem.

180. Sed admittendas esse divinas notiones probatur primo ex S. Jo. Damasceno, qui Lib. III. *de fide orthodoxa* cap. 5. inquit: *Differentiam hypostaseon* (idest personam) *in tribus proprietatibus*, *idest paternali*, *filiali*, *&* *processionali recognoscamus*. Etiam S. Basilius Lib. II. contra Eunomium, ejusque frater S. Gregorius Nyssenus Lib. I. contra eumdem Eunomium notiones vocant *γνωριςικὰς ἰδιότητας cognoscibiles proprietates*. Idemque S. Basilius in epist. XXXVIII. ad fratrem suum Gregorium *de essentia*, *&* *hypostasi* notiones vocat *ἰδιάζοντα σημεῖα notiones proprias*.

181. Porro S. Thomas ostendit, ad ponendas in Deo notiones a duobus præcipue nos cogi. Primo nos cogit hæreticorum instantia. „ Cum enim „ confiteamur, Patrem, & Filium, & Spiritum „ sanctum esse unum Deum, & tres personas, „ quærentibus, *quo sunt unus Deus*, *&* *quo* „ *sunt tres*, sicut respondetur, quod sunt *essen-* „ *tia*, *vel Deitate unum*, ita oportuit esse ali- „ qua nomina abstracta, quibus responderi pos- „ sit, personas distingui, & hujusmodi sunt pro- „ prietates, vel notiones in abstracto significan- „ tes, ut paternitas, & filiatio. Et ideo essentia „ significatur in divinis, ut *quod*, persona vero, ut „ *quis*, proprietas autem, ut *quo*.

182. „ Secundo quia una persona invenitur in „ divinis referri ad duas personas; scilicet perso- „ na Patris refertur ad personam Filii, & perso- „ nam Spiritus sancti. Non autem refertur una „ relatione, quia sic sequeretur, quod etiam Fi- „ lius, & Spiritus sanctus una, & eadem relatio- „ ne referreutur ad Patrem. Et sic cum sola re- „ latio in divinis multiplicet Trinitatem, seque- „ retur, quod Filius, & Spiritus sanctus non es- „ sent duæ personæ. "

183. Articulo autem sequenti idem Sanct. Doctor quinque enumerat has divinas notiones, scilicet *innascibilitatem*, *paternitatem*, *filiationem*, *communem spirationem*, *&* *processionem*. Duæ priores denotant personam Patris, qui dicitur *innascibilis*, quia a nullo procedit, & dicitur *Pater*, quia generat Verbum, seu Filium; unde *Filiatio* est notio Verbi, quia ex sacris libris, & veterum omnium traditione dicitur *genitum* seu Filius. *Spiratio activa* est pariter *notio* pertinens ad Patrem, & Filium, quatenus ex mutuo æternoque amore Spiritum sanctum producunt. Hujus autem notio est *spiratio passiva*, seu ut communiter appellari solet, *processio*.

184. Scotus hisce quinque notionibus communiter a Theologis recensitis aliam addendam putavit, scilicet *inspirabilitatem*, quam Filio tribuit. Sed id necessarium non videtur ad cognoscendam secundam divinam personam; eo enim ipso, quod dicitur *Filius*, cognoscitur etiam eamdem non esse *spirabilem*.

185. Et certe tot sunt admittendæ notiones, quot necessariæ sunt ad divinas personas internoscendas; ad id autem sufficiunt quinque enumeratæ: cum enim ut supra probatum est cap. IV., quatuor sint relationes, quibus tres divinæ Personæ distinguuntur, & constituuntur, quatuor inde exurgunt notiones, scilicet paternitas, filiatio, spiratio activa, processio. His additur *innascibilitas*, quæ necessaria omnino est ad cognoscendum, primam personam esse quidem aliarum principium, ipsam tamen omni principio carere. Ut enim S. August. Lib. V. *de Trinit.* cap. 6. observare nos vult, *non ideo quis pater*, *quia ingenitus*, *nec ideo ingenitus*, *quia pater*. Ut ergo cognosceremus primam divinam Personam, duo erit necesse advertere, nempe illam esse sine principio, & esse aliarum principium, fontem, & originem.

186. Ob. primo. Ut Dionysius vulgo Areopagi præcipit c. 1. *de divin. nomin. non est audiendum*, *dicere aliquid de Deo*, *præter ea*, *quæ nobis ex sacris eloquiis sunt expressa*; sed divinarum notionum nullibi in sacris eloquiis est mentio: ergo &c.

187. Respondet S. Thomas, satis esse mentionem,

(a) Is fuit celebris in Universitate Parisiensi Theologus initio Sæculi XIII. & Summam theologicam reliquit, nondum quidem impressam, sed in multis bibliothecis manuscriptam servatam, quam S. Thomas nonnunquam allegat. Vid. Luc. Ellies Dupin *Biblioth. Eccles.* Sæc. XIII.

nem, quæ in scriptura sacra fit divinarum Personarum Patris, Filii, & Spiritus sancti, quæ cognosci, & distingui debent per suas proprias notiones.

188. Obj. secundo. Quidquid ponitur in divinis, aut pertinet ad unitatem essentiæ, aut ad trinitatem personarum; sed notiones ad neutrum pertinent. Non ad unitatem essentiæ; neque enim dici potest, *paternitatem esse sapientem*, vel *agere*, *creare &c.* Sed neque pertinent ad trinitatem personarum; non enim dici possunt de notionibus, quæ dicuntur de personis, ex. gr. paternitatem generare, & filiationem generari: ergo &c.

189. Respondet Angelicus, notiones in divinis non significari, *ut res*, sed ut *rationes quasdam*, quibus cognoscuntur personæ; & ideo quæ habent ordinem ad actum aliquem essentialem, vel personalem, non posse dici de notionibus, *quia hoc repugnat modo significandi ipsarum*. „ Unde non possumus dicere, quod paternitas generet, vel creet, sit sapiens, vel intelligens. Essentialia vero, quæ non habent ordinem ad aliquem actum, sed removent conditiones creaturæ a Deo, possunt prædicari de notionibus: possumus enim dicere, quod paternitas est æterna, vel immensa, vel quodcumque hujusmodi. Et similiter propter identitatem rei possunt substantiva personalia, & essentialia prædicari de notionibus; possumus enim dicere, quod paternitas est Deus, & Deitas est Pater “.

190. Præterea idem S. Doctor, ac Magister noster quæst. 41. art. 1. explicans illud dictum S. Augustini Lib. V. *de Trinit.* cap. 4. & 5.: *Omne quod de Deo dicitur, aut dicitur secundum substantiam, aut secundum relationem*, respondet ad 2., quod actus notionales secundum modum significandi tantum differunt a relationibus personarum, sed re sunt omnino idem. Vid. totus ille articulus, imo tota quæstio in sex articulos divisa.

191. Obj. tertio contra numerum notionum. In Deo non sunt nisi tres personæ, ergo etiam non debent poni nisi tres notiones: vel ad summum quatuor juxta numerum relationum.

192. Resp. neg. conseq. Non enim est eadem ratio personarum, relationum, ac notionum. Tres enim personæ ex duabus processionibus divinis resultant, nempe Patris, qui generat, Filii, qui generatur, & Spiritus sancti, qui a Patre, Filioque procedit. Ex tribus autem personis quatuor exsurgunt relationes, paternitatis, filiationis, spirationis activæ, & processionis. Denique hæ relationes non sufficiunt ad actus notionales; addenda est enim innascibilitas, ut cognoscatur, Patrem, qui generat, esse ingenitum.

193. Dices: Hæc duplex notio Patris, sicut etiam Filii, est supervacanea; una enim sufficit ad unam personam ab aliis internoscendam.

194. Resp. neg. maj.; nam paternitate utique distinguitur a Filio, sed non a Spiritu sancto. Rursus paternitate, & spiratione activa Pater distinguitur a duabus personis. Addenda tamen est innascibilitas, ut sciamus, ita Patrem esse aliarum personarum principium, ut ipse omni principio careat.

195. Dices secundo: Innascibilitas nihil est positivum, sed pura negatio principii; non itaque in censum divinarum notionum venire potest.

196. Resp. Quanquam innascibilitas ex se aliquid negativum significet, attamen cum de æterno Patre enunciatur, aliquid positivum denotat, scilicet personam divinam, quæ a nulla alia procedit.

197. Dices tertio: Notio ex definit. sup. num. 178. tradita denotat aliquam perfectionem; sed innascibilitas nullam dicit perfectionem: alias personæ, quæ procedunt, hac perfectione carerent, ac proinde non essent infinitæ.

198. Resp. notionem innascibilitatis certe esse perfectionem; quis enim negat, summam Patris esse perfectionem, quod quocumque alio principio careat, & sit a seipsò? Hæc autem perfectio est in Patre solo, reduplicative ut prima persona est. Eadem tamen & in aliis Personis est, non quidem ratione personæ, sed ratione essentiæ. Cum enim quælibet perfectio divina identificetur cum essentia, & essentia una, eademque sit in omnibus personis, hinc quælibet persona mediate saltem, seu ratione essentiæ perfectiones omnium aliarum habet; non quidem *formaliter*, sed *identice*, ut Scholastici loquuntur. Vide sup. Dissert. I. num. 210.

199. Dices quarto: Spiratio activa, utpote quæ duabus personis convenit Patris, & Filii, non potest inter notiones numerari; quia notio est nota, seu character ad unam personam distinguendam ab aliis.

200. Resp. etiam spirationem activam esse notionem, seu notam, & characterem, qua duæ personæ, Patris, ac Filii, a tertia Spiritus sancti persona distinguuntur.

201. Obj. quarto: Notiones debent esse plures, quam quinque. Nam pater æternus, sicut est innascibilis, & ingenitus, ita est inspirabilis: ergo etiam inspirabilitas erit notio Patris.

202. Resp. *Inspirabilitatem* in Patre, & Filio, sicuti etiam *ingenerabilitatem* in Spiritu sancto, non esse notiones, quia nullam dignitatem, aut perfectionem dicunt, quod tamen in notionibus requiritur. Cum enim utraque persona Filii, & Spiritus sancti procedat, altera quidem a Patre per generationem, & altera a Patre, & Filio per virtutem spirativam, nulla in Filio intelligitur perfectio, quod non possit etiam procedere per spirationem; & nulla in Spiritu sancto, quod procedere nequeat per generationem. Summa contra, & infinita intelligitur perfectio in Patre, quod a nullo alio principio procedat, sed sit ipse aliarum personarum principium, fons, & origo.

203. Dices: Saltem in Filio magna perfectio in-

intelligitur, quod paternam generandi vim ita totam exhauriat, ut nullus alius Filius gigni queat. Similiter etiam perfectio est in Spiritu sancto, ut nullus alius Spiritus sanctus produci possit: ergo hæ duæ notiones addendæ erunt.

204. Resp. hanc perfectionem satis cognosci per notiones filiationis, & spirationis: cum enim duplicis istius processionis termini, scilicet Filius, & Spiritus sanctus, sint infiniti, hoc ipso intelligitur, duabus istis processionibus totam vim generandi, & spirandi, licet infinitam, exhauriri. Et sic etiam ex processione Filii per generationem intelligimus, ipsum esse Verbum, & imaginem substantialem Patris: atque ex processione Spiritus sancti per voluntatem sequitur ipsum esse mutuum amorem, & vinculum Patris, & Filii, ut propterea opus non sit alias notiones statuere utriusque Personæ. Atque hactenus dicta sufficiant de notionibus divinis, quæ teste Angelico Præceptore I. P. qo. 32. art. 4., *non sunt articuli fidei*. Ita tamen concludit: *Sic igitur dicendum est, quod circa notiones aliqui absque periculo hæresis contrariæ sunt opinati, non intendentes sustinere aliquid contrarium fidei. Sed quis falsum opinaretur circa notiones, considerans, quod ex hoc sequatur aliquid contrarium fidei, in hæresim laberetur*.

CAPUT VII.

De missione divinarum Personarum (*a*).

205. Agit de hujusmodi missionibus S. Thomas I. P. qu. 43. octo articulis; & primo declarat, quid proprie sit missio divinarum personarum, his verbis, quæ exscribere non piget; claram enim distinctamque missionis ideam suppeditant: „ In ratione missionis duo importantur; quorum unum est habitudo missi ad eum, a quo „ mittitur; aliud est habitudo missi ad terminum, „ ad quem mittitur. Per hoc, quod aliquis mittitur, ostenditur processio quædam missi a mittente, vel secundum imperium sicut dominus „ mittit servum, vel secundum consilium, ut si „ consiliarius mittere dicatur Regem ad bellandum; vel secundum originem, ut si dicatur, „ quod flos emittitur ab arbore. Ostenditur etiam „ habitudo ad terminum, ad quem mittitur, ut „ aliquo modo ibi esse incipiat: vel quia prius „ ibi omnino non erat, quo mittitur, vel quia „ incipit ibi aliquo modo esse, quo prius non „ erat. Missio igitur divinæ personæ convenire „ potest, secundum quod importat ex una parte „ processionem originis a mittente, & secundum „ quod importat ex alia parte novum modum existendi in alio: sicut Filius dicitur esse missus a Patre in mundum, secundum quod incepit in mundo esse per carnem assumptam, & „ tamen ante in mundo erat, ut dicitur Jo. I. “

206. Ex hac S. Th. doctrina definiri solet a Theologis missio, ut sit *processio personæ divinæ ab alia, cum habitudine ad terminum, in quo incipit esse aliquo modo, quo ibidem antea non erat*. Sic Joan. VIII. 16. Christus dicebat de seipso: *Misit me Pater:* & vers. 42. *Ego enim ex Deo processi, & veni; neque enim a me ipso veni, sed ille me misit:* tom c. XIV. 26. de Spiritu S.: *Quem mittet Pater;* ac XV. 26.: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre*. Hæc autem missio Filii a Patre, & Spiritus S. a Patre, & Filio non est per imperium, aut per consilium, sed per originem, & emanationem naturalem.

207. Hæc porro missio, prout respicit processionem, & originem, est æterna, & invisibilis; prout autem respicit terminum, temporalis est, & aliquando visibilis, ut patet in missione Verbi, quando in plenitudine temporis carnem pro nostra salute assumpsit, & etiam Spiritus sancti, quando supra Jesum Christum in Jordane, sicut columba descendit, & super Apostolos visibili forma ignis apparuit. Aliquando autem est invisibilis; ut cum Spiritus sanctus habitat in justis per gratiam sanctificantem, juxta illud ad Gal. IV. 6.: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra*.

208. Ex his, quæ certa sunt apud omnes, quædam quasi corollaria eliciuntur. Primo, Patrem æternum nullatenus mitti, quia innascibilis est, & a nullo procedit. *Pater*, inquit S. Augustinus Lib. II. *de Trinit.* cap. 5., *nusquam legitur missus*. Idemque repetit aliis in locis; & supervacaneum omnino foret aliorum testimonia afferre in re omnino certa (*b*).

209. Neque vero obest, quod Christus dicit apud

(*a*) Sancti Patres ex missionibus divinarum personarum, quas sacræ litteræ frequenter memorant, invictum depromebant argumentum contra Sabellianos pro earumdem personarum distinctione: *nihil enim a seipso mittitur*, inquiebat S. Basil. Lib. V. contra Eunomium. Vid. etiam S. Athanas. in Lib. contra Sabellianos; S. Epiph. *Hæresi* LXII. S. Ambr. Lib. II. *De fide* c. 4. & S. Aug. in Libris *de Trinit.*

(*b*) Photius in *Bibliotheca* Codice 277. Homiliam quamdam allegat S. Jo. Chrysostomi *de Spiritu sancto*, inquiens (interprete Andrea Schotto Antuerpiano): „ In hac homilia in fine invenies Chrysostomum „ dicere, *missionem neque Filium, neque Spiritum minorem facere Patre*. Quod & ipse Pater mittatur a „ Spiritu, & a Filio, dicit his verbis: *Si tibi ostenderem factorem cœli, & terræ missum esse a Spiritu, & Filio, quid facies?... Et ubi dicitur*, inquis, *hoc? Audi Deum per Prophetam dicentem Isaiam* (cap. XLVIII. 12.): *Audi me Israel, quem ego voco;* & cum integrum locum eousque protulisset, *Et nunc Deus misit me, & Spiritus ejus*, confirmat, Patrem hæc dicere, ex prædictis, confirmans hanc orationem, & statuens: *Clarum est, Patrem nunc loqui, & mitti se a Spiritu, & Fi-*

pud Joannem XIV. 23. de se ipso, ac de Patre: *Si quis diligit me .... & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus;* quod etiam de Spiritu sancto intelligendum est, ita ut tota Trinitas in justis inhabitet (*b*).

210. Non, inquam, id obest, quia ut S. Thomas observat „ licet effectus gratiæ sit etiam a Pa„ tre, qui inhabitat per gratiam, sicuti & Filius, „ & Spiritus sanctus, quia tamen non est ab a„ lio, non dicitur mitti. Et hoc est quod dicit „ Augustinus IV. *de Trinit.* c. 20., quod *Pater*, „ *cum in tempore a quoquam cognoscitur, non* „ *dicitur missus; non enim habet, de quo sit,* „ *aut ex quo procedat.*" Et contra Serm. Arianorum cap. 4. Tom. VI. *Solus Pater*, inquit, „ *non legitur missus, quoniam solus non habet* „ *auctorem, a quo genitus sit, vel a quo pro-* „ *cedat. Et ideo non propter naturæ diversita-* „ *tem, quæ in Trinitate nulla est, sed propter* „ *ipsam auctoritatem solus Pater non dicitur* „ *missus. Non enim splendor, aut fervor i-* „ *gnem, sed ignis mittit sive splendorem, sive* „ *fervorem.*

211. Secundo. Missio in divinis denotat quidem aliquam dignitatem in Persona, quæ mittit, non tamen secum affert aliquam dependentiam naturæ, aut aliquam imperfectionem in Persona, quæ mittitur, sed solam processionem originis. Essentia enim una eademque numero est in tribus Personis; Personæ autem sibi sunt coæternæ, & perfecte æquales.

212. Aliqui sancti Patres videntur quidem hoc discrimen ponere inter mittentem, & missum, ut hic alteri inferior esse debeat. Sed tunc loquuntur de missione Christi, ut homo erat, & Patre minor. Unde S. Gregorius Nyssenus in Lib. *de Deitate Filii, & Spiritus sancti* ea verba Christi Joan. XIV. 28. *Pater major me est*, ita explicat: *Dictum est igitur: Qui misit me, major me est. Igitur videamus, a quo hœc verba proferantur. Quomodo missus est, an forma Dei prælitus, an accepta servi forma? .... Descensus igitur Filii Dei ad nostram humilitatem, & imbecillitatem, qui voluntate Patris accidit, missio dicitur.* Hinc etiam illa præclara observatio S. Augustini Lib. II. *de Trinit.* cap. 6., *nusquam scriptum esse, quod Deus Pater major sit Spiritu sancto, vel Spiritus sanctus minor Deo Patre, quia non sic est assumpta creatura, in qua appareret Spiritus sanctus, sicuti assumptus est filius hominis, in qua forma ipsius Verbi Dei persona præsentaretur* &c.. Item tamen sancti Patres præter hanc visibilem, & temporalem Verbi divini missionem, sæpissime aliam invisibilem, & æternam memorarunt, qua a Patre generatione procedit.

213. Hinc etiam aliquando dictum est, Filium mitti a Spiritu sancto. Nam illa verba Isaiæ XLVIII. 16.: *Nunc misit me Dominus Deus, & Spiritus ejus*, & illa alia LXI. 1. *Spiritus Domini super me, eo quod Dominus unxerit me, ad annunciandum mansuetis misit me* intelliguntur de persona Filii, missi a Spiritu sancto; nempe missione externa, & temporali ad Incarnationis opus, ut explicat laud. S. Augustinus cap. 5.: ubi etiam notat, eadem ratione posse divinum Verbum dici missum quoque a se ipso. *Fortasse*, inquit, *aliquis cogat, ut dicamus, etiam a se ipso missum esse Filium; quia ille Mariæ conceptus, & partus operatio Trinitatis est, qua creante omnia creantur.* Quod dici posse, & debere, S. Pater concedit subdens: *Sic ergo intelligat, illam incarnationem, & ex Virgine nativitatem, in qua Filius intelligitur missus, una, eademque operatione Patris, & Filii inseparabiliter esse factam, non utique inde separato Spiritu sancto, de quo aperte dicitur: inventa est in utero habens de Spiritu sancto.*

214. Ceterum iidem sancti Patres non propter ea negant missionem Verbi, etiam ut Deus est. Nam sæpe laud. S. Augustinus Lib. IV. *de Trin.* cap. 20. *Secundum hoc*, inquit, *jam potest intelligi, non tantum ideo dici missus Filius, quia Verbum caro factum est, sed ideo missus, ut Verbum caro fieret, & per præsentiam corporalem illa, quæ scripta sunt, operaretur.* Antea vero notaverat, ex quo Filius dicatur missus a Patre, nullo modo nos impediri, *ut credamus, æqualem Patri esse Filium, & consubstantialem, & coæternum, & tamen a Patre missum Filium; non quia ille major est, ille minor,*

„ *lio.*" Ita Photius. Sed hæc Homilia inter opera S. Jo. Chrysostomi spuria rejecta est in III. Tomo edit. D. Bern. Montfaucon. Etiam Fronto Ducæus eamdem ut spuriam rejecerat. Vid. Monitum huic Homiliæ præfixum. Ceterum in illa Homilia, prout modo edita est, non legitur, Patrem esse missum a *Filio*, & a Spiritu sancto; sed tantummodo a Spiritu sancto; & manifeste apparet, *conditorem cœli & terræ* ibi non significare Patrem, sed Filium, adeoque non Patrem dici missum a Spiritu sancto, sed Filium.

(*b*) Quamvis in laud. Joan. loco nulla expressa mentio fiat Spiritus sancti, apertissime tamen subintelligitur propter subsequentia verba: *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia.* Hinc S. Augustinus Tr. LXXVI. in Joan. „ Ne quis porro, inquit, „ existimet, Patrem tantummodo, & Filium sine Spi„ ritu sancto apud Dilectores suos facere mansionem, „ recolat quod superius de Spiritu sancto dictum est: „ *Quem mundus non potest accipere, quia non videt* „ *eum, nec scit eum; vos autem cognoscetis eum, quia* „ *apud vos manebit, & in vobis erit.* Ecce facit in „ Sanctis cum Patre, & Filio Spiritus sanctus man„ sionem: intus utique, tamquam Deus in templo suo: „ Deus Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus „ veniunt ad nos, ut sit in nobis non transitoria man„ sio, sed æterna."

nor; sed quia ille Pater, ille Filius, ille genitor, ille genitus; ille a quo est, qui mittitur, ille qui est ab eo, qui mittit. Filius enim a Patre est, non Pater a Filio. Quæ omnia non de temporali, sed de æterna missione intelligi debent.

215. Sed frequentius locuti sunt S. Patres de missione externa & temporali, quia etiam sacræ litteræ frequentius de eadem loquuntur, ut ad Galatas IV. 4. *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Dominus etiam Jesus Christus promittens se missurum Spiritum sanctum, de missione temporali aperte loquitur utens verbo futuro, *mittam: cum venerit* &c. & apud Joan. VII. 38. seq.: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum; nondum enim erat Spiritus datus; quia Jesus nondum erat glorificatus.* Quæ omnia nonnisi ad temporalem missionem Filii, & Spiritus sancti referri possunt. Sed temporalis hæc missio aliam æternam supponit; non enim mittitur una persona, nisi ab alia, a qua procedit.

CAPUT VIII.

De Circuminsessione.

216. Nonnulla quidem hac de re notavimus in I. Dissert. n. 13.; præstat tamen aliqua addere pro majori hujus ineffabilis arcani intelligentia; ex hac enim mutua divinarum personarum circuminsessione, vel ut alii loquuntur, *circumincessione* validissimum argumentum desumitur ad duas oppositas hæreses, Sabellianam, & Arianam profligandas. Sabelliana enim impietas omnino condemnatur, si una divina Persona in alia inexistere demonstretur; cum nihil recte dicatur in seipso inexistere. Ariana quoque blasphemia exploditur, cum non alia ratione possint divinæ Personæ intime in seipsis inhabitare, nisi propter unitatem, atque identitatem naturæ.

217. Jam vero admittendam esse hanc mutuam divinarum Personarum circuminsessionem, patet ex sacris litteris. Christus enim Jo. X. 38. ita discipulos suos instruebat: *Ut cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.* Et cap. XIV. 10. eosdem quasi redarguens, inquit: *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? ... Pater autem in me manens, ipse facit opera.* Quæ verba expendens S. Cyrillus Alexandrinus Lib. *Thesauri* XII. inquit: *Ut eo ipso, quod ait Christus, hunc in illo, & illum in hoc videri, identitatem Deitatis, & unitatem substantiæ monstret. Cum autem alterum in altero inesse asserit, excludi illud, ne quis unum aliquid esse numero putet.*

218. Longum autem esset omnia, quæ abunde suppetunt, Veterum testimonia congerere; quamobrem nonnisi pauca seligemus. Athenagoras in Legatione pro Christianis dicit, *unum esse Patrem, & Filium, & esse in Patre Filium, & Patrem in Filio unitate, & virtute Spiritus.*

219. Tertullianus in Libro adv. Praxeam cap. 25. *Connexus*, inquit, *Patris in Filio, & Filii in Paracleto tres efficit cohærentes, qui tres unum sint, non unus.*

220. Dionysius Rom. Pontifex in ea epistola, quam contra Sabellianos pro dogmate sanctissimæ Trinitatis scripsit, & cujus aliqua fragmenta apud S. Athanasium in *Decretis Synodi Nicænæ* supersunt, postquam Sabellianorum blasphemias condemnavit, contra alios invehitur, qui *tres quodammodo Deos prædicant, dum sanctam Monadem dividunt in tres hypostases peregrinas, a se invicem plane separatas. Etenim necesse est, uniri omnium Deo Dei Verbum, & in Deo manere, & habitare Spiritum sanctum. Jam vero divinam quoque Trinitatem in unum, velut in caput quoddam, & summam, Omnipotentem Deum universorum dico, colligi, & coalescere prorsus necesse est.*

221. Multo clarius locuti S. Patres post exortam, & profligatam Arianam impietatem. Sic S. Hilarius in Lib. VIII. de *Trinitate: Pater*, inquit, *in Filio est, & Filius in Patre per inseparabilis naturæ unitatem ... Tenens hanc itaque manentis in Patre Filii, & Patris in Filio fidem, unum Deum Patrem, & unum Dominum Christum sibi esse Apostolus prædicat.*

222. S. Ambrosius Lib. X. in Lucæ cap. XX. *Et Pater*, inquit, *Dominus, & Filius Dominus: Dixit Dominus Domino meo; quia & Pater Deus, & Filius Deus, sed unus Deus, quia Pater in Filio, & Filius in Patre.*

223. S. Hieronymus non solum admittit divinarum personarum circuminsessionem, sed eam insuper explicat per intimam localem inhabitationem, inquiens in cap. III. Ezechielis: *Filius est locus Patris, & Pater locus est Filii, dicente Domino Salvatore: Ego in Patre, & Pater in me.*

224. S. Augustinus in postr. cap. Lib. VI. de *Trinit.* de divinis personis ait: *In illa summa Trinitate tantum est una, quantum tres simul; nec plus aliquid sunt duæ, quam una ... Ita & singula sunt in singulis, & omnia in singulis, & singula in omnibus, & omnia in omnibus, & unum omnia.*

225. S. Fulgentius in Libro *de fide ad Petrum* cap. 1. *Per hanc*, inquit, *unitatem naturalem totus Pater in Filio, & Spiritu sancto, totus Filius in Patre, & Spiritu sancto est, totus quoque Spiritus sanctus in Patre, & Filio: nullus horum extra quemlibet ipsorum est.*

226. Demum S. Jo. Damascenus in Lib. I. de *fide orthodoxa* circuminsessionem explicat exemplo lucis, quæ a tribus solibus diffunderetur; ita enim sibi invicem radii immanerent, ut solis unius lux contineretur in luce aliorum, & rursus lux istorum commisceretur cum luce alterius.

227.

227. Sed nulla prorsus est similitudo rerum creatarum, qua possit singularis illa divinarum Personarum περιχώρησει adamussim explicari. Exemplum enim duarum naturarum in Christo, quo aliqui sancti Patres usi sunt, ac præcipue S. Jo. Damascenus Lib. III. *de fide orthod.* cap. 5. & seq., multum deficit; in Christo enim natura quidem divina humanam omnino permeat, totamque in se continet; sed non vicissim natura humana, utpote finita, potest totam immeare naturam divinam. In hoc tamen ea similitudo valet, quod duæ illæ naturæ se mutuo permeant absque ulla confusione.

228. Multoque longius distat alia similitudo inexistentiæ fidelium in Deo per charitatem, quæ non dicitur, nisi per quamdam analogiam cum illa perfectissima unione divinarum personarum inter se. Sic Christus rogabat Patrem Jo. XVII. 21. pro fidelibus, *ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.* Quæ, & alia similia significant unionem charitatis, non autem essentiæ, quæ potissima ratio est circuminsessionis divinarum personarum.

229. Hanc rationem, & omnium veterum Patrum hac de re doctrinam complexus est, & more suo illustravit S. Thomas I. P. q. 42. art. 5. observans, „ quod in Patre, & Filio tria est considerare, scilicet essentiam, & relationem, & originem, & secundum quodlibet istorum Filius est in Patre, & e converso. Secundum essentiam enim Pater est in Filio, quia Pater est sua essentia, & communicat suam essentiam Filio, non per aliquam suam transmutationem. Unde sequitur, quod cum essentia Patris sit in Filio, in Filio sit Pater. Et similiter cum Filius sit sua essentia, sequitur, quod sit in Patre, in quo est ejus essentia (a)... Secundum etiam relationes manifestum est, quod unum oppositorum relative est in altero, secundum intellectum. Secundum originem etiam manifestum est, quod processio verbi intelligibilis non est aliquid extra, sed manet in dicente. Id etiam, quod verbo, dicitur in verbo continetur. Et eadem ratio est de Spiritu sancto. “

230. Argumentum autem, quod S. Thomas affert ex relationibus divinis, primo quidem intuitu videri potest inefficax, imo contrarium, quia unum oppositorum non potest esse in altero: sed relatio efficit in divinis personis mutuam oppositionem; adeoque relationes divinæ obstare videntur mutuæ personarum circuminsessioni.

231. Respondet tamen Angelicus ibidem ad 3., *quod Pater, & Filius opponuntur secundum relationes, non autem secundum essentiam; & ideo istorum oppositorum relative unum est in altero.* Pater enim æternus non esset Pater, nisi in sinu suo contineret Filium.

232. Quantum vero ad tertiam Angelici rationem, illud considerandum est, quod processio divinarum personarum non fit per actionem *ad extra*, seu ut Græci dicunt πρὸς ἔξω; sed per actionem *ad intra* πρὸς ἔσω; ac proinde persona *genita*, vel *spirata* foris, ut ita dicam, non prodit; sed in persona *generante*, vel *spirante* manet; quomodo verbum ab intellectu producitur, in eodem intellectu manens, eademque ratione amor a voluntate. Quanquam hoc exemplum ex creaturis depromptum non est omnino simile, quia verbum in nobis non est intellectui coessentiale, nec amor voluntati; quemadmodum sunt divinæ personæ sibi coessentiales.

233. Objicies. De Verbo divino communiter intelligitur illud Michææ V. 2. *Egressus ejus ab initio* (nempe ab æterno Patre) *a diebus æternitatis.* Et ipse Christus Joan. XVI. 28. inquit: *Exivi a Patre, & veni in hunc mundum:* si igitur Filius ab æterno suo Patre exivit, in illo amplius non est.

234. Respondet S. Thomas ib. ad 2., *exitum Filii a Patre esse secundum modum processionis interioris, prout verbum exit a corde, & manet in eo. Unde exitus ille in divinis est secundum essentialem aliquam distantiam.* Verba autem Jesu Christi significant processionem ejus temporalem ad salutare nostræ redemptionis opus perficiendum.

CAPUT POSTREMUM.

De cautione servanda in locutionibus de augustissimo Trinitatis mysterio.

235. **M**axima cautione opus est in verborum delectu, ubi de sacrosanctis nostræ Religionis mysteriis agitur, potissimum vero de hoc fundamentali, & omnium abstrusissimo divinæ Trinitatis; in quo explicando a duabus pestilentissimis hæresibus, Sabelliana, & Ariana, quasi a duobus oppositis scopulis procul recedamus oportet, ut sapienter monet S. Thomas I. P. q. 31. art. 2. Quamobrem idem Doctor Angelicus, & post ipsum Theologi scholastici quosdam velutl canones consti-

(a) S. Doctor id confirmat auctoritate S. Hilarii, cujus tamen verba paulo aliter leguntur prope finem Libri V. *de Trinit.*, nempe hoc modo: *Naturam suam (ut ita dicam) sequitur incorporalis, atque indemutabilis Deus, incorporalem, atque indemutabilem Deum gignens. Nec naturam suam deserit, ex incorporali, atque indemutabili Deo incorporalis, atque indemutabilis Dei perfecta nativitas.* Et inferius explicans verba Isaiæ XLV. 14. *Tantum in te est Deus, & non est absque te Deus;* quæ de Christo dicta videntur, in *quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Coloss. II. 9. inquit: *Exerat se in hanc inseparabilem professionem hæreticæ impietatis furor, quæ subsistentem in eo Dei naturam intelligit, cum Deus Deo insit.*

stituerunt, ad quorum amussim nostræ de divinis personis loquendi formulæ exigi debent (a).

236. Et primo quidem certum est, nomen *Trinitatis* recte usurpari ad hoc mysterium profitendum, juxta illud Symboli *Quicumque: Fides autem catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur*. Et quamvis secundum etymologiam hoc vocabulum significare videatur unam essentiam trium personarum, quasi *trium unitas* (b); tamen secundum proprietatem vocabuli significat numerum personarum unius essentiæ; & propter hoc, inquit Angelicus hic art. 1. ad 1., non possumus dicere, *quod Pater sit Trinitas, quia non est tres personæ*. Admonet tamen idem S. Doctor ad 4., cum dicimus *Trinitatem in unitate*, non poni numerum in unitate essentiæ, quasi sit *ter una*, sed poni personas numeratas in unitate naturæ; & cum dicimus *Unitatem in Trinitate*, designari naturam in suis suppositis.

237. Secundo. Non tamen dici potest *triplicitas* personarum; triplicitas enim significat proportionem inæqualitatis. Unde etiam S. Augustinus Lib. VI. de *Trin.* cap. 7. de Deo inquit: *Nec quoniam Trinitas est, ideo triplex putandus est: alioquin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quam simul Pater, & Filius*. Unde & Synodus Toletana decima in Professione Fidei de Deo inquit: *Non triplex, sed Trinitas & dici, & credi debet* (c).

238. Tertio. Quamvis dici possit *Deus est trinus*, dici tamen non potest *Trinitas est trina*; quia in prima propositione designantur tria supposita Divinitatis; in altera vero importatur multiplicatio numeri ternarii in seipsum, & sic novem exurgerent supposita, seu personæ.

239. Quarto. Controversia exorta sæculo IX. de *trina Deitate* pura putaque fuit λογομαχία. Nempe Hincmarus Remensis Episcopus vetuit cani in Hymno plurimorum Martyrum: *Te Trina Deitas, unaque poscimus*, contendens, id sine hæresi dici non posse, quia Deitas naturam, vel essentiam divinam significat, quæ una, & simplicissima est. Ratramnus vero Monachus Corbejensis volumen conscripsit ad Hildegarium Meldensem Episcopum, in quo potissimum ex S. Hilario & Augustino trinam, & unam Deitatem catholice dici posse evincebat. Non is autem erat Hincmarus, qui adversario facile fasces submitteret; unde suæ opinionis tenax librum edidit *de non trina Deitate*. Hunc autem Hincmari librum impugnavit Gottescalchus, qui tunc in carcere Monasterii Altivillarensis macerabatur. Sed, ut dixi, mera hæc fuit λογομαχία pugna verborum; *naturaliter* enim Deitas una est; *personaliter* trina; quod nec Hincmarus, nec ullus catholicus inficiabatur. Usus tamen cautandi in Ecclesia *Te trina Deitas* &c. retentus fuit, quem etiam postea Angelicus in hymno festi Corporis Christi secutus est (d).

240. Quinto. Non tamen dici potest *triplex Deitas*, propter rationem superius num. 237. allatam; significaret enim hoc nomen numerum personarum inæqualium. Nec sine horrore possumus illorum blasphemias commemorare, qui unam, sanctamque Trinitatem tricipiti Cerbero æquiparare scurriliter ausi sunt.

241. Sexto. Dici potest *Deus Deum genuit*, si nomine Dei intelligatur persona: unde Nicæni Patres in Symbolo Jesum Christum confessi sunt *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero*. Deus enim hic sumitur pro persona Patris, quæ generat, & pro persona Filii, quæ genita est. Sed si hoc nomen *Deus* sumatur pro essentia, tunc dici non potest *Deus genuit Deum*, quia ut dictum est supra num. 55., *essentia nec generat, nec generatur*.

242. Septimo. Non tamen dici posset: *Deus non generat*; ut enim S. Thomas observat I. P. q. 39. articul. 4. ad 3. „ Cum dicimus, *Deus generat*, ratione actus notionalis supponit hoc nomen

(a) S. Augustinus Lib. X. *de civit. Dei* cap. 23. inquit: *Liberis verbis loquuntur Philosophi; nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his significantur, impiam gignet opinionem*. Etiam Angelicus 2. 2. quæst. 11. art. 2. ad 2. notat, *quod si sit inordinata locutio circa ea, quæ sunt fidei, sequi potest ex hoc corruptio fidei*. Imo Patres Synodi VI. Act. 12. sapienter monuerunt, *necesse esse*, non *solum secundum sensum sequi sanctorum Patrum dogmata, sed iisdem vocibus uti cum illis, nihilque penitus innovari*.

(b) Isidorus in Libro VII. *Etymologiarum*, seu Originum cap. 4. *Trinitas*, inquit, *appellatur, quod fiat totum unum ex quibusdam tribus, quasi triunitas. Pater igitur, & Filius, & Spiritus sanctus trinitas, & unitas. Idem enim unum, & idem tria. Unum propter majestatis communionem. Tria propter personarum proprietatem*. Nomen Trinitatis jam secundo Ecclesiæ sæculo a Theophilo Antiocheno Episcopo usurpatum fuit Lib. II. ad Autolicum n. 15.

(c) Repugnat Dion. Petavius Lib. VIII. *de Trinit.* cap. 9. num. 6., contendens, hanc phrasim *triplex Deitas* absolute usurpari posse, nisi alteram *trina Deitas* alteri præculisset usus, *Quem penes arbitrium est, & jus, & norma loquendi*, ut inquit Horatius in *Arte poet.*... Quidquid autem sit de iis, quæ doctissimus hic scriptor attulit ad probandum, idem prorsus significari apud Latinos duabus his vocibus *trinum, & triplex*, debemus certe ejus monito obtemperare, dum scribit, consuetudine, quæ in usu communi vocem illam *triplicis* a Deo, Deique natura segregavit, *trini* vero recepit, Theologum non imprudentem uti oportere.

(d) Vid. Nat. Alexander Dissert. V. in Sæculum IX. §. 14., Dupinne *Biblioth. nova Scriptorum Ecclesiastic.* Tom. VII. cap. 2., Petrus Constantius in *Vindiciis Manuscript. Codicum*, & Gilbertus Mauguinus Tom. II. *Vindic. prædestinat. & gratiæ* cap. 5. *Diss. Histor. & Chronol.* Brevem hujus rei mentionem facit etiam Mabillonius præfat. II. in Sæcul. IV. Benedict. num. 147.

„ men *Deus* pro persona Patris. Sed dicimus „ *Deus non generat*, nihil additur quod determinet hoc nomen ad personam Filii: unde datur intelligi, quod generatio repugnet divinæ „ naturæ. Sed si addatur aliquid pertinens ad „ personam Filii, vera erit locutio, ut si dicatur, *Deus genitus non generat*. Unde non sequitur: *Est Deus generans*, & *Deus non generans*, nisi ponatur aliquid pertinens ad personas, ut puta si dicamus, *Pater est Deus generans*, & *Filius est Deus non generans*".

243. Octavo. Hæc propositio, *Pater genuit se Deum*, judicio S. Thomæ I. P. q. 39. art. 4. ad 4. est falsa „ quia ly *se*, cum sit reciprocum, „ refert idem suppositum. Neque est contrarium, „ quod Augustinus dicit in epist. ad Maxim., „ quod *Deus Pater genuit alterum se*; quia ly „ *se* vel est casus ablativi, ut sit sensus, *genuit* „ *alterum a se*; vel facit relationem simplicem, „ & sic refert identitatem naturæ; sed est impropria, vel emphatica locutio, ut sit sensus, *genuit alterum simillimum sibi*".

244. Nono. Idem S. Thomas loco laud. reputat falsam hanc elocutionem, *Deus genuit alium Deum*; „ quia licet Filius sit alius a Patre, non „ tamen est dicendum, quod sit alius Deus, quia „ intelligeretur, quod hoc adjectivum *alius* poneret rem suam circa substantiam, quod est „ Deus, & sic significaretur distinctio Deitatis".

245. Decimo. Similiter reputat falsam hanc propositionem: *Deus genuit Deum, qui est Deus Pater*; „ quia cum ly *Pater* appositive construatur cum ly *Deus*, restringit ipsum ad standum „ pro persona Patris; ut sit sensus: *Genuit Deum*, „ *qui est ipse Pater*; & sic Pater esset genitus, „ quod est falsum. Unde negativa est vera: *Genuit Deum, qui non est Deus Pater*".

246. Undecimo. S. Thomas q. laud. art. 5. ad 5. acute observat, „ hanc esse differentiam inter „ nomina *substantiva*, & *adjectiva*, quod *nomina substantiva ferunt suum suppositum*, *adjectiva vero non*, *sed rem significatam ponunt circa substantivum*. Unde Sophistæ dicunt, quod *nomina substantiva supponunt*, *adjectiva vero non supponunt*, *sed copulant*". Ex hac autem subtili Grammaticorum doctrina recte infert Angelicus, nomina personalia substantiva posse de essentia prædicari propter identitatem rei; sed notionalia, & personalia adjectiva non posse prædicari de essentia, nisi aliquo substantivo adjuncto. Unde non possumus dicere, quod *essentia est generans*; possumus tamen dicere, quod *essentia est res generans*, vel *Deus generans*, si res, & Deus supponant pro persona, non autem si supponant pro essentia. Unde non est contradictio, si dicitur, quod *essentia est res generans*, & *res non generans*, quia primo res tenetur pro persona, secundo pro essentia. Ita totidem verbis Angelicus.

247. Duodecimo. Ibidem ad 6. quærit S. Doctor de hac propositione, quæ invenitur apud S. Augustinum Lib. IV. *de Trin.* cap. 20.: *Pater est principium totius Deitatis*. „ Respondet autem „ quod Deitas, inquantum est una in pluribus suppositis, habet quamdam convenientiam cum forma nominis collectivi. Unde cum dicitur, *Pater est principium totius Deitatis*, potest sumi „ pro universitate personarum, inquantum scilicet in omnibus personis divinis ipse est principium. Nec oportet, quod sit principium sui „ ipsius, sicut aliquis de populo dicitur rector „ totius populi, non tamen sui ipsius. Vel potest „ dici, quod est *principium totius Deitatis*, non „ quia eam generet, & spiret, sed quia eam generando, & spirando communicat".

248. Decimo tertio. S. Thomas laud. quæst. „ 39. art. 6. nos docet, quod, licet nomina personalia, vel notionalia adjectiva non possint prædicari de essentia, tamen substantiva possunt „ prædicari propter realem identitatem essentiæ, „ & personæ. Essentia autem divina non solum „ idem est realiter cum una persona, sed cum „ tribus. Unde & una persona, & duæ, & tres „ possunt de essentia prædicari; ut si dicamus, „ *Essentia est Pater*, & *Filius* & *Spiritus sanctus*. Et quia hoc nomen *Deus* per se habet, „ quod supponat pro essentia, ideo sicut hæc est „ vera, *Essentia est tres personæ*, ita hæc est „ vera, *Deus est tres personæ*." Et licet de nulla persona dici possit, quod *sit Trinitas*: dici tamen potest, *Deus est Trinitas*, sumendo nomen *Dei* pro essentia.

249. Decimo quarto. S. Thomas q. 41. art. 2. regulas quasdam generales proponit ad evitandos errores Arii, & Sabellii, inquiens: „ Ad evitandum errorem Arii vitare debemus in divinis nomen diversitatis, & differentiæ, ne tollatur unitas essentiæ... Ne autem tollatur simplicitas „ divinæ essentiæ vitandum est nomen separationis, & divisionis, quæ est totius in partes. Ne „ autem tollatur æqualitas, vitandum est nomen „ disparitatis. Ne vero tollatur similitudo, vitandum est nomen alieni, & discrepantis.... Ad „ vitandum vero errorem Sabellii vitare debemus „ singularitatem, ne tollatur communicabilitas essentiæ divinæ: unde Hilarius dicit VII. de Trinitate: *Patrem*, & *Filium singularem Deum prædicare*, *sacrilegum est*. Debemus etiam vitare nomen *unici* ne tollatur numerus personarum; unde Hilarius in eodem Libro dicit, quod „ *a Deo excluditur singularitas*, *atque unici intelligentia*. Dicimus tamen *unicum Filium*, „ quia non sunt plures Filii in divinis. Neque „ tamen dicimus *unicum Deum*, quia pluribus „ Deitas est communis. Vitamus etiam nomen „ *confusi*, ne tollatur ordo naturæ a personis. „ Unde Ambrosius dicit Lib. I. *de fide*: *Nec* „ *confusum est*, *quod unum est*; *neque multiplex esse potest*, *quod indifferens est*. Vitandum est etiam nomen *solitarii*, ne tollatur consor-

sortium trium personarum, dicit enim Hilarius IV. *de Trin.*: *Nobis neque solitarius, neque diversus Deus est confitendus.* "

250. Decimo quinto. Ibidem etiam docet Angelicus, unam personam non posse dici *aliud* ab altera, sed *aliam*. Nam S. Fulgentius in Libro *de fide ad Petrum* cap. 1. inquit: *Una est enim essentia Patris, & Filii, & Spiritus sancti, in qua non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus; quamvis personaliter sit alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus*. Cujus hanc rationem reddit S. Thomas; „ quia hoc nomen *alius* masculine sumptum non importat nisi distinctionem suppositi; unde convenienter dicere possumus, quod *Filius est alius a Patre*, quia scilicet est aliud suppositum divinæ naturæ, sicut est alia persona, & alia hypostasis, " Vide, quæ supra numer. 119. allata sunt ex eodem in resp. ad 4.

251. Addo etiam pulchra verba S. Augustini Tract. XXXVI. in Joan. n. 9., ubi postquam monuerat, ut a duabus hæresibus Sabellii, & Arii tanquam a scylla, & charybdi caveamus, subdit: *Jam dicis, Pater Pater est; Filius Filius est: bene periculum absorbentis gurgitis* (Sabellii) *evasisti: quid vis ire in alteram partem, ut dicas, aliud est Pater, Filius aliud? Alius est, recte dicis, aliud, non recte. Alius enim est Filius, quia non est ipse, qui Pater, & alius Pater, quia non ipse, qui Filius; non tamen aliud; sed hoc ipsum est & Pater, & Filius*.

252. Et quia nomen *differentiæ* invenitur in divinis aliquando usurpatum ab aliquibus; imo & in Prosa de Trinitate his verbis: *Personali differentiis a se differentes*, prout ætate S. Thomæ cantabatur, Angelicus bene notat, id intelligendum esse, *secundum quod proprietas relativa significatur per modum formæ*. Cæterum nomen *differentiæ* proprie non usurpatur in divinis. Unde S. Ambrosius Lib. I. *de fide ad Gratianum* cap. 11. inquit: *Pater, & Filius Deitate unum sunt; nec est ibi substantiæ differentia, neque ulla diversitas*.

253. Decimo sexto. Inquirit S. Thomas q. 31. art. 3., an hæc dictio exclusiva *solus* addenda sit termino essentiali in divinis? Ita vero respondet: „ Hæc dictio *solus* potest accipi ut *categorematica*, vel ut *syncategorematica* (a). Dicitur autem dictio categorematica, quæ absolute ponit rem significatam circa aliquod suppositum, ut *albus* circa hominem cum dicitur *homo albus*. Si ergo sic accipiatur hæc dictio *solus*, nullo modo potest adjungi alicui termino in divinis, quia poneret solitudinem circa terminum, cui adjungeretur; & sic sequeretur, *Deum esse solitarium*, quod est contra prædicta num. 249. Dictio vero syncategorematica dicitur, quæ importat ordinem prædicati ad subjectum, sicuti hæc dictio *omnis*, vel *nullus*. Et similiter hæc dictio *solus*, quia excludit omne aliud suppositum a consortio prædicati: sicuti cum dicitur, *solus Socrates scribit*, non datur intelligi, quod Socrates sit solitarius, sed quod nullus sit ei consors in scribendo, quamvis cum eo multis existentibus. Et per hunc modum nihil prohibet, hanc dictionem *solus* adjungere alicui essentiali termino in divinis, inquantum excluduntur omnia alia a Deo a consortio prædicati, ut si dicamus: *Solus Deus est æternus*, quia nihil præter Deum est æternum. "

254. Decimo septimo. In art. autem sequ. inquirit S. Doctor, an illa dictio exclusiva *solus* possit adjungi termino personali? Atque ita respondet: „ Cum dicimus: *solus Pater est Deus*, hæc propositio potest habere multiplicem intellectum. Si enim *solus* ponat solitudinem circa Patrem, sic est falsa, secundum quod sumitur *categorematice*. Secundum vero, quod sumitur *syncategorematice*, sic iterum potest intelligi multipliciter; quia si excludat a forma subjecti, sic est vera, ut sit sensus: *solus Pater est Deus*, idest ille, cum quo nullus alius est Pater, est Deus... Sed hic sensus non habetur ex consueto modo loquendi, nisi intelligatur alia implicatione, ut si dicatur: *Ille, qui solus dicitur Pater, est Deus*. Secundum vero proprium sensum excludit a consortio prædicati, & sic hæc propositio est falsa, si excludit alium masculine: est autem vera, si excludit aliud neutraliter tantum, quia Filius est alius a Patre, non tamen aliud. Similiter & Spiritus sanctus ".

255. Huic autem doctrinæ videtur obstare illud, quod in Hymno glorificationis Angelico Ecclesia cantare solet de Jesu Christo: *Tu solus altissimus*. Sed respondet S. Thomas, non dici absolute, quod *solus* Filius sit altissimus, sed quod solus sit *altissimus cum Spiritu Sancto in gloria Dei Patris*. Et fortasse etiam id refertur ad humanitatem Jesu Christi in consortium divinitatis assumptam.

256. Decimo octavo. Nomina substantiva in plurali numero de Deo dici nequeunt, quia plures divinas substantias, vel essentias significarent; unde falsæ sunt hujusmodi propositiones: *Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt tres Dii, vel tres Deitates*. Nomina vero adjectiva multiplicari possunt, quia afficiunt Personas, quæ plures sunt, non autem substantiam, quæ unica est. Hinc nihil vetat dicere: *Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt tres creantes, tres beatificantes &c.* Nec minus dici posset, *Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse tres Dominos, tres æternos, tres*

(a) Ita loquuntur Logici a græco vocabulo συγκατηγορεῖν quod significat *enuntiare*; unde καὶ ἀγορεῖν *simul enuntiare*; unde dictio syncategorematica est illa, quæ simul aliquid enuntiat.

tres omnipotentes, *tres immensos*. Hoc tamen negatur in symbolo *Quicumque*; quia ut S. Thomas observat I. P. q. 39. art. 3., hæc nomina ibi sumuntur *substantive*. Ceterum id dici posse *adjective*, in eodem Symbolo luculenter exprimitur iis verbis: *Totæ tres personæ coæternæ sibi sunt*, *& coæquales*. Cum igitur apud aliquos S. Patres hæc, & similia nomina plurali numero usurpata leguntur, *adjective* intelligi debent, non *substantive*: & e converso cum singulariter prædicantur, substantiva sunt.

257. Demum generaliter nomina, quæ personis divinis ratione essentiæ conveniunt, singulari numero enunciari debent; quæ vero iisdem competunt ratione proprietatum personalium, plurali. Ita Angelicus Doctor I. P. q. 39. art. 3. loquiens: „ Nominum essentialium quædam significant essentiam *substantive*, quædam vero *adjective*. „ Ea quidem, quæ *substantive* essentiam significant, prædicantur de tribus personis singulariter tantum, & non pluraliter; quæ vero *adjective* essentiam significant, prædicantur de tribus personis in plurali. Cujus ratio est, quia nomina substantiva significant aliquid per modum substantiæ; nomina vero adjectiva significant aliquid per modum accidentis, quod inhæret subjecto. Substantia autem sicut *per se* habet esse, ita *per se* habet unitatem, vel multitudinem: unde & singularitas, vel pluralitas nominis substantivi attenditur secundum formam significatam per nomen. Accidentia autem, sicut esse habent in subjecto, ita ex subjecto suscipiunt unitatem, vel multitudinem; & ideo in adjectivis attenditur singularitas, & pluralitas secundum supposita. In creaturis autem non invenitur una forma in pluribus suppositis, nisi unitate ordinis, ut forma multitudinis ordinatæ. Unde nomina significantia talem formam, si sint substantiva, prædicantur de pluribus in singulari, non autem si sint adjectiva: dicimus enim, quod multi homines sunt collegium, vel exercitus, aut populus; dicimus tamen, quod plures homines sunt collegiati. In divinis autem essentia divina significatur per modum formæ, ut dictum est art. præced., & q. 3. art. 3.; quæ quidem simplex est, & maxime una. Unde nomina significantia divinam essentiam *substantive* singulariter, & non pluraliter de tribus personis prædicantur. "

258. Hinc primo una est existentia in Deo, tres autem subsistentiæ. Secundo una æternitas, una infinitas, omnipotentia &c., non tres æternitates, infinitates, omnipotentiæ. Tertio dici potest ex æquo, Trinitatem esse unam rem, si designetur essentia; vel plures si spectentur personæ.

259. Non piguit, hæc aliquanto fusius explicare, quia non solum valde utilia, sed plane necessaria Theologo sunt. Nec ea quisquam parvi pendat, ut nimis acuta, & subtilia; neque enim hæ sunt vanæ, atque otiosæ Scholasticorum subtilitates, quas sine ullo detrimento præterire possimus. Ea diligenti inquisitione digna judicavit Theologorum princeps S. Thomas, quem ducem κατὰ πόδας secuti sumus. Imo ejus pene verbis hæc omnia explicanda esse censuimus, ut de nostræ doctrinæ puritate, atque integritate in re tanti momenti certi essemus. Nemini autem istis reclamare fas sit ex eo, quod quædam loquendi formulæ, quas ut minus aptas, vel plane falsas repudiavimus, apud aliquos veteres nonnunquam inveniantur. Neque enim ex iis, quæ raro in spissis S. Patrum voluminibus, atque obiter dicta reperiuntur, sed potius ex eorum frequenti, atque usitata, constantique dicendi ratione nobis regulam, normamque sentiendi, & loquendi efformare debemus. Nec denique contemnendi, aut deserendi sunt scholæ Theologi, qui ad præcludenda hæreticorum effugia majori præcisione, ac magis accurato verborum delectu uti debuerunt (a).

DISSERTATIO III.

De vera, ac consubstantiali Jesu Christi divinitate.

Antequam catholicum veræ, & consubstantialis Jesu Christi divinitatis dogma ea, qua par est, diligentia stabiliamus, ac vindicemus, pauca præmittenda sunt de hæresi Ariana, qua certe

.... *non sævior ulla*
Pestis, & ira Dei stygiis sese extulit undis.

CAPUT I.

De ortu, & progressu Arianæ hæresis sub Constantino.

1. Ariana lues sæculo IV. ineunte in Alexandrina Ecclesia erupit, & totum simul orientem, atque occidentem brevi infecit. Ejus parens fuit Arius ex Lybia Cyrenaica oriundus, vir acri ingenio, nec mediocri scientia instructus, extrinseca etiam vultus dignitate, ac quadam falsæ pietatis specie commendatus; quibus dotibus ab Achilla Alexandrino Patriarcha ad Sacerdotii honorem evehi promeruit; imo ab eodem Achilla Ecclesiæ Baucalensi, quæ ceteris in urbe Alexandrina

(a) De hac materia admodum necessaria, præter S. Thomam sæpius a nobis laudatum, consuli possunt Guill. Estius in Lib. I. Sentent. Distinct. IV. & seq., Dion. Petavius Lib. VIII. de Trinit. duobus postremis capitibus, & passim Scholastici.

na præeminebat (*a*), pastor datus est; atque insuper eidem sacras litteras docendi munus collatum fuit in ea celeberrima schola, cui tot illustres Ecclesiæ Patres olim præfuerant.

2. His dignitatibus auctus superbus homo ad majora assurgens Patriarchalem sedem Achillæ obitu vacuam ambitiose expetebat. Spe frustratus Alexandrum, quem sibi in episcopatu prælatum ægre ferebat, Sabellianismi accusare cœpit, eo quod in Trinitate esse doceret *unitatem*; ipse interim in contrarium errorem lapsus est, docens, Filium unigenitum æterni Patris, nedum hypostasi, sed etiam natura esse a Patre distinctum, & ex nihilo factum, quamvis ante omnes alias creaturas. In quo uno ab Ebionitis, Artemonitis, aliisque veteribus Alogis, jam ab Ecclesia proscriptis distinguebatur Arius; id enim Christum ante Mariam Virginem ejus matrem nullatenus extitisse, blasphemabant.

3. Alexander primo amicis colloquiis, & privatis disputationibus Arium ad sanitatem revocare conatus est; sed cum nihil proficeret, imo errorem latius in dies serpere videret, coacta ex Lybia, & Ægypto centum & amplius Episcoporum Synodo, hæresim vix natam condemnavit, & Arium in errore pertinacem ab Ecclesia expulit. Hæc contigisse creduntur anno circiter 320.

4. Arius ab Ecclesia Alexandrina pulsus in Palæstinam se contulit, ubi erroris sui patronos aliquos inveuit, atque imprimis Eusebium Nicomediensem Episcopum, qui anno circiter 423. Concilio habito ex Bithyniæ Episcopis Arium ad Ecclesiæ communionem admisit; post autem ejus defensionem adeo vehementer suscepit, ut Arianæ hæreseos dux, & antesignanus factus sit; unde etiam ejus sectæ homines promiscue Ariani, vel Eusebiani dicti sunt. Arius autem ut errorem suum magis dilataret, librum edidit *Thaliæ* nomine inscriptum, in quo versibus *Sotadicis* suas impietates molliter exponebat, ut eas imperito præsertim vulgo facilius insinuaret (*b*).

5. S. Athanasius Orat. I. contra Arianos n. 5. exordium *Arianæ Thaliæ* refert, ita in fine concludens: *Et hæc quidem sunt particulæ fabellarum, quæ in ridiculo Arii extant volumine*. Et in Libro, seu epistola *de Synodis Ariminensi, & Seleuciensi* num. 15. aliud infamis illius libri fragmentum nobis servavit, una cum epistola aliquot Presbyterorum, & Diaconorum, qui fuerant ab Ario seducti ad Alexandrum Episcopum scripta.

6. Tum postea nomina recenset quorumdam Episcoporum, qui Ario favebant, antequam Synodus Nicæna celebraretur, scilicet Eusebii Nicomediensis, qui Ario scribebat: *Cum recte sentias, precare, ut omnes ita sentiant*, Narcisii, Patrophili, Maris, Paulini, Theodoti, & Athanasii Nazarborum, quorum postremus in sua epistola ad Alexandrum dicebat, Filium Dei esse unum ex centum ovibus a Christo Jesu in sua parabola commemoratis; quæ si omnes creatæ res sunt, etiam Filius Dei creatura erit. Alia similia non minus insulsa, quam impia Arii sectatorum dicta idem S. Athanasius ex eorum litteris excerpsit, quæ sine stomacho legi non possunt.

7. Sed alios superavit quidam Asterius Sophista ex Cappadocia, unus ex Eusebianis, qui cum in persecutione Diis sacrificasset, in Clerum cooptari non potuit. Hic igitur ex sententia Eusebianorum opusculum edidit, quod, ut Athanasius ait, *sacrificii scelus æquabat*. In illo enim locustam, & erucam Christo conferebat, imo & præferebat, addens, aliam in Deo esse sapientiam præter Christum, quæ & Christi, & mundi creatrix esset. Eusebianorum autem commendatione fretus Ecclesias circuibat, opusculum suum legens, & divulgans, cujus partem ibidem recitat laud. S. Athanasius. Atque ita Arii ejusque sectatorum furore Ecclesiarum pax, & concordia in dies magis abrumpebatur.

8. His Ecclesiæ dissidiis permotus Constantinus magnus, qui Romanum imperium tenebat, (*c*) litteras ad Alexandrum simul, atque ad Arium dedit, utrumque ad pacem, ac silentium exhortans, quas tamen eum scripsisse nollem; sunt enim tanto Imperatore prorsus indignæ, cum in iis gravissimam hanc quæstionem inanem appellet, atque Alexandrum non minus ac Arium imprudentiæ accuset (*d*).

9. Post tamen cum jam incendium adeo excrevisset, ut facile extingui non posset, & frustra Osius Cordubensis Concilio Alexandriæ habito an. 324. discordias componere studuisset, idem Imperator Concilium Œcumenicum Nicææ in Bythinia an. 325., annuente S. Silvestro Rom. Pontifice, celebrari curavit. Adfuerunt ex omnibus mundi partibus 318. Episcopi (*e*), qui audito Ario, reque quamdiligentissime discussa, communibus suffra-

(*a*) Ita testatur P. Mic. Le Quein Tom. II. *Orientis Christiani* de Patriarchatu Alexandrino n. 31.

(*b*) Quorum catalogum exhibent D. Aulisius *Delle Scuole sacre* Lib. II., & Henr. Dodvvellus *Dissert. Irenaicis*.

(*c*) Sotades, ut Svidas observat, fuit Cretensis Maronita, qui turpissimis carminibus *Phylacas*, seu *Cynædos* scripsit. Thalia autem *Convivium* significat. Habemus Salom. Ernesti Cypriani dissert. *de propagatione hæresum per cantilenas* Coburgi 1708., & Jenæ 1715., & Jo. Andreæ Schmidii *Diatribam de propagatione religionis per carmina*. Helmstadii 1710.

(*d*) Nonnulli has litteras ab Eusebio Cæsareensi, qui primus easdem retulit in Lib. II. *de vita Constantini* cap. 64. & seq. in Arianorum gratiam interpolatas fuisse, suspicantur.

(*e*) Nomina horum Episcoporum, quæ Labbeus exhibet Tomo II. *Conciliorum*, non sunt nomina Patrum hujus Nicæni Concilii, sed Concilii VI. an. 680. sub Agathone celebrati. Labbei hallucinationem primus detexit Norisius *de Epochis Syro-Macedonum* Diss. IV. cap. I. Audiendus autem non est Beausobrius, dum Lib. III. *de l'Hist. des dogmes des Manicheens* cap.

fragiis ejus impietatem condemnarunt, fidei formula condita, in qua Jesus Christus dictus est *Deus de Deo*, *lumen de lumine*, *Deus verus de Deo vero*, *genitus*, *non factus*, *Patrique consubstantialis*.

10. Hac Concilii definitione commotus Constantinus Arii *Thaliam* igni tradi jussit, & sub capitis pœna cuilibet ejus lectione interdixit; ut Socrates narrat Lib. I. *Hist. Eccl.* cap. 9. Arium insuper cum duobus Episcopis ejus fautoribus Theona Marmaricæ, & secundo Ptolemaidis exilio multavit; eademque pœna postea affecti sunt Eusebius Nicomediensis, & Theognis Nicænsis, quod Ario aperte faverent; quanquam paullo post hi duo magno Ecclesiæ damno ab exilio revocati sunt. Ad infamiam insuper novæ hæresi creandam Constantinus Arianos appellari jussit *Porphyrianos*, eo quod Arius, non secus ac Porphyrius, idololatriam renovaret.

11. Verum post hæc, aliaque præclare gesta idem Imperator, cujusdam Presbyteri, quem ipsi ejus soror Constantia moriens commendaverat, dolis irretitus Arium vel falsis calumniis appetitum, vel fortasse jam emendatum, & omnino catholice sentientem existimans, ab exilio solvit. Eum tamen ad Ecclesiæ communionem recipere recusavit S. Athanasius, qui Alexandro in Sede Alexandrina successerat; unde ortum habuit odium illud plusquam vatinianum, quo Ariani hunc S. Antistitem indignis modis affixerunt.

12. Arius repulsam ab Athanasio passus, a pluribus aliis Episcopis, qui Jerosolymis convenerant ad dedicationem templi a Constantino ædificati, exhibita subdola fidei professione receptus est, & postea quasi de victoria securus Alexandriam, unde S. Athanasius expulsus aberat, remeans, vi Ecclesiam ingredi tentavit; verum a fideli populo iterum prohibitus fuit.

13. Tunc Imperator, ut in Constantinopolitana Ecclesia reciperetur, efficere conatus est. Regebat eam Ecclesiam sanctus senex Alexander nonagenario major, qui violentiam sibi parari animadvertens, ad divinam opem se totum convertit. Aderat Constantinopoli S. Jacobus Nisibenus miraculorum gloria illustris; cujus etiam hortatu populus fidelis exemplum sui Pastoris imitatus jugibus precibus causam fidei Deo commendabat. Nec frustra; cum enim die solemni Arius magna Eusebianorum stipante caterva ad Ecclesiam triumphali more accederet, terror horribilis ei repente subortus est, & cum terrore simul alvus relaxata. Cum vero ad proximas latrinas secessisset, viscera omnia simul cum splene, ac jecore effusa sunt. Isque fuit infelix impii Arii finis an. circiter 336., ætatis vero ipsius 54. (a).

CAPUT II.

De progressu Arianæ hæreseos sub Constantio Imperatore.

14. Quamquam horribili Hæresiarchæ pœna Ariana factio admodum compressa fuit, caput tamen paulo post audacius in oriente erexit, ubi Constantius Constantini magni filius regnabat, in occidentem autem facile permeare non potuit, saltem quoad duo ejus fratres Constans, & Constantinus simul imperaverunt, ille quidem in Illyrio, Italia, & Africa; Constantinus autem in Hispania, Gallia, & Britannia.

15. Sed postquam malo Ecclesiæ fato uterque sublatus est (Constantinus quidem ann. 340. in bello, quod contra Constantem fratrem moverat, interfectus; Constans vero an. 350. rebellione Aulicorum occisus), & totius imperii summa ad unum Constantium devenit, Ariana lues, quasi fractis aggeribus, omnem Christianum orbem late inundavit.

16. Constantius multa, & varia concilia celebrari curabat; sed omnium propter Eusebianorum vim, & fraudes infelix erat exitus (b). Catholici Episcopi vel metu victi, vel si forti pectore resistere audebant, a suis Ecclesiis exturbati, & in exilium acti. Ipse summus Pontifex Liberius Mediolanum accitus, quod Athanasii damnationi consentire, aliisque nefariis Constantii mandatis obtemperare recusaverit, Beroeam in Thracia migrare coactus est: tota denique Ecclesia Arianorum dolis, & violentia turbata erat.

17. Non tamen diu Ariani inter se consenserunt; sed, quod iis usuvenire solet, qui a veritate aberrantes non habent, ubi certo pedem figant, in varias

6. num. 3. communem opinionem de num. 318. Patrum Nicænorum labefactare utitur contra testimonium S. Hilarii in Lib. adv. Constantium n. 27. Nisi forte alii intelligantur Episcopi toto orbe dispersi, qui Nicænæ Synodi definitioni subscripserunt: de quibus videri potest Franc. D. Bencinius Dissert. I. *de litteris enciclycis* §. 13. Beda quoque, & Gratianus erraruut, scribentes, hanc Synodum fuisse celebratam sub Julio Rom. Pontifice; unde Correctores Romani ad Can. 9. dist. 16. *Decreto* Gratiani hanc notam apposuerunt: *Certum est, Synodum Nicænam I. celebratam esse tempore Sylvestri. Sed in illa temporum obscuritate mirandum non est, Bedam, & alios errasse.*

(a) Vid. Socrates Lib. I. *Hist. Eccl.* c. 38., Theodoretus Lib. I. *Hist. Eccl.* c. 14., Sozomenus Lib. II. *Hist. Eccl.* c. 30. & præ omnibus S. Athanasius in sua I. *Oratione contra Arianos*, ex quibus omnibus constat, errasse S. Epiphanium, dum in *Hæresi* LXIX. n. 10. videtur mortem Arii ante Concilium Nicænum ponere.

(b) S. Hilarius ita Constantium Imp. alloquitur in Lib. adv. ipsum n. 23. *Accidit tibi, quod imperitis ædificatoribus, quibus sua semper displicent, accidere solet, ut semper destruas, quod semper ædifices.*

rias sectas brevi divisi sunt. Primus omnium Photinus natione Galata, Sirmii Episcopus, (quæ præcipua tunc erat Illyrii civitas) non solum Jesum Christum esse verum Deum, Patrique æterno consubstantialem una cum Ario negabat, sed antequam Sabellii, Paulique Samosateni hæresim suscitans, Verbum nonnisi Dei attributum esse, impie dogmatizabat, addebatque cum Ebionitis, Christum fuisse purum hominem, qui antequam a Maria conciperetur, nullibi extiterit. Photinus in variis Synodis non minus ab Eusebianis, quam a Catholicis damnatus est, & Episcopali dignitate privatus; sed propter populi factiones non potuit ante an. 351. a sua Sede expelli (*a*). Ejus errores postea renovavit Bonosus Episcopus Sardicensis in Macedonia, a Concilio Capuensi an. 389. condemnatus.

18. Sed ulterius Ariani in duas alias classes abierunt. Quidam purum Arianismum profitentes cum Aetio, qui *atheus* cognominatus est, atque Eunomio Episcopo Cysiceno (*b*), Filium Patri esse sola actione, & voluntate similem, essentia vero prorsus dissimilem blasphemabant; & isti *Anomœi*, idest *dissimiles*, dicti sunt (c). Hujus sectæ erent inter alios Eudoxius Germaniciæ, Euzojus Antiochiæ, Uranius Tyri, Valens Mursiæ, & Ursacius Singidonis Episcopi; hi tamen duo postremi cothurno versatiliores temporum circumstantiis suam fidem accommodare noverant. Ab his condita fuit secunda formula Sirmiensis, quæ a Socrate Lib. II. *Hist. Eccl.* c. 25. & a Sozomeno Lib. IV. cap. 5. refertur; & apud S. Hilarium in Lib. *de Synodis* habet præfixum titulum: *Exemplum blasphemiæ apud Sirmium per Osium, & Potamium conscriptæ*. Nempe in illa Filius dicebatur, *Patri per omnia dissimilis*.

19. Alii vero a rigido hoc Arianismo declinantes, Filium quidem Patri ὁμοούσιον *consubstantialem* dici posse, negabant, volebant tamen, eum esse ὁμοιούσιον, seu *similem in substantia*; hique Semi-Ariani dicti sunt (*d*). Horum duplex genus iterum distingui solet. Quidam a sola voce ὁμοούσιον abhorrebant, de vera Filii divinitate cum Catholicis recte sentientes. Alii vero simul cum voce catholicum dogma respuebant. Priorum duces erant Georgius Laodicenus, & Marcellus Ancyranus (*e*), qui etiam in Concilio Ancyrano an. 358. Anomæos condemnarunt, & Hilario in libro *de Synodis*, nec non Athanasio in libro item *de Synodis* Catholici visi sunt. His accensentur etiam Cyrillus Jerosolymitanus, & Melitius Antiochenus, qui Sanctorum cultu fruuntur (*f*).

20. Semi Arianorum factio depressis Anomæis semper magis exersvit; unde & Eudoxius Anomæorum antesignanus in exilium actus fuit, & omnia exemplaria secundæ formulæ Sirmiensis Constantii diligentissime conquisita, & igni tradita fuere, ut Socrates refert loco sup. cit. Atque res ita se habebat, usque ad an. 360. in quo Constantius diem extremum, non sine veneni suspicione, obiit.

21. Sub hoc Imperatore calamitosissimus fuit Ecclesiæ status, quem S. Hilarius graphice pingit in lib. *adv. Constantium*. Et tamen non desunt, qui putent, Constantium, quanquam erat vocis ὁμοούσιον acerrimus hostis, ortodoxe tamen de Filii divinitate sensisse. Hoc certe de eo judicium tulit Theodoretus Lib. III. *Hist. Eccl.* c. 4. inquiens: *etsi enim Constantius deceptus ab aliis, quibus se regendum permiserat, consubstantialis vocabulum non admisit, sensum tamen ejus sincere confessus est*.

CAPUT III.

De Ariana hæresi sub Imperatoribus Juliano, Joviano, Valente, Gratiano, ac Theodosio.

22. Constantio Julianus in imperio successit, qui ad idololatriam infeliciter deflectens, controversias inter Christianos maxime vigere cupiebat; unde etiam omnes Episcopos, tam Catbolicos, quam

(*a*) Baronius ed an. 357. nonnullis argumentis sibi visus est contra Socratem, & Sozomenum, probasse Photinum non fuisse exanctoratum, nisi an. 377.; sed falli cl. Annalium parentem indubiis momentis Petavius ostendit in *Animadversionibus* ad S. Epiphan. Baronii opinionem restituere conatus est P. Sirmondus duobus *Diatribis Sirmianis*; sed eam iterum labefectavit Petavius, edita dissertatione *de Photino, & Sirmiensi Synodo*. Petavio autem modo omnes docti consentiunt. Multo magis erravit eruditus P. Jo. Hernerius, dum in Diss. *de hæresi, & libris Nestorii* §. 5. ex Socrate Lib. II. *Hist. Eccl.* c. 25. scribit, Photinum constenter in confessione ὁμοουσίου perstitisse: Socrates nihil tale habet. Et præterea quis sibi persuadest, Photinum fuisse confessum, Verbum esse æterno Patri consubstantiale?

(*b*) Eunomii tamen quædam apologia invenitur in Tom. VIII. *Biblioth. græcæ* Jo. Alb. Fabricii P. 262.

(c) Ita S. Epiphanius *Hæresi* LXXIII. n. 13. seu potius, ut suspicatur Petavius, ille locus est intelligendus de Semi-Arianis, quorum Commenterium a n. 12. usque ad 23. S. Epiphanius exponit.

(*d*) Quanquam hoc nomen in Concilio Constantinop. Can. I. Macedonianis, qui Spiritus Sancti divinitatem negabant, proprie tributum est.

(*e*) De Mercelli Ancyrani orthodoxia vetus est controversia e recentioribus renoveta, de qua videri potest Bern. Montfauconii *Diatriba* Tom. II. *Collectionis Patrum Græcorum*.

(*f*) Eruditissimus Benedictinus Prudentius Maran in Diss. *Sur les Semiariens*, quam Parisiis edidit an. 1722. ut Concellitam suum August. Touttenum contra Trevoltienses defenderet, luculenter demonstravit, eos qui vulgo *Semi-Ariani* vocantur, a recta fide Nicæna minime alienos fuisse, quamvis vocem ὁμοούσιον usurpare recusarent. Idem ipsum rursus ostendit in alio suo Opere, quod inscripsit: *Divinitas D. N. J. C. manifesta in Scriptura, & traditione* Lib. IV. cap. 32.

quam Arianos suis sedibus restituit; quæ Principis dissimulatio rebus Catholicorum haud parum profuit. Multo autem magis Nicæna fides invaluit sub Joviano, qui an. 363. Juliano apostata in bello Persico occiso, Imperator acclamatus est. Is enim Ecclesias iis solis concedi jussit, qui Nicænam fidem profitebantur.

23. Sed magno Ecclesiæ detrimento post octo menses imperii Jovianus moritur, Nam Valentinianus, qui Joviano successit, Valentem fratrem in consortium imperii adscivit. Hic Arianam impietatem pene extinctam in Oriente exsuscitavit, Catholicorum plurimis occisis, aliis in exilium actis, aliis diversimode quindecim annorum spatio, quo regnavit, crudeliter afflictis; quare & ab Orosio Lib. VII. cap. 33. inter Ecclesiæ hostes recensetur. Vid. S. Basilius ep. 242. & 243.; alias 182. & 70. Justo autem Dei judicio an. 378. cum magna clade a Gothis percussus fugeret, sagitta transfossus, & in tugurio, quo se receperat, vivus a barbaris combustus est; ut ita crudelitatis suæ pœnas lueret, qua paulo antea octoginta Ecclesiasticos viros ad rogum injuste damnaverat.

24. Valente ita sublato ad Gratianum Valentiniani filium imperii summa delata est, sub quo Catholica fides triumphavit; multoque magis sub Theodosio magno, qui primum a Gratiano in consortium imperii adscitus fuit, & Orienti præfectus, post autem extincto Gratiano, solus feliciter, & diu imperavit.

25. Theodosium a simplici quodam sene Sacerdote contra Arianos fuisse valde incitatum narrat Sozomenus Lib. VII. *Hist. Eccl.* c. 7.; nempe cum imperatorem reverenter, ut par erat, salutasset, ejus filium, qui una cum Patre sedebat, haudquaquam simili honore prosecutus est. Qua de re vehementer indignatus Imperator senem contumeliose expelli jussit. Sed ille cum expelleretur, conversus ad Theodosium, *pari modo*, dixit, *Imperator, cœlestem quoque Patrem iis succensere existima, qui Filium ipsius dispari cultu venerantur, & genitore suo minorem eum appellare, non dubitant*. Quod dictum Imperator miratus Sacerdotem revocavit; & exinde cautior factus eos, qui aliter sentirent, non admisit (*a*).

CAPUT IV.

De præcipuis catholicæ fidei athletis contra Arianos.

26. Primus, qui contra Arium classicum insonuit, ut superius diximus num. 3., fuit Alexander Episcopus Alexandrinus. Huic non minus in bello contra Arianos, quam in Patriarchali sede successit S. Athanasius anno 326. Si omnia, quæ invictus iste fidei orthodoxæ propugnator contra Arianorum impietatem scripsit, & gessit, tum quæ ab ipsis perpessus est, recensere vellem, nullus plane esset dicendi finis. Multis calumniis appetitus ab ipso Constantino Magno exilio relegatus est. Constantino vita functo, suæ sedi restitutus, sed ab eadem iterum, atque iterum exturbatus, non semel quæsitus ad necem, modo in Thebaidis solitudinibus, modo in sicca cisterna, aliquando in paterno sepulcro delitescere coactus est. Ejus tamen innocentia tum a summo Pontifice Julio I. tum a Synodo Sardicensi probata, & vindicata fuit. Tandem anno 373. meritis plenus ad cœlum migravit, tot laborum, quos pro fide Catholica exantlavit, præmia consecutus.

27. Post S. Athanasium (*b*) inter Græcos pro defensione Sanctiss. Trinitatis maxime laborarunt S. Basilius Episcopus Cæsareæ in Cappadocia (*c*), ejus frater natu quidem minor, sed doctrina, & sanctitate æqualis, S. Gregorius Nyssenus (*d*) tum alter Gregorius, scilicet Nazianzenus, græcorum Theologorum facile princeps (*e*). Quibus addi possunt S. Cyrillus Alexandrinus in *Thesauro*, & *in septem dialogis de sancta Trinitate*, ac S. Epiphanius *Hæresibus* LXIX. & LXXIII.

28. In Ecclesia autem Occidentali plurimi fuere

(*a*) Nicephorus lib. XII. cap. 9. hunc senem dicit fuisse Amphilochium Iconiensem Episcopum. Observat tamen Henr. Valesius, verba Sozomeni Amphilochio convenire non posse. Idem Sozomenus lib. VII. *Hist. Eccl.* cap. 4. refert legem a Theodosio latam his verbis: *Velle se, ut omnes subditi sui eam religionem sequerentur, quam Petrus Apostolorum princeps Romanis ab initio tradidisset, & quam eo tempore Damasus Roman. Urbis Episc. ac Petrus Alexandrinus servarent; utque eorum duntaxat Ecclesia, qui divinam Trinitatem æquali honore colerent, catholicæ nominarentur; qui vero aliter sentirent, hæretici nominarentur, infamesque essent, atque scirent supplicio afficiendos*. Quam legem imperator ipse Constantinopolim veniens executioni mandavit, Demophilo cum Arianis expulso, Ecclesiisque traditis Sanct. Gregorio Nazianzeno, qui tunc Constantinopolitanum Episcopatum obtinebat.

(*b*) Ejus vitam absolutissimam dedit Gottefridus Hermant duobus volum. in 4. anno 1671., quæ sæpius recusa fuit. Videri etiam possunt Tillemontius Tomo VIII., P. Rem. Ceillier Tom. V., Papebrockius ad diem 2. Maji, & ejusdem vita præfixa volum. I. luculentæ ipsius Operum editioni, curatæ a P. Bern. Montfauconio anno 1698., tum etiam alterius editionis Patavinæ anni 1777.

(*c*) S. Basilius Eunomii confutandi provinciam assumsit, cujus propterea habemus quinque libros adversus Eunomium.

(*d*) Cum Eunomius apologiam suam edidisset adv. S. Basilium, S. Gregorius Nyssenus fratri jam defuncto in pugna successit, editis *Orationibus*, seu Libris XIII. contra Eunomium.

(*e*) S. Gregorius Nazianzenus cognomento *Theologus* contra Eunomianos, & Macedonianos disputavit potissimum in V. *Orationibus de Theologia*. Bossuetus in opere *Defense de la tradition, & des saints Peres* Lib. II. cap. 1. & seq. Richardum Simonium pro ineritis castigat, quod tres istos Sanctos Patres, tria Ecclesiæ græcæ lumina in disputationibus contra Arianos parvi fecerit.

re intrepidi & doctissimi Augustissimæ Trinitatis defensores; ac inter alios primum veluti locum sibi vindicat S. Hilarius Pictaviensis Episcopus in Gallia, qui multis editis libris Arianos acriter exagitavit; eorum propterea violentia a sede sua pulsus in Phrygia diu errare coactus fuit, donec tandem an. 360. Galliæ restitutus Ecclesiam Pictaviensem in pace usque ad obitum novennio administravit (a). Huic adjungendus est S. Phæbadius pariter Gallus Aginensis Episcopus (b).

29. In Italia Verbi divinitatem contra Arianos magna eruditionis copia, & doctrinæ profunditate asseruerunt S. Ambrosius Mediolanensis Antistes (c), & S. Zeno Episcopus Veronensis (d).

30. In Africa autem, ubi regnantibus Wandalis diutius perduravit Ariana lues, pro catholica Trinitatis fide vindicanda maxime decertarunt S. Augustinus (e), S. Fulgentius Ruspensis Episcopus (f), Vigilius Tapsensis (g), & ante hos omnes Marius Victorinus Afer (h).

31. Claruit etiam in bello contra Arianos Lucifer Calaritanus (cujus plura opera Tomo IX. Bibliothecæ Parisiensis Sanct. Patrum inserta sunt), quanquam ipse postea conflato schismate a Catholicis se segregavit. Eum secutus est inter alios paucos Faustinus Presbyter, (cujus liber contra Arianos habetur in Tomo IV. Biblioth. Sanct. Patrum Paris.) Atque horum, aliorumque fidei orthodoxæ defensorum opera, Ariana impietas adeo compressa est, ut versus finem sæculi IV. a toto Romano imperio fere exulaverit: solum apud Wandalos, & Gothos refugium inveniens. In Hispania etiam perduravit usque ad Regem Reccaredum, de cujus conversione vid. Marianna Lib. V. *Hist. Hisp.* c. 14. Atque ita pestifera hæc hæresis prorsus extincta erat.

32. Verumtamen sæculo XVI. Avorum nostrorum memoria una cum pseudo-reformatione Ecclesiæ iterum Arianismus prodiit a Socinianis suscitatus, de quibus in prima Dissert. dictum est. Sociniani enim omnes simul errores Sabellii, Arii, Photini, aliarumque hujusmodi pestium, quasi in una sentina coadunarunt, & cum Sabellio docent, nonnisi unam esse divinam personam; cum Ario negant veram, consubstantialemque Verbi divinitatem; ac demum cum Photino Jesum Christum Servatorem nostrum purum hominem fuisse, blasphemant. Socinianorum secta multos olim proselytos fecit, nec paucos etiam nostra ætate sectatores habet, ad eamque plures ex Protestantibus quotidie deficiunt (i).

CA-

(a) Scripsit S. Hilarius duodecim libros *de Trinitate*, tum librum *de Synodis*, seu *de fide Orientalium*, una cum ejus apologia; & tres libros adversus Constantinum Imperatorem, quorum tertius invectivas continet admodum acres. Edidit quoque librum contra Auxentium Episcopum Mediolanensem Arianum, circa an. 365. Habemus etiam ejusdem S. Hilarii opus, quod *Fragmentorum* dicitur. Sed de ejus interpolatione dicetur inferius.

(b) S. Phæbadius dictus est etiam Phægadius, Sebadius, & Phætadius. Ejus liber *De Trinitate* a Petro Pithœo Parisiis editus est anno 1586. iterumque prodiit Francofurti anno 1623. in 8. a Gaspare Barthio illustratus.

(c) Inter alia hujus S. Doctoris scripta in hac causa eminent Libri V. *de Fide ad Gratianum*, qui aliquando citati sunt cum titulo *de Trinitate*, & quos omnibus operibus, quæ contra Arianos prodierunt, præferendos censet Lud. Ellies Dupin *Nov. Biblioth. Scriptor. Ecclesiast.* Tomo II. pag. 2.

(d) De hoc S. Patre consulendi sunt duo eruditissimi fratres Petrus, & Hieronymus Ballerinii in dissertationibus præmissis editioni ipsius Operum an. 1739.

(e) S. Augustini scripta contra Arianos continentur Tomo VIII. edit. Maurinor., suntque *Liber unus contra Sermonem Arianorum*, *Collatio cum Maximino Arianorum Episcopo*, *Libri duo contra eumdem Maximinum*, ac *Libri XV. de Trinitate*.

(f) S. Fulgentius scripsit *Librum contra Sermonem Fastidiosi Monachi*, qui ad Ariana castra defecerat; & alterum *Librum contra decem objectiones Arianorum*. Arianam hæresim etiam refellit in *Libro de fide orthodoxa ad Donatum*.

(g) Ejus opera Divioni edidit Petrus Franc. Chiffletius anno 1665. Huic Auctori multa tribuuntur opuscula alieno nomine vulgata, de quibus consuli potest laud. Chiffletius in *Vindiciis operum Vigilii Tapsensis*, & præter eum etiam Sirmondus in notis ad Theodulphum *de Spiritu Sancto*, ac Quesnellus *Dissert.* XVI. in Opera S. Leonis.

(h) Hic floruit sub Constantio, & obiit ante annum 378. Ejus opera continentur in IV. Tomo *Biblioth. Sanct. Patrum Parisiensis*. De Ario autem, ejusque hæresi præter Natalem Alexandrum Sæc. IV. cap. 3. art. 3., Fleurium, Orsium, aliosque Historicos, videri possunt Tillemontius *Hist. de l' Arianisme*, Godefridus Hermant in *vita S. Athanasii*, Jo. Hermant *Histoire des Heresies*, & Cajetani Travasa *Vita di Ario eresiarca*.

(i) Samuel Clarckius in suo libro: *La Doctrine de l' Ecriture touchant la Trinité* Symbolum Nicænum cum Arianorum blasphemiis conciliare primum conatus est; post autem id factu tam impossibile videns, quam tenebras simul cum luce componere, Nicænum Symbolum aperte rejecit. Sed Clarckium fuisse demum ad sanitatem reversum, convictum in disputatione habita cum Havvarden Doctore Duacensi, narrat auctor egregii libri, cui titulus: *L' oracle des nouveaux Philosophes, pour servir de suite & à l' eclaircissement aux Œuvres de M. Voltaire* IV. Conversat. p. 141. Nimis longum esset omnes recensere, qui in Anglia Socinianis lue infecti fuera; inter quos majores turbas excitavit Williamus Wistonus Mathesis in Cambridgensi Universitate professor, contendens, Arianorum doctrinam eamdem esse cum doctrina Jesu Christi, primorumque Fidelium. Ita in suo *Christianismo primitivo*; cujus causa fuit ab Ecclesia Anglicana proscriptus, & expulsus; imo etiam suo docendi munere privatus. Contra illum autem, aliosque Arianæ lue infectos integra quasi Scriptorum phalanx pro defensione Christi divinitatis prodiit; imo expensis nobilis feminæ Myer contra Socinianos publica Lectio institu-

CAPUT V.

Refellitur haeresis Ariana ex Novo Testamento, & probatur, Jesum Christum Filium Dei verum esse Deum, Patrique consubstantialem.

53. Sunt, qui optarent quaestionem de vera Filii, seu Verbi divinitate ab alia secerni, quae instituitur de Jesu Christi divinitate, quia posset aliquis asserta vera Filii Dei, seu Verbi divinitate, negare hoc Verbum carnem assumpsisse, & esse Jesum Christum, quod Nestorius fecisse dicitur, qui orthodoxe de sancta Trinitate sentiens Christum purum hominem fuisse blasphemavit.

54. Rursus aliqui primo confutandam existimant haeresim Ebionis, Cerinthi, Pauli Samosateni, & Photini, qui Jesum Christum instar aliorum hominum nullatenus extitisse contendunt, antequam in utero Mariae conciperetur. Quam horrendam blasphemiam non pauci inter Socinianos adoptarunt; licet Christum adorandum esse, & quidem eo ipso cultu, quem Deo Patri debemus, una cum Socino in *Catechesi* omnino inconsequenter doceant, contra Franciscum Davidis, Christianum Franchen, aliosque, qui absurde quidem, & impie, sed saltem magis consequenter, ut veram divinitatem, ita etiam divinum cultum Jesu Christo denegant. Deinde aliam haeresim Arianorum primae quidem affinem, paulo tamen diversam; eorum scilicet, qui Verbum, seu Filium Dei ante Mariam, imo ante omnem aliam creaturam extitisse fatebantur, verum tamen, ac consubstantialem ipsius divinitatem agnoscere nunquam voluerunt. Imo S. August. L. VI. *de Trinit.* cap. 1. nobis auctor est, quosdam posteriores Arianos non repugnasse confiteri, Verbum a tota aeternitate una cum Patre fuisse, non tamen ut consubstantialem Filium, sed ut aeternam creaturam. Veruntamen omnes isti errores simul convellentur, si una cum Synodo Nicaena demonstreinus luculentissimis sacrae Scripturae testimoniis, Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum esse, Patrique aeterno consubstantialem.

55. Ne vero infinita propemodum divinorum testimoniorum seges aliquam confusionem pariat, ea ad quinque veluti suprema fastigia una cum S. Hilario Lib. VII. *de Trinit.* revocabimus. *Deum*, inquit S. Pater, *Dominum nostrum Jesum Christum his modis nocimus, nomine; nativitate, natura, potestate, professione*. Ecquis enim sanae mentis eum verum Deum, Patrique aeterno consubstantialem esse non credat, cujus divinitas his notis, & characteribus insignita est?

56. Prob. itaque primo ex *nomine Dei*, quo saepissime in sacris litteris & Verbum, Christum Dominum appellatum fuisse reperimus. S. Joannes ita suum Evangelium exorditur: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Cap. autem XX. 28. ejusdem Evangelii Thomas Apostolus, qui antea erat incredulus, contrectatis Jesu Christi redivivi vulneribus, dixit ei: *Dominus meus, & Deus meus*. Idem S. Evangelista in sua prima epist. cap. III. 46. Jesum Christum non solum *Deum*, sed *verum Deum* appellat, dicens: *Scimus, quoniam Filius Dei venit .... Hic est verus Deus & vita aeterna*. Et, ut multa alia similia praeteream, S. Paulus ad Rom. IX. 5. de Christo inquit: *qui est super omnia Deus benedictus in saecula*. Quis ergo inpudenter Jesum Christum Dominum nostrum verum Deum esse inficietur, qui tam saepe, & sine ulla prorsus restrictione *Deus* appellatur?

57. Prob. secundo *ex nativitate*. Pluribus in locis Jesus Christus verus Dei Patris Filius nominatur; atqui verus Dei Filius esse non potest, nisi eidem aeterno Patri consubstantialis sit, ergo &c. Major prob. Joannis I. 18. dicitur: *Deum nemo vidit unquam. Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*: ubi Christus, de quo sermo habetur, non solum *Filius Dei* dicitur, sed *Filius unigenitus, & qui est in sinu Patris*. Ibidem vers. 34. ita Joannes Baptista testatur: *Ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei*. Ac demum idem sacer Scriptor cap. XX. vers. ult. omnia, quae de Christo Jesu antea conscripserat, his verbis concludit: *Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis aeternam*. Quibus declarat, ut S. Hilarius Lib. VI. *de Trinit.* observat, se totum suum Evangelium eo fine exarasse, ut ostenderet, Christum esse Filium Dei, & non solum adoptione, & gratia, quia ad hoc satis fuisset eum appellare *Christum*, seu gratia Dei *unctum*, sed etiam natura, & substantia.

58. Addi potest & illud testimonium aeterni Patris, quod non semel supra Christum intonuit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Matth. III., & XVII., Marci I., & Lucae III.; tum celebris illa S. Petri confessio Matth. XVI., *Tu es Christus, Filius Dei vivi*: cui Christus respondit: *beatus es Simon Bar-Jona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in coelis*. Et sexcenta alia loca similia sunt, quae Christum esse verum Fi-

ta fuit, instar illius, quam Rob. Boyle contra atheismum constituit. Inter eos, qui Trinitatis mysterium in Anglia strenue tutati sunt, primum sine controversia locum sibi vindicat Georgius Bullus in *Defensione fidei Nicaenae*; cui respondit Lucas Mellierus, seu Samuel Crellius, Jaxnnis nepos, in opere, cui titulus: *Fides primorum Christianorum .... defensioni fidei Nicaenae Georgii Bulli opposita*. Contra Mellierum vero pugnavit Jo. Ernestus Grabe appositis quibusdam annotatis novae Operum Georgii Bulli editioni Londini 1703. in folio.

Filium Dei, proprium, & naturalem, aperte demonstrant.

39. Prob. tertio *ex natura*, quam sibi eamdem esse eum Patre apertissime Christus docuit iis verbis apud Joannem X. 30.: *Ego, & Pater unum sumus;* quibus, ut S. Augustinus Serm. LVI. *de verbis Domini* observat, nihil expressius desiderari potest ad errorem Arianorum, æque ac Sabellianorum, convellendum. ,, Quod ait, *u-*,, *num*, audiant Ariani; quod ait, *sumus*, au-,, diant Sabelliani; & nec illi æqualem, nec illi ,, alterum negando sint vani. Rursus Joann. XIV. 9. *Qui videt me*, inquit Christus, *videt & Patrem,... non credits, quia ego in Patre, & Pater in me est?* scilicet propter eamdem naturam; & cap. XVII. 10. dicit Christus æterno Patri: *Mea omnia tua sunt, & tua mea sunt.*

40. Prob. quarto *ex potestate*, quæ æqualis imo eadem plane illi cum suo Patre est. Joann. V. 15. *Pater meus*, inquit Christus, *usque modo operatur, & ego operor;* quibus verbis significari æqualem Christi Domini cum Patre potestatem, vel ipsi Judæi intellexerunt; unde vehementer commoti, eum veluti blasphemum interficere volebant, *quia Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*. Nec tamen Christus sua verba retractavit, aut emollivit, sed magis magisque confirmavit subdens: *Quæcumque ille* (Pater) *fecerit, hæc & Filius similiter facit.* Ac demum concludit: *ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.*

41. Prob. ultimo *ex professione*. Et primo quid ea professione solemnius, qua ex regula ab ipso Servatore nostro constituta Matth. XXVIII. *baptizamur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti?* Ubi nullum prorsus vel minimum discrimen inter Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum indicatur. Ulterius, quemadmodum in Patrem, ita credere jubemur in Filium. Joann. XIV. 1. ita præcipit Christus: *Creditis in Deum, & in me credite;* & cap. III. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

42. Corollarium. Singula, quæ attulimus, sacræ Scripturæ testimonia, etiam sejunctim considerata, ad comprobandam veram, consubstantialemque Verbi divinitatem satis haberent ponderis, quanto magis conjuncta? Quis enim suspicetur; in re adeo gravi, tam sæpe, & tam variis modis voluisse sacros Scriptores semper minus proprie, & metaphorice Christum nobis ut Deum exhibere? Sane nec Judæi, nec maxima Christianorum pars hæc metaphorice dicta esse intellexerunt, solique sunt Ariani, & Sociniani, qui ubique metaphoras, & allegorias vident.

43. Ob. primo adv. primam probationem. Verba illa: *Deus erat Verbum* ita separanda sunt: *Verbum erat apud Deum, & Deus erat;* deinde interpunctione posita pergendum: *Verbum hoc erat in principio apud Deum* (a). Vel legendum potius: *Dei erat Verbum;* antiqui enim non pauci sancti Patres Christum appellant *Dei Verbum* (b). Præterea verba Thomæ Apostoli: *Dominus meus, & Deus meus*, vel ita dividenda sunt, ut priora *Dominus meus* ad Christum pertineant, posteriora vero ad Patrem. Vel si etiam posteriora ad Christum pertinent, nihil efficitur; neque enim Thomas absolute Christum appellavit *Deum*, sed *Deum suum: Deus meus;* quod pronomen *meus*, ait Socinus, impedit, ne verum Deum ibi significatum credamus. Demum in testimonio ex cap. IX. epist. ad Romanos aut vox illa *Deus* irreptitia est, aut non significat veram divinitatem. Primum suspicati sunt Erasmus, & Grotius; tum quod sancti Cyprianus (c), Hilarius, & Chrysostomus videntur tantum legisse: *qui est benedictus in sæcula;* non autem, ut habent nostra Biblia vulgata: *qui est super omnia Deus benedictus in sæcula;* tum etiam quia neque in versione Syriaca reperitur, neque Paulus alibi Christum solet appellare *Deum*. Præterea cum Paulus non vocet Christum absolute *Deum*, sed *Deum supra omnia*, non verum Deum, sed cum restrictione aliqua Deum improprie designari videtur. Addi potest, attento græco codice legendum esse ὧν ὁ ἐπὶ πάντων Θεὸς, *quorum Deus super omnia*.

44. Resp. Socinianos his nugis causæ suæ infirmitatem satis manifestam facere. Nam ad primam difficultatem quod attinet, interpunctio illa, quam Sociniani sibi fingunt, non solum commentitia est, utpote quæ nullum habet neque in probatis codicibus, neque in sanctis Patribus fundamentum, sed est etiam absurda. Quid enim sancto Evangelistæ necesse erat dicere: *& Deus erat*, postquam immediate prius dixerat: *Verbum erat apud Deum?* Quasi potuisse Verbum esse apud Deum, si Deus non erat.

45. Temeraria vero est ea immutatio: *& Dei e-*

(a) In autographis Evangelistarum, aut etiam in antiquis Codicibus nullæ erant interpunctiones; eas autem, quæ modo habentur, fuisse introductas a S. Hieronymo, videtur indicare Cassiodorus *de Instit. divin. literarum c. 12.* inquiens: *Meminisse autem debemus, memoratum Hieron. omnem translationem suam in auctoritate divina, sicut ipse testatur, propter simplicitatem fratrum, colis, & commatibus ordinasse; ut qui distinctionem secularium litterarum comprehendere minime potuerunt, hoc remedio suffulti inculpabiliter pronunciarent sacratissimas lectiones.*

(b) Nuperus quidam scriptor qui sub larvato nomine *Artemonii* duo edidit volumina, probare nisus est, ita legendum esse. Adi-sis Prudentium Maron, in opere, cui titulus *Divinitas D. N. J. C. in scripturis demonstrata* P. II. Lib. I. cap. 8.

(c) Ut apparet ex editione Spirensi, & prima Parisiensi facta a Ramboldo in 4.

erat Verbum, cujus nec vola est, nec vestigium apud veteres. Imo omnes antiqui codices, & Ecclesiæ Patres hunc textum semper ita legerunt: & *Deus erat Verbum*. Ex quo autem alicubi sancti Patres Christum appellent *Dei Verbum*, ridiculum plane est, colligere, eos hunc locum ita legisse: *& Dei erat Verbum*, ut larvatus Artemonius colligit; vere enim Christus est filius, & Verbum Dei, & simul etiam Deus.

46. Ad secundam difficultatem dico, non nugari solum Socinianos, sed aperta fronte cum sacro textu pugnare, dum illorum S. Thomæ verborum *Dominus meus, & Deus meus* partem ad Christum, & partem ad Deum Patrem referunt; omnia enim illa verba ad Christum spectare, aperte docet sacer Evangelista dicens: *respondit Thomas, & dixit ei* (nempe Christo): *Dominus meus, & Deus meus*, quasi diceret: nunc plane cognosco, te esse Dominum meum, & Deum meum, quia stupendo resurrectionis tuæ miraculo doctrinam de tua divinitate confirmasti.

47. Eadem fere ratione eorum interpretatio excluditur qui fingunt, hanc fuisse S. Thomæ exclamationem: o *Domine Deus, quid video!* Neque enim dicitur Thomas exclamasse, sed respondisse Christo. Ulterius nullum est ibi exclamationis indicium; non enim habetur græce ὦ in vocativo casu, sed ὁ in nominativo.

48. Perridiculus est autem Socinus, dum addit, non veram divinitatem ibi significari, quia Thomas dixit: *Deus meus*. Quod si admitteretur, nec Pater verus Deus esset, cui David tam sæpe in suis Psalmis repetit: *Deus meus*; & cui Jesus Christus in cruce propter nos moriens dixit: *Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me?* Matth. XXVI. 45.

49. Ad tertiam resp., Erasmum, & Grotium vocem *Deus* a testimonio Paulino expungentes, a vitiosis quibusdam S. Cypriani, aliorumque codicibus fortasse deceptos fuisse. Ceterum de hujus textus integritate, & vetustissimorum codicum consensus, & sanct. Patrum auctoritas nos certos facit (*a*). Legitur enim apud S. Irenæum Lib. III. cap. 18., apud Tertullianum contra Praxeam cap. 13. & 15., aliosque quos laudat Petavius Lib. II. *de Trinit.* cap. 9. n. 2. Falsum est etiam, hanc vocem *Deus* in versione Syriaca desiderari.

50. Qui demum negant, Christum a Paulo Apostolo fuisse vocatum *Deum*, ea non legerunt, quæ ad Titum scribit cap. II. 11.: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri*; & vers. 13.: *expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi*; ubi eum non solum Deum, sed *magnum Deum* vocat; ac demum cap. III. 4.: *benignitas, & humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei*.

51. Absurdum vero est, contendere *Dei* nomen fuisse a S. Paulo in laud. epistola ad Romanos loco minus proprie usurpatum, quia Jesum Christum nominat Deum *super omnia*; nam hæc locutio potius demonstrat, S. Paulum loqui de vera divinitate, quæ sola est *super omnia*. Et certe hoc eodem charactere S. Paulus designat veram æterni Patris divinitatem Ephes. IV. 6., ubi inquit: *Unus Deus, & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia*.

52. Artemonii autem temeritas, qui verba S. Scripturæ immutare non veretur, legens: *quorum Deus &c.*, loco: *qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*, non potest satis pro meritis castigari; neque enim græce habetur ὧν ὁ ἐπὶ πάντων Θεὸς. &c., *quorum super omnia Deus &c.*, sed ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεός, *qui est super omnia Deus*.

53. Dices. Posset ita textus ille coordinari: *qui est super omnia Deus* (nempe Pater) *sit benedictus in sæcula*.

54. Resp., primo hanc lectionem græco textui originali repugnare, qui non habet: *sit benedictus*, sed *qui est benedictus* ὁ εὐλογητός: secundo, repugnare etiam contextui, qui nulla posita interpunctione sic habet: *ex quibus* (Patribus) *est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus &c.*: repugnare demum antiquis Ecclesiæ Patribus, qui sinceram, germanamque lectionem, cujusmodi est in nostro Vulgato interprete, exhibent.

55. Inst., secundo. David in Psalmo CIX. inquiens: *Dixit Dominus Domino meo*, aliquod discrimen significat inter supremam dignitatem Patris, quem vocat יְהוֹת, eo scilicet nomine tetragrammato, quod soli Deo convenit, & inferiorem dignitatem Filii, quem appellat אדבי *adoni*, scilicet herum; quem tamen locum, tanquam præcipuum ad suam divinitatem confirmandam attulit Christus Matth. XXII. 23.

56. Resp., nomen אדני fuisse a Davide usurpatum ad significandum *Dominum Dominantium*, seu ipsum Deum verum, ut ex contextu facile appareat; quomodo enim diceretur, sedere a dextris Dei Patris, nisi illi in dignitate esset æqualis? Neque vero insolens est in sacris litteris hoc nomen אדני adhiberi ad verum Deum significandum. S. Hieronymus decem plane enumerat nomina, quibus verus Deus in sacris litteris insigniri solet (*b*). Sed quid multa? Duobus illis nominibus: *dixit Dominus Domino meo* eumdem prorsus Deum summum significari, apertissime Chri-

(*a*) Gnolartus in editinne Genevensi S. Cypriani anno 1593. vocem *Deus* retinuit, motus auctoritate duorum Manuscript., aliorumque, quibus usi sunt Manutius, & Murellius &c., apud Sainjore *Biblioth. crit.* tomo II. cap. 12., qui addit, a Richardo Simonio (qui idem erat, ac Sainjore) in *Hist. Crit. N. T.* demonstratum fuisse, retinendam esse in testimonio Paulino vocem *Deus*.

(*b*) Hæc sunt decem nomina Dei a S. Hieronymo recensita epist. 25. alias 136. ad Marcellam. Nempe pri-

Christus Dominus declaravit Matth. XXII. 43.; ubi hunc Psalmi versiculum allegavit ex græca versione LXX. Interpretum, quæ sic habet: εἶπεν ὁ Κύριος τῷ Κυρίῳ μου: *dixit Dominus Domino meo*; ubi sine ullo prorsus discrimine idem nomen Patri, Filioque tribuitur.

57. Ob. secundo contra eamdem primam probationem. Hoc nomen *Deus* alibi in sacris litteris etiam puris hominibus tribuitur, ut *Exodi* VII. Moyses appellatus est *Deus*, & Ps. LXXXI. Judices appellantur *Dii*. Præterea minus proprie Verbo nomen Dei tribui, declarat S. Joannes omittens articulum emphaticum ὁ, quo tamen Scriptura uti solet, cum verum Deum nominat ὁ Θεός. Demum Verbum, seu λόγος, ut Græcus textus habet, sumi potest non pro persona divina, sed pro attributo Dei, seu pro ipsius ratione, per quam facta sunt omnia.

58. Resp. ad primum cum S. Hilario Lib. VII. *de Trinit.*, ex adjunctis facile apparere, quo sensu quidam homines fuerint Dei nomine insigniti, nempe metaphorica significatione; ut ex. gr. Moyses dicitur *Deus*, non absolute, sed *Deus Pharaonis* Exodi VII. 1.; & insuper dicitur Deus, non natura, sed constitutione: *Constitui te Deum Pharaonis*. Judices dicuntur *Dii*, propter excellentiam ministerii; sed postea additur: *Vos autem, sicut homines moriemini*. Christus contra se dicit *Deum* sine ulla restrictione, ut nullum sit ipsum inter, Patremque discrimen. Neque cum videat, Judæos propterea commoveri, hanc *Dei* appellationem ulla explicatione, aut restrictione demitigat. Se ab aliis appellari Deum audit, nec eos reprehendit, immo laudat, tanquam ab æterno suo Patre edoctos. Evangelistæ, & alii Scriptores sacri ubique ejus divinitatem deprædicant, & præter nomen omnes veræ divinitatis characteres ipsi tribuunt, nec verentur, aut caveut, ne id in propria, veraque significatione accipiatur.

59. Addi etiam potest, in novo testamento nullibi inveniri nomen Dei tributum creaturis (*a*); imo Herodem fuisse ab Angelo percussum *Actor.* XII. quia sibi a populo acclamari permisit, sicut Deo: *Dei voces, & non hominis* (*b*).

60. Ad secundum observavit S. Jo. Chrysostomus græcæ linguæ certe peritissimus, Hom. II. in Joannem, etiam Patrem æternum nonnunquam sine articulo emphatico ὁ Deum appellatum Roman. I. 7. ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς ἡμῶν *a Deo Patre nostro*. Ulterius etiam Christo Domino nomen Dei tributum aliquando legimus cum articulo emphatico P. Joann. XX. 28. dicit Thomas Jesu Christo: *Dominus meus, & Deus meus*; græce ὁ Κύριός μου, καὶ ὁ Θεός μου (*c*).

61. Ad tertium dico; λόγος apud S. Joannem esse rationem Dei *hypostatice* subsistentem, & a Patre genitam; alioquin supervacaneum foret, imo plane ridiculum, ut Evangelista tam magna asseveratione nos doceret, Verbum *in principio fuisse, fuisse apud Deum, fuisse Deum*; quis enim adeo plumbeus erat, ut ignoraret, Dei rationem apud Deum a tota æternitate fuisse? Præterea cum idem S. Evangelista subdit, hoc *Verbum venisse in mundum, carnem factum fuisse, habitasse in nobis, & visum fuisse, ut unigenitum a Patre*, quis dubitet, Verbum esse personam a Patre distinctam?

62. Ob. tertio contra secundam probat. Etiam Adam Lucæ III. vers. ult. vocatur *filius Dei*; & Roman. VIII. 14. dicitur: *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*; quod alibi sæpe repetitur; nec tamen quisquam concludet, aut Adam, aut homines justos esse Deos. Præterea Joann. I. 14. Verbum non dicitur verus filius; sed *quasi filius* æterni Patris: *vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti a Patre*. Vox autem illa *quasi* diminutiva est; ut cum dicitur Lucæ III. 23. de Jesu: *erat incipiens, quasi annorum triginta*.

63. Resp. Adam non fuisse dictum filium Dei, sed *qui fuit Dei*, quia ipsius Dei manibus, ut ita dicam, fuit de terra plasmatus; justos autem filios Dei esse adoptione tantum, & gratia; sed Jesus Christus Servator noster filius Dei est natura, & substantia; unde modo appellatur *a Deo genitus* Hebr. I. 5.; modo *unigenitus, qui est in sinu Patris* Joann. I. 8.; modo *Filius dilectus* Matth. III. 17.; modo filius *Dei vivi* Matth. XIV. 16.; quæ omnia declarant, Christum peculiarissima quadam ratione filium Dei esse; nempe non

mo אל *Fortis*; secundo אלסימך *Deus*; tertio אלוח *Deus*; quarto צבאח *Virtutum*; quinto עליון *Excelsus*; sexto אחיחאשראחת *Sum, qui sum*; septimo ארני *Dominus*; octavo יח *Dominus*; nono יחיח *Dominus*; decimo שדי *Omnipotens*. De divinis nominibus præcipue consulendus est Dionysius, vulgo Areopagita. Ex recentioribus autem Jos. Maiani in *Commentario Critico de Dei nomine juxta Hebræos* Lucæ 1767. in 4. Operæ autem dispendium faceret, qui Rabbinos legere instituerel, qui ex tribus versiculis cap. XIV. Exodi 19. 20. & 21. plane septuagintaduo Dei nomina commenti sunt, aut eos qui in hujusmodi Rabbinorum plusquam labyrintheis mæandris evolvendis insudarunt.

(*a*) Nam quod dicitur epist. 2. ad Corinth. IV. 4. *Deus hujus seculi &c.* a sanctis Irenæo, & Augustino ad verum Deum refertur, facta tamen horum *ἐν οἷς ὁ Deus excæcavit mentes infidelium hujus sæculi*. Excæcat autem Deus subtrahendo gratiam, non immittendo malitiam.

(*b*) Velut alter Salmoneus Jovis fulmine ictus, ut Virgilius cecinit *Eneid.* VI. 586.

Dum flammas Jovis, & sonitus imitatur olympi ....
Per Grajum populos, mediaque per Elidis urbem
Ibat ovans, Divinumque sibi poscebat honorem.

(*c*) Maldonatus dicit, articulum emphaticum, non fuisse appositum Joann. I. 1. quia ibi nomen *Deus* est prædicatum, non subjectum: *Deus erat Verbum*; quod multo prius observaverat etiam S. Thomas Lect. I. in hunc locum; imo nec Wolzogenius Socinianus repugnat.

adoptivum, sed naturalem; præcipue si hæc Filii appellatio cum aliis veræ divinitatis characteribus conjungatur, qui passim Christo tribuuntur. *Nullus sanctorum*, inquit S. August. Sermone CXXXIX. cap. 1., *ausus est dicere*, *quod ille unicus ait: ego & Pater unum sumus*.

64. Ad alterum resp. cum S. Jo. Chrysostomo Hom. II. in Joann., particulam illam *quasi* non sumendam *diminutive*; nam paulo post sine ulla prorsus restrictione Christus vocatur *unigenitus Dei*, *unigenitus Filius*, *qui est in sinu Patris*; sed *explicative*, & *pro confirmatione*, & *indubitata determinatione*; quod in sacris litteris non est insolens: ut cum *Numerorum XI.* 1. dicitur, *Ortum est murmur populi*, *quasi dolentium pro labore*. Nec simile est, quod ex Lucæ cap. III. opponitur; nam totus contextus declarat, ibi particulam *quasi* sumi diminutive. Vid. S. Thomas Lect. I. in hunc locum S. Joannis.

65. Inst. Christus dicitur filius Dei, non quia ex ipsius substantia sit genitus, sed aliis de causis, quæ nobis indigitant filietatem tantum adoptivam. Primo dicitur filius Dei ratione prodigiosæ ipsius conceptionis sine humano commercio; unde filius hominis dici proprie non poterat. Lucæ I. 35. ait Angelus Mariæ: *Spiritus sanctus superveniet in te*, *& virtus altissimi obumbrabit tibi: ideoque* (notetur hæc causalis) *& quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei*. Secundo Christus dictus est filius Dei ratione suæ sanctificationis, & missionis a Patre. Joann. X. 36.: *quem Pater*, inquit Christus ipse, *sanctificavit*, *& misit in mundum*, *vos dicitis*, *quia blasphemas*? *quia dixi*; *Filius Dei sum*? Tertio dicitur filius Dei, quia fuit a Deo Patre suscitatus a mortuis. Actor. XIII. 33. inquit Paulus: *Deus ... resuscitans Jesum*, *sicut & in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu*, *ego hodie genui te*. Simile quid habetur etiam Roman. I. 4., ubi de Jesu Christo inquit Apostolus: *qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri*. Demum dicitur filius Dei propter plenitudinem potestatis illi quasi hæreditate collatam. Hebr. I. 2. *Deus ... locutus est nobis in Filio*, *quem constituit hæredem universorum*. Addi potest & illud Apocal. V. 12.: *Dignus est agnus*, *qui occisus est*, *accipere virtutem*, *& divinitatem*. Istis certe, & similibus de causis Jesus Christus non appellaretur filius Dei, si alia esset hujus appellationis ratio multo sublimior, & major, nempe naturalis atque æterna generatio.

66. Resp., causas allegatas non pugnare, sed mirifice cohærere cum vera Domini nostri Jesu Christi, ac consubstantiali divinitate, quæ alibi tam sæpe in sacris litteris prædicatur. Et quidem primo illorum verborum Angeli Gabrielis ad Mariam Lucæ I. hic sensus est: ille puer, qui nascetur ex te, non erit simplex homo, utpote qui non ex viri cum fœmina commercio nasciturus est, ut homines nasci solent, sed erit Deus, nempe ipsum Verbum æterni Patris, quod caro fiet; & propter hypostaticam naturæ unionem cum divina vocabitur, seu reipsa erit filius Dei. Neque enim inusitatum est in sacris litteris, ut adhibeatur hoc verbum *vocabitur* loco *erit*. Isaiæ I. 26. *post hæc vocaberis civitas justi*, *urbs fidelis*; nempe *eris* civitas justi &c. Immo idem Angelus Gabriel loquens de Elisabeth cognata B. Mariæ Virginis inquit: *quæ vocatur sterilis*, nempe quæ est sterilis.

67. Et sane si ex eo solum Christus principaliter appellatur *filius Dei*, quia natus est sine patre humano, eodem, imo potiori jure Adam esset appellandus *filius Dei*, qui non solum sine patre, sed etiam sine matre sola Dei virtute factus est homo (*a*). Nec tamen proprie Adam filius Dei dictus est, aut dici potuit, quia non per generationem, sed per creationem a Deo factus fuit. Nec itaque Christus Dominus ratione prodigiosæ suæ conceptionis potuit appellari filius Dei peculiari modo, quia hac in parte Adam ipsi par, imo superior erat.

68. Ad secundum. Sanctificatio, de qua loquitur Christus Joann. X., non est *accidentalis*, ut in justis, sed *essentialis*; quam nempe a Patre una cum essentia accepit; unde etiam non dicit, *quem Deus sanctificavit*, sed *quem Pater sanctificavit*; ut ostenderet, se non ratione sanctificationis habuisse Deum Patrem, sed quia Deum Patrem habet, sanctificatum esse. Et postea ibidem subdit: *Si non facio opera Patris mei*, *nolite credere mihi. Si autem facio*, *& si mihi non vultis credere*, *operibus credite*, *ut cognoscatis*, *& credatis*, *quia Pater in me est*, *& ego in Patre*. Quibus auditis magis contra eum Judæorum rabies exarsit; unde *quærebant eum apprehendere*, ut interficerent; quod profecto non contigisset, si Christus iis verbis duntaxat se declarasset Filium Dei adoptivum, non naturalem.

69. Ad tertium resp., non ideo Christum dici filium Dei, quia fuit a mortuis suscitatus; sed contra ideo eum a mortuis surrexisse, quia erat filius Dei, & verus Deus. Vid. responsio superius tradita ex Bossueto Dissert. I. cap. 2. num. 79.

70. Ad aliud testimonium ex cap. I. epist. ad Romanos resp. primo cum Estio, ex textu græco non esse legendum, *qui prædestinatus est*, sed: *qui declaratus est filius Dei*, declaratus inquam virtute miraculorum, vel virtute mittendi Spiritum sanctum, & ex resurrectione a mortuis, quæ fuit omnium miraculorum Christi longe maximum, ac veluti veræ illius divinitatis sigillum. Quod autem legendum potius sit: *qui declaratus*, quam qui

(*a*) Hinc Philo in Libro περὶ εὐγενείας Adamum cunctis mortalibus nobilitate præferendum esse dicebat.

qui prædestinatus, patet ex voce græca ὁρισθέντος; nam ὁρίζω græce significat *declarare*, προορίζω autem *prædestinare*.

71. Resp. secundo cum S. Thoma, qui post S. Augustinum *de prædestinat. Sanctorum* cap. 15., & Tract. CIV. *in Joan.* Vulgati interpretis lectionem secutus est,,ea verba de Christi humanitate esse intelligenda, quæ ab æterno prædestinata fuit, ut per unionem hypostaticam cum Verbo ad naturalem Dei filiationem veheretur. Hanc fuisse Apostoli mentem, satis probabiliter ex verbis immediate præcedentibus eruitur, ubi de Christo filio Dei dicitur: *qui factus est ei ex semine David, secundum carnem; qui prædestinatus est* (nempe secundum eamdem carnem, seu humanitatem) *filius Dei &c.* (a).

72. Ad quartum resp. plenitudinem potestatis Christo datam, esse divinæ filiationis effectum, non causam. Cum enim Christus eamdem habeat cum Patre essentiam, eamdem quoque cum Patre habere debet potestatem, unde ex potestatis æqualitata ipse suam divinitatem comprobavit, ut superius ostensum est n. 40.

73. Ad id, quod additum fuit ex Apocalypsis V., observat primo Bossuetus in comment. hujus loci, ex textu græco legendum esse non *divinitatem*, sed *divitias* πλοῦτον, quod etiam Primarius, & nonnulli alii observarunt. Deinde posse quoque sano sensu dici, Christum tunc recepisse divinitatem, quando ejus divina gloria post resurrectionem manifestata est.

74. Obj. quarto contra tertiam probat. Unitas Christi cum Patre non est unitas substantialis, sed unitas affectus, & consensus. Nam Joann. XVII. 11. Ita Christus Patrem orabat: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut nos.* Et iterum vers. 21. *ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.* At vero unitas fidelium vel inter se, vel cum Christo non est unitas substantialis, sed affectus tantummodo, & consensus: ergo &c.

75. Resp. observante acutissimo S. Patre Augustino Tract. CX. in Joannem, ex verbis ipsis apparere, aliam esse unitatem Filii cum Patre, aliam unitatem fidelium, sive inter se, sive cum Christo nostro capite, & cum Deo. Neque enim Christus ita oravit: *ut omnes unum simus;* quod dicendum illi fuisset, si de eadem unitate loqueretur; sed ut *omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te.* Optavit itaque Jesus Christus, & a Patre suo pro nobis postulavit eam omnium fidelium unitatem, quæ possit haberi maxima; non autem quæ in se esset perfectissimâ, & essentialis, cujusmodi est unio ipsius cum Patre. Eodem fere sensu dictum est nobis Matth. V. vers. ult.: *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.* Et Levit. XIX. 2.: *Sancti estote, quia ego Sanctus sum.* Non quasi Deus perfectus & sanctus sit, sicut nos, quod absurdum esset cogitare; sed ut nos Dei sanctitatem, & perfectionem pro viribus nostris æmulemur; quamquam ad eam nec prope accedere valeamus.

76. Sed nec illud prætereundum est, ita Christum se *unum* dixisse cum Patre, ut plane Judæi intelligerent, id dici de unitate *naturæ;* quorum opinionem Christus minime reprehendit; imo magis magisque confirmavit, subdens, omnia se habere, quæ Patris sunt, eadem cum Patre potestate pollere, Patrem denique in se, & se esse in Patre.

77. Obj. quinto contra quartam probationem. Falsum est, Christum eamdem habuisse cum Patre potestatem. Nam Joann. V. 19. inquit de se ipso: *non potest Filius a se facere quidquam,* ni-

(a) Erasmus hanc S. Thomæ explicationem carpit in adnot. ad cap. I. epist. ad Rom. inquiens: *Dictu mirum est, quam se torqueat hoc loco Thomas Aquinas, vir alioquin non suo tantum sæculo magnus. Nam meo quidem animo nullus est recentium Theologorum, cui par sit diligentia, cui sanius ingenium, cui solidior eruditio* &c. Sed Angelici vindicias suscepit P. Bern. de Rubeis in Admon. prævie ad Comment. S. Thomæ in epist. S. Pauli, ubi etiam temeritatem castigat Rich. Simonii, qui non est veritus Angelici interpretationem Socinianismi accusare. Ut autem appareat, quam injustæ sint hujusmodi censuræ, operæ pretium duco ea subnectere, quæ ibidem S. Doctor habet, versiculum præcedentem: *De Filio suo, qui factus est ei* (scilicet Patri) *ex semine David secundum carnem* ita explicans: ,, Circa hanc filiationem tripliciter aliqui er- ,, rarunt. Quidam enim dixerunt, eum filiationem ha- ,, bere *adoptivam*, sicut Photinus, qui posuit Christum ,, initium sumpsisse ex Maria Virgine, quasi hominem ,, purum, qui per vitæ meritum ad hanc celsitudinem ,, pervenit, ut præ ceteris sanctis filius Dei diceretur. ,, Sed secundum hoc Christum non competeret descen- ,, sus ad humanitatem, sed magis ascensus ad divini- ,, tatem contra id, quod dicitur Jo. VI. *Descendi de* ,, *cælo*. Quidam vero posuerunt hujusmodi filiationem ,, solummodo *nuncupativam*, sicut Sabellius, qui dixit ,, ipsum Patrem incarnatum, & ex hoc filium nomi- ,, nari, ita quod eadem sit persona, & solum nomina ,, sint divisa. Sed secundum hoc non competeret Fi- ,, lio mitti a Patre, quod falsum est, cum ipse dicat ,, Jo. VI., *se descendisse ut faciat voluntatem ejus,* ,, *qui misit eum*. Alii vero posuerunt, sicut Arius, ,, hujusmodi filiationem esse *creatam*, ita quod Filius ,, Dei sit excellentissima creatura, ex nihilo tamen pro- ,, ducta, postquam prius non fuerat. Sed secundum ,, hoc omnia per ipsum non essent facta contra id, ,, quod dicitur Jo. I., oportet enim esse non factum, ,, per quem facta sunt omnia; & hæc tria excluduntur ,, per hoc, quod signanter addit *suo*, idest pro- ,, prio, & naturali. " Ita porro pergit Angelicus Doctor catholicam doctrinam ad mentem S. Pauli exponere breviter quidem, ut ratio Commentarii ferebat, sed erudite simul ac nervose. Et id quidem speciminis loco sit, ut diligentiores invitentur ad fontem ipsum adeundum.

nisi quod viderit Patrem facientem. Ibidem vers. 30: *non possum ego a me ipso facere quidquam*, quibus verbis videtur significari, Christum non fuisse, nisi æterni Patris instrumentum. Unde etiam Apostolus Hebr. I. 2. dicit de Deo Patre: *per quem* (scilicet Christum) *fecit & sæcula*. Præterea se non illud posse, quod potest Pater, declaravit Christus Matth. XX. 23. dicens: *Sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo*.

78. Ad primum respondet S. Thomas IV. *Contr. Gent.* cap. 8. *Cum Deo non sit aliud agere, quam esse, nec sua actio sit aliud, quam sua essentia, ita dicitur, sed quod Filius non possit a se agere, sed agat a Patre, sicut quod non potest a se esse, sed solum a Patre, si enim a se esset, jam Filius non esset. Sicut ergo Filius non potest esse Filius, ita a se agere non potest*. Unde Christus ipse subdit: *quæcumque ille fecerit, hæc & Filius similiter facit*. Hæc autem dixit Christus, ut Judæorum insaniam comprimeret, qui ipsi succensebant, quod miracula in sabbato faceret, ostendens, se hæc simul cum Patre facere, propter unam eamdemque cum Patre operationem, & essentiam, adeoque non posse se reprehendi, quin reprehenderetur & Pater.

79. Particula autem *per* non semper significat causam instrumentalem; ut cum S. Paulus inquit Roman. XI. 36. *ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*. Unde S. Jo. Damascenus Lib. I. *de fide orthodoxa* cap. 8. omnia per Verbum facta esse dicit, *non tamquam per servile organum*, sed tamquam per virtutem naturalem, & subsistentem.

80. Illa verba ex cap. XX. S. Matthæi sic explicantur a S. Augustino Lib. I. *de Trinit.* c. 12. n. 25. Tom. VIII.: *Non est meum dare, idest non humana potestate ista do, sed quibus paratum est a Patre meo*, non tamen sine me. Alii ita eadem verba explicant cum B. Alberto Magno super hunc locum: non est meum dare regnum *jure propinquitatis*, sed solum *jure meritorum*, quæ in eis inveniuntur, qui a Patre sunt, non minus ad gratiam, quam ad gloriam prædestinati. Hanc responsionem adoptavit etiam S. Thomas IV. *Contr. Gent.* c. 8. bene observans, etiam ad Jesum Christum pertinuisse dare sedes in regno cælorum, prout Christus ipse testatus est Apostolis Jo. XIV. 2. inquiens: *Vado parare vobis locum*.

81. Ob. sexto. Christus ipse se Patri inferiorem fatetur Joann. XIV. 28. dicens: *Pater major me est*; quæ verba, inquit Socinus (in *animadvers. ad theses Posnanienses*), hanc negativam propositionem continent: *ego non sum magnus, ut Pater*: quod quidem Christus asserere non potuisset, si aliqua ratione Patri esset æqualis; ut nemo simpliciter, & absolute negaverit, hominem esse quantum, quia licet anima hominis non sit quantitate prædita, est tamen homo quantus secundum corpus. Ulterius, subdit Crellius, attentis circumstantiis manifestum fit, Christum se Patri omnino inferiorem declarasse: mœrentibus enim Discipulis propter imminentem ejus discessum Christus dixit: *si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est*. Porro si Christus fuisset Deus æqualis, imo consubstantialis Patri, nulla erat Discipulis ratio gaudendi ex ejus discessu; neque enim ulla fieri ipsi poterat per hoc beatitudinis accessio; ergo non alia de causa Discipuli gaudere debebant, nisi quia Christus ex hoc mundo discedens, ad Patrem suum, sicuti ceteri justi, iturus erat; adeoque &c.

82. Resp. cum S. Augustino Tract. LXXVIII. in Joann., & plerisque aliis latinis interpretibus, ea verba: *Pater major me est*, referenda esse ad humanitatem assumptam, secundum quam minor est Patre, ut etiam dicitur in symbolo *Quicumque*; non autem ad naturam divinam, secundum quam alibi idem Christus dicebat: *ego & Pater unum sumus: ego in Patre, & Pater in me est* (a). Vel etiam voluit Christus indicare, Patrem esse majorem se præcellentia, non naturæ, sed gloriæ, & felicitatis; unde recte inferebat, gaudendum esse Discipulis, quod iturus esset ad Patrem, ut nempe ipsius gloriæ, ac felicitatis sua humanitas particeps esset. Quod expressius idem Christus Dominus indicavit ea oratione Joan. XVII. 5.: *Clarifica me, tu Pater, apud temetipsum, claritate, quam habui priusquam mundus esset, apud te*. Vid. S. Thomas IV. *Contr. Gent.* cap. 8. Vid. Diss. II. n. 212.

83. Nonnulli autem Patres græci laudata verba explicant de divina Christi persona, quæ dici potest sensu quodam improprio minor Patre, nempe ratione originis, quam Filius habet a Patre (b).

84.

(a) Audiatur Sanct. Doctor, qui postquam multa in hanc rem disseruit, ita concludit n. 2. *Quid igitur, Hæretice, cum Christus Deus sit, & homo, loquitur ut homo, & calumniaris Deo? Ille in se naturam commendat humanam, tu in illo audes deformare divinam? Infidelis, ingrate, ideone tu minuis eum, qui fecit te, quia dicit ille, quid factus sit propter te? Æqualis enim æterno Patri Filius ... ut minor esset Patre, factus est homo; quod nisi fieret, quid esset homo?*

(b) In Concilio Constantinopolitano 56. Episcoporum anno 1166. fuit utraque hujus textus expositio probata; scilicet & eorum, qui Christi verba ad ejus humanitatem referunt; & eorum, qui ea de Christi divinitate explicant, *ex eo, quod ipse a Patre sit genitus*. Vid. Labbeus Tom. XIII. *Concil.* pag. 334., & Leo Allatius *de Consensu utriusque Ecclesiæ* &c. Lib. II. cap. 12. Photius epist. CCXXVI. alias hujus loci interpretationes affert; ipse vero credit, Christum fuisse locutum ad mentem Discipulorum, qui nondum bene de ejus divinitate edocti putabant, ipsum esse æterno suo Patri omnino inferiorem.

84. Quod addit Socinus, leve est: cum enim Jesus Christus Dominus, ac Redemptor noster tam sæpe, & tam luculenter se æqualem æterno Patri, & unum cum eo esse dixisset, facile quisque intelligere poterat, eum se modo appellare minorem Patre, non absolute, sed secundum naturam humanam tantummodo, secundum quam solam etiam ascendere poterat ad Patrem.

85. Nec majus habet pondus, quod affert Crellius. Quamquam enim anima Christi propter hypostaticam unionem cum Verbo ab initio conceptionis suæ beata erat, gloriam tamen non redundabat ad corpus ante ejus resurrectionem; imo nec omnimoda, & completa humanitatis glorificatio habita est, nisi postquam Christus ascendens in cœlum sedet ad dexteram Patris. Hinc recte dicebat ipse Christus discipulis: *si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem*; quia nempe *naturæ humanæ* Christi *gratulandum erat*, inquit S. Augustinus loco cit. *in Joann.*, *ut immortalis constitueretur in cœlo, atque ita fieret terra sublimis, ut incorruptibilis pulvis sederet ad dexteram Patris ... Quis non hinc gaudeat, qui sic diligit Christum, ut & suam naturam jam immortalem gratuletur in Christo, atque id se speret futurum esse per Christum?*

86. Obj. septimo. Christus confessus est, se ignorare judicii diem Matth. XXIV. 36., & Marci XIII. 31. *De die illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.* At vero ignorantia in Deum non cadit. Præterea idem Christus negat, se bonum esse Marci X. 18. *Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi unus Deus:* ergo &c.

87. Resp. primæ difficultati cum S. Thoma III. P. q. 10. art. 2. ad 1. post S. Augustinum Lib. I. *de Trinit.* cap. 12. Christum ignorasse diem judicii, non absolute, & simpliciter, sed solum ad revelandum discipulis; quomodo enim Christus Dominus aliquid ignorare poterat; cum in eo, teste Apostolo *Coloss.* II. 3., *sint omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi.* Ulterius quomodo potuit Christus judicii diem ignorare, cujus omnes circumstantias prænunciavit, & in quo judex futurus est vivorum, & mortuorum? *Hoc ergo*, inquit S. Augustinus, *inter illos nesciebat, quod per illum scire non poterant, & hoc solum se scire dicebat, quod eos per illum scire oportebat.* Et Angelicus IV. *Contr. Gent.* cap. 8. observat, consuetum modum esse in Scripturis, ut Deus dicatur aliquid cognoscere, cum illud cognoscere facit, sicut habetur Genes. XXII. 12. *Nunc cognovi, quod timeas Dominum*, idest *nunc cognoscere feci; & sic per oppositum Filius nescire dicitur, quod non facit nos scire.*

88. At vero, inquiunt Sociniani, hac de causa etiam Pater dicendus esset ignorare diem judicii, quia nec ille eum revelare volebat; & tamen Pater diem judicii ignorare non dicitur. Præterea eodem modo dicitur Christus ignorare diem judicii, quo Angeli ignorant; sed isti omnino ignorant: ergo &c.

89. Primæ difficultati resp. in hoc esse Patrem inter, & Filium discrimen, quod Pater aliquid hominibus nuntiandi munere non fungebatur; alioquin minus proprie de Patre diceretur, aliquid ignorasse, quia nobis aliquid per se revelandi dispensationem non habuit, quam habuit Jesus Christus.

90. Secunda autem facile solvitur, observando, non semper eodem sensu sumenda esse eadem verba: itaque Christus, & Angeli dicuntur ignorare diem judicii, non tamen eadem ratione: isti enim absolute, Christus autem, ne aliis manifestet. Id patet ex aliis sacræ Scripturæ locis (*a*).

91. Dices: S. Irenæus Lib. II. c. 28. hæreticorum audaciam, qui omnium rerum scientiam sibi arrogabant, exemplo Christi refellit, qui *judicii diem, & horam concessit scire solum Patrem, manifeste dicens: de die autem illa &c.* Atqui hoc S. Patris argumentum contra eos hæreticos ineptum plane fuisset, nisi absolute Christus Dominus judicii diem ignorasset: ergo &c.

92. Resp. cum P. Massuet (Dissert. III. in Iren. art. 5. & 6.), Irenæum eo loco non denegasse Jesu Christo scientiam diei judicii, sed dixisse tantummodo, Christum hanc scientiam retulisse ad solum Patrem, non quod ipse id ignoraret, sed quod hanc scientiam non a se habebat, utpote quam ab ipso Patre una cum divina essentia acceperat. Nimirum Gnosticorum arrogantiam, qui de omnibus nostræ Religionis mysteriis disserere pro arbitrio præsumebant, hac argumentatione compescit: nullus homo gloriari potest, se natu-

(*a*) Alii aliter hanc difficultatem expediunt, dicentes, Christum ignorasse diem judicii, non ut Deum, sed ut hominem, inquam, non *absolute*, & *simpliciter*, sed dumtaxat ratione humanæ naturæ, quæ certe suis viribus hanc cognitionem habere non poterat. In qua tamen responsione cavendum est ab Agnoetarum *hæresi*, quæ Christi humanitati cognitionem diei judicii absolute denegavit. Hæc hæresis a Themistio Diacono prodiit temporibus Justiniani Imperatoris, & *Themistiana* dicta est; qua de re videri etiam potest S. Thomas III. Part. q. 10. art. 2.

Eulogius Patriarcha Alexandrinus apud Photium, *in Biblioth.* Codice 230. putavit, locutionem illam esse figuratam, & Christum in personam hominum, quorum caput est, dixisse, se ignorare diem judicii, quam eamdem sententiam Origeni tribuit loco laud.

Perdocte Prudentius Maran in suo opere: *Divinitas Domini Nostri Jesu Christi* &c. Lib. I. P. II. c. 22. cognitionem diei judicii eo sensu Patri reservatam dici putat, quia Filius nihil decernit, nisi quod Patrem decernentem viderit; unde verba allata in objectione iis similia esse dicit, quæ leguntur Actor. I. 7.: *non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Hæc etiam est interpretatio Maldonati. Vid. Natalis Alexander Diss. VII. in sæculum VI. contra Agnoetas.

turam habere perfectiorem, quam Christus habuerit; atqui ille virtute naturæ humanæ non cognovit omnia, cum ignoraverit judicii diem: ergo intolerabilis arrogantiæ Gnostici rei sunt, &c. Vel etiam sic. Si Christus verus Deus cognitionem diei, & horæ judicii retulit ad solum Patrem, eccur nos erubescamus mysteriorum cognitionem soli Deo reservatam fateri? Quæ omnia ad Gnosticorum impudentiam confundendam omnino opportuna erant. Ceterum ibidem Irenæus asserit, *Patrem Filio in omnibus communicare;* quod verum non esset, si Filium judicii dies lateret.

93. Quod secundo loco objectum est ex Marci c. X. nullam habet difficultatem; Christus enim loquitur ad mentem illius adolescentis, qui cum non crederet ipsius divinitatem, *bonum* tamen eum appellabat, dicens, *Magister bone;* cui Christus bene respondet: *nemo bonus, nisi solus Pater*, qui est Deus; quasi diceret: aut ergo me Deum crede, aut nec bonum appella, quia nemo bonus, nisi solus Deus. Ceterum Christum alibi se *bonum* appellare non dubitavit, ut Joann. X. 11., *Ego sum Pastor bonus*.

94. Obj. octavo. Filius Dei dicitur in sacris litteris Patris *creatura*. Prov. VIII. 22. ex Versione LXX. Interpretum: *Dominus creavit me initium viarum suarum*. Item Ecclesiastici XXIV. 14. Sapientia, idest Verbum divinum, dicit de se ipsa: *ab initio, & ante sæcula creata sum*. Quibus consonat etiam Testamentum novum; nam Joann. I. 15. Joann. Baptista de Christo dicit: *qui post me venturus est, ante me factus est*. Pariter ad Coloss. I. 15. dicitur Christus *imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ*. Multa alia id genus afferri possunt.

95. Resp. ad primum, testibus Eusebio Cæsareensi (a), & S. Hieronymo (ep. CXL. ad Cyprianum num. 6.), noster Vulgatus Interpres, qui habet: *Dominus possedit me initium viarum suarum*, magis consentit hebraicæ phrasi, quam Versio: *Dominus creavit me*. Possidere autem in sacris litteris significat *gignere:* nam Gen. IV. quando Eva peperit Cain, dixit: *possedi hominem per Deum*. Aliqui etiam suspicantur, in Versione LXX. vitali irrepsisse mendum; & loco ἔκτησε *possedit*, scriptum fuisse ἔκτισε *creavit* (b).

96. Quod si quis mordicus contendat, legendum esse, *creavit*, dicimus, vocem illam *creare*, ubi de æterna sapientia sermo est, sumendam esse latiore sensu; ut idem significet, ac *gignere*, quomodo homines dicuntur *filios procreare*, idest gignere; quod & S. Hieronymus in cap. IV. epist. ad Ephesios, & S. Augustinus Lib. *de fide, & symbolo*, & S. Hilarius in Libro *de Synodis* adnotarunt. Et certe de eadem divina Sapientia dicitur Prov. XIII. 24.: *nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram*, seu ut legitur in primigenio textu hebraico: *& ego genita sum*. Vid. S. Thomas Lib. IV. *cont. Gent.* cap. 8.

97. Ac demum si illa vox *creare* in proprio, ac nativo sensu usurpanda sit, facile respondebitur cum S. Athanasio Orat. III. adversus Arianos, ea verba referenda esse ad Christi humanitatem, quæ vere, & proprie creata fuit.

98. Verba S. Joannis Baptistæ Joann. cap. I. hunc habent sensum: Jesus, qui post me venturus est in humanitate, mihi prælatus est in dignitate, quia major me erat divinitate.

99. Christus etiam appellatur *primogenitus omnis creaturæ* ad Colossenses I., non quia creatura ipse sit, sed quia ante omnes creaturas ab æterno genitus est. Quo sensu etiam Ecclesiastici XXIV. Dei Sapientia dicit de se ipsa: *Ego ex ore Altissimi primogenita ante omnem creaturam*. Et sane, ut S. Basilius Lib. IV. *contr. Eunomium* observat, Christus dicitur etiam *primogenitus mortuorum;* non quod ante omnes mortuus sit, sed quia est causa resurrectionis mortuorum. Eodem fere modo dici poterit *primogenitus creaturæ*, quoniam causa fuit, ut omnes creaturæ producerentur.

100. Ob. nono. Pleraque in sacris litteris dicuntur de Christo, quæ ipsum non esse Patri æqualem, multoque minus consubstantialem luculenter ostendunt. Nam primo Christus profitetur, se non suam doctrinam tradere, sed doctrinam Patris sui; nec loqui suo nomine, sed Patris sui nomine. Jo. VII. 16.: *mea doctrina*, inquit, *non est mea, sed ejus qui misit me:* & cap. XIV. 10. *Verba, quæ ego loquor vobis, a me ipso non loquor*. Secundo distinguit suam voluntatem a voluntate Patris, & gloriam suam a gloria Patris. Joann. VI. 38. *descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me, Patris;* & cap. VIII. 50.: *ego autem non quæro gloriam meam*. Tertio se distinguit a Patre, a quo missus est. Joann. XII. 44. *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me;* & cap. XX. 17. *ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum*. Quarto dicitur sæpius *missus a Patre;* quod denotat, ipsum esse Patri inferiorem, & subjectum. Quinto apud Joann. X. 18. se a Patre præceptum moriendi accepisse fatetur. Demum sæpius Patrem suum orasse legitur Jo. XVII. & alibi.

101. Resp. ad primum cum S. Augustino Tract. XXIX. in Joannem num. 2. Tom. III., hæc dicta esse a Christo, ut indicaret, se distinctam quidem esse a Patre personam; unde dixit: *doctrina mea;*

(a) In Libro III. *de Ecclesiastica Theologia* contra Marcellum Ancyranum cap. 2., ubi etiam audat Aquilam, Symmachum, & Theodotionem, qui omnes verterunt: *possedit*.

(b) Patet Houbigant Hebr. textum לרכי לאשׂיתרם יהית ita vertit: *Dominus constituit me initium viarum suarum*.

mea; non tamen ingenitam, quia a Patre procedit: & propterea subdit: *non est mea, sed ejus, qui misit me*; seu a quo procedo per æternam generationem: nam missio significat processionem. Vel etiam, ut idem S. Augustinus explicat Lib. I. *de Trinit.* cap. 12. num. 27., Christus voluit indicare, doctrinam, quam prædicabat, sub una ratione esse suam, & sub alia ratione non esse suam, nempe dicebat, eam esse *secundum formam Dei, suam; secundum formam servi, non suam*. Ceterum hæc Christi verba aliis contraria esse non possunt, quibus dicebat: *Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt, & mea omnia tua sunt, & tua mea sunt*. Joann. XVI. & XVII.

102. Ad secundum resp., duplicem fuisse in Christo voluntatem, divinam, & humanam; & quamquam voluntas humana voluntati Patris dissentanea esse non poterat, recte tamen Christus dixit: *descendi de cælo &c.* propter Judæos, qui hoc ignorabant.

103. Alia autem verba: *Non quæro gloriam meam* intelligi debent cum S. Augustino Tract. XXIX. in Joann. n. 8. de hac vita mortali, ubi formam servi accepit, & videri voluit novissimus omnium hominum (a). Ceterum gloriam suam postea quæsivit, dicens Patri Joann. XVII. 5. *clarifica me, tu Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, antequam mundus esset apud te*; hoc est claritate divina.

104. Ad tertium. Quod dicit Christus Joann. XII.: *qui credit in me &c.* talem habet sensum: qui credit in me, non credit in me solum, sed etiam in eum, qui misit me, quia una est utriusque essentia. De aliis autem verbis: *ascendo ad Patrem meum &c.* acuta, & vera est observatio S. Augustini Tract. CXXI. in Joannem: *Non ait: patrem nostrum: aliter ergo meum, aliter vestrum; natura meum, gratia vestrum. Neque dixit: Deum nostrum: ergo & hic aliter meum, aliter vestrum, Deum meum, sub quo & ego homo sum; Deum vestrum, inter quos, & ipsum mediator sum*.

105. Quæ quarto loco objecta sunt de divina missione, non indicant inferiorem Filii naturam, sed solum æternam ejusdem processionem a Patre. Vid. quæ de missionibus divinis dicta sunt Dissert. II. cap. 6.

106. Præceptum autem moriendi Christus a Patre accepit in natura humana, secundum quam reipsa passus, & mortuus est. Patrem eadem ratione oravit, ut homo, non ut Deus. De his, & similibus Scripturæ sacræ locis consul. S. Thomas Lib. IV. *Contr. Gent.* cap. 8.

107. Instat Wolzogenius. In sententia Trinitariorum Christus oravit, & passus, & mortuus est, non ut homo, sed ut Deus; alias ejus oratio, passio, & mors non fuissent infiniti pretii.

108. Resp., ea quæ Christus ut homo fecit, & passus est, pretii fuisse infiniti propter personam divinam, quæ unica in Christo erat; unde nata est communicatio idiomatum, prout in Tractatu de Incarnatione fuse declaratur.

109. Dices iterum. S. Paulus in epist. prima ad Corinthios cap. XV. 24. de Christo loquens, *cum tradiderit*, inquit, *regnum Deo, & Patri*: ergo Christus in æternum regnaturus non est, adeoque non est Deus. Post autem ita pergit idem Apostolus vers. 28. *cum autem subjecta fuerint illi* (scilicet Deo, & Patri) *omnia, tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus*. Qui autem subjiciendus est æterno Patri, non est illi æqualis, aut consubstantialis.

110. Resp., ea verba: *cum tradiderit* &c., non significare, Christum esse regno expoliandum, de quo scriptum est: *regni ejus non erit finis* Lucæ I. 33. *& regnabit in sæcula sæculorum* Apocal. XI. 15.; sicut nec Pater aliquid amisit, cum omnia tradidit Filio, ut dicitur Lucæ X. 22. Significant ergo dumtaxat consummationem regni, quod Jesus Christus in terris fundavit, atque æterno Patri traditurus est.

111. Quod vero sequitur: *cum autem subjecta fuerint illi* &c. a S. Thoma Lib. IV. *Cont. Gent.* c. 8. explicantur de Christo, prout est homo, non ita quidem, quasi modo Christus, ut homo, Patri subjectus non sit; sed quia cum Apostolus prius dixerit, omnia Christo subjicienda fore, dubium suboriri poterat, an tunc Christus esset Patri subjiciendus.

112. Alii autem hunc locum exponunt de Christi corpore, quod est Ecclesia, quæ quando in fine tota erit Christo subjecta ut capiti suo, subjicietur hoc ipso etiam Deo Patri. Modo autem aliqua ratione Christus nondum Patri est plene subjectus, quia ejus membra nondum omnia illi subjecta; adhuc enim corpus Ecclesiæ *crescit in augmentum Dei*, ut dicit idem Apostolus ep. ad Colossenses II. 19. Vid. S. Augustinus *de diversis quæstionibus octogintatribus* q. 69. Tomo VI.

113. Aliqui Patres græci, ut Chrysostomus, Theophilactus, Œcumenius hunc locum intellexerunt de Christo in natura divina. Sed isti subjectionem minus proprie accipiunt putantes, Apostolum voluisse per hyperbolem magnam Filii cum Patre concordiam significare. Vid. Guill. Estius in Comment. ad hunc locum.

114. Quod postremo subditur: *ut sit Deus omnia*

(a) Merentur recitari verba S. Patris: *Si ergo ille cum Patre unum, æqualis Patri, Deus de Deo, Deus apud Deum, coæternus, immortalis, pariter incommutabilis, pariter sine tempore, pariter creator, & dispositor temporum; tamen quia venit in tempore, & formam servi accepit, & habitu est inventus ut homo, quærit gloriam Patris, non suam; quid tu, o homo, facere debes, qui quando aliquid boni facis, gloriam tuam quæris? .. Quære ejus gloriam, a quo habes hanc gratiam &c.*

mnia in omnibus, non ita ad Patrem restringendum est, ut Filius excludatur aut Spiritus sanctus; sed nomine Dei Trinitas intelligitur. Nam etiam de Filio dicit idem Apostolus non absimiliter: *omnia*, *& in omnibus Christus*. Colossens. III. 11.

115. Ceterum inscite omnino agunt adversarii, & contra omnes saniores criticæ regulas, dum ex quibusdam obscuris Scripturæ sacræ locis impugnare conantur eam Domini Nostri Jesu Christi divinitatem, quæ tam multis aliis in locis, & tam aperte declaratur: quod plane est tenebras magis diligere, quam lucem.

116. Ob. ult. Si Christus est Verbum Dei, nequit esse Deus; nam S. August. in L. VII. *de Civit. Dei*, cap. 14. contra Ethnicos argumentabatur: *Si Mercurius ipse Sermo est*, *etiam ipsis* (Ethnicis) *confitentibus Deus non est*.

117. Resp., recte S. Augustinum concludere contra Ethnicos, Mercurium Deum non esse, ex quo ipsi eum nihil aliud esse volebant, quam vel sermocinandi administrum, vel ipsum Sermonem, qui ab hominibus profertur: *nam ideo Mercurius*, *quasi medius currens dicitur appellatus*, *quod Sermo currat inter homines medius*. Quis enim adeo desipiat, ut Sermonem, qui inter homines misceri solet, appellet Deum? Verbum autem divinum est Verbum per se subsistens, ejusdemque naturæ cum Patre, adeoque verus Deus.

CAPUT VI.

Demonstratur vera, *& consubstantialis Jesu Christi divinitas ex initio Evangelii Sancti Joannis*.

118. Necesse visum est, peculiariter de hoc insigni sacrarum Scripturarum loco tractare; quia Sociniani bene advertentes, luculentissime ex eo suam hæresim everti, omnem impenderunt operam, ut falsis interpretationibus ejusdem vim eluderent; quamobrem aliquanto prolixiore opus est disputatione ad verum, germanumque S. Evangelistæ sensum aperiendum, ac vindicandum.

119. Prænotare autem oportet S. Joannem manifestius, quam alii sacri scriptores, de vera Christi divinitate fuisse locutum, quia ejus ætate exortæ jam erant duæ pestiferæ hæreses Cerinthi, & Ebionis, quæ eamdem impie negabant. Data igitur opera S. Joannes suum Evangelium auspicatus est ab æterna divini Verbi generatione, ut ante omnia hoc capitale nostræ fidei dogma stabiliret.

120. Hunc fuisse dilecti Discipuli scopum, insinuat S. Irenæus Lib. III. *contra hæreses* c. 11. n. 1. inquiens, voluisse *Joannem per Evangelii annunciationem auferre eum*, *qui a Cerintho inseminatus erat hominibus*, *errorem .... & suaderet*, *quoniam unus Deus*, *qui omnia fecit per Verbum suum*, *&c.*

121. Idem clarius affirmat S. Epiphanius Hæresi LXIX. ita scribens: *Beatus Joannes post alios* (Evangelistas) *veniens*, *cum homines in infirma Christi natura totos occupari cerneret*, *atque Ebioneos .... & Cerinthianos*, *& Merinthianos ex utriusque sexus copulatione merum hominem illum natum asserere*, *idemque & Nazaræos*, *& nonnullas alias hæreses sentire*, *tamquam postremus omnium* (*quartus hic Evangelium scribere aggressus est*) *aberrantes illos*, *& in humana Christi generatione*, *plusquam par est*, *intentos revocare instituit*.

122. Tertio S. Hieronymus *in Catalogo virorum illustrium* c. 9. de S. Joanne inquit: *Novissimus omnium scripsit Evangelium*, *rogatus ab Asiæ Episcopis adversus Cerinthum*, *aliosque hæreticos*, *& maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens*, *qui asserunt*, *Christum ante Mariam non fuisse*. *Unde & compulsus est divinam ejus nativitatem edicere*. Quæ cum omnibus nota essent, Fideles uno, communique consensu æternam divini Verbi generationem ex Patre, & temporalem ipsius nativitatem ex Virgine Maria in primo ejusdem Evangelii capite perspicue expressam esse crediderunt. Quod aliqui etiam ex gentilibus cognovisse videntur (a).

123. Ebionitæ eum id negare non auderent, Evangelium S. Joannis minime recipiebant, ut colligitur ex Irenæo Lib. III. cap. 11. Denique Alogi, ita dicti, quasi sine λόγῳ, quia Verbum divinum non admittebant, teste S. Augustino *de Hæresibus* num. 30. idem S. Joannis Evangelium omnino repudiabant, utpote eorum erroribus aperte contrarium. Sociniani autem hoc quidem Evangelium se recipere profitentur, sed illud fœdis-

(a) Vide, quæ de Juliani apostatæ confessione notavimus in tomo I. Diss. III. num. 304. scilicet à S. Jo. Evangelista fuisse Christum nuncupatum *Deum*, quo nomine eum insignire alii Evangelistæ ausi non sunt. Auctoritates autem allatas Sanctorum Patrum flocci facit Faustus Socinus in *Prolegomen. ad explicationem I. Part. I. Joannis* T. I. *Bibliothecæ Fratrum Polonorum* pag. 77.; quod enim narrant de scopo hujus Sancti scribendi suum Evangelium, non dubitat appellare *figmentum*; & postea tam luculentum divinitatis testimonium pravis, contortisque explicationibus, magna subtilitate excogitatis, & dolose expositis nititur obscurare. Alio tamen in loco, nempe initio disputationis *De Christi natura*, fateri non veretur suæ interpretationis novitatem, inquiens: *Scripsimus ante annos non paucos amicorum hortatu perbrevem expositionem sententiæ nostræ in Joannis Evangelii principio interpretando*, *quam cum non tantum nostra ætate*, *sed etiam multis ante sæculis inauditam sciremus*, *nostrum nomen supprimentes aliorum de ea judicium cognoscere decrevimus*. Ita excusso ab aliis Novatoribus Ecclesiasticæ auctoritatis jugo, via Socinianis latissima aperta est, ad negandam Jesu Christi divinitatem in primo Evangelii Sancti Joannis capite tam clare expressam;

dissime corrumpunt, ne simul etiam expressam divinitatis Jesu Christi fidem profiteri cogantur: contra quos sit

PROPOSITIO.

Ex Cap. I. Evangelii S. Joannis vera & consubstantialis Jesu Christi divinitas luculenter ostenditur.

124. Sic autem habet sacer textus: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est .... Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.*

125. Porro in hoc textu Verbi æternitas apertissime exprimitur dicendo: *In principio erat Verbum;* nullum enim principium illius esse potest, quod jam erat in principio. Et sic etiam idem S. Joannes in Apocalypsi c. I. 4. Dei æternitatem expressit, dicendo: *Qui est, qui erat, & qui venturus est.*

126. Demonstratur præterea hujus æterni Verbi divinitas, cum dicitur: *Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Quibus manifestissime nos docet S. Joannes, primo Verbum λόγον Personam esse a Patre distinctam, cum dixit *Verbum fuisse apud Deum;* nihil enim dicitur esse apud semetipsum; secundo hanc Personam esse Patri consubstantialem, quandoquidem eodem nomine Dei appellatur, ac Pater; tertio eadem divina omnipotentia præditam esse, cum additur: *omnia per ipsum facta sunt:* ac demum hoc Verbum divinum, & omnipotens non posse inter res creatas numerari: *quomodo enim*, ut S. Augustinus recte observat Tract. I. in Joannem, *potest fieri, ut Verbum Dei factum sit, quando Deus per Verbum omnia fecit?* Quod autem hoc loco sermo sit de creatione omnium rerum, etiam magis explicatur ex loco parallelo Apostoli Pauli in epist. ad Coloss. I. 16. *Quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis, & in terra, visibilia, & invisibilia ..... omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.*

127. Declarat subinde sacer Evangelista, hoc Dei Verbum esse ipsum Dominum Jesum Christum, quando versic. 14. addit: *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis; & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ, & veritatis.* Versic. autem 18. eumdem Dominum Jesum Christum appellat *Unigenitum, qui est in sinu Patris;* seu Verbum, *quod erat apud Deum.* Videmus itaque in paucis versiculis expressam primo æternam originem, & processionem Verbi a Patre; secundo utriusque distinctionem Personæ: tertio idem utriusque nomen divinum: quarto eamdem utriusque virtutem, & potentiam creatricem; ex quibus eadem numero in utroque natura evidenter colligitur: ac demum ineffabile nostræ redemptionis beneficium, cum additur: *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.*

128. Accedit postremo auctoritas fere veterum Patrum, qui ex hoc loco S. Joannis invictum desumpserunt argumentum pro catholico dogmate divinitatis Jesu Christi contra Sabellianos, atque Arianos asserendo, & vindicando, ut S. Athanasius in suis Orationibus contra Arianos, S. Cyrillus in *Thesauro*, S. Basilius Hom. XV. *in Principium Joannis*, & in Libris *contra Eunomium*, S. Gregorius Nyssenus ejus frater, alter Gregorius, nempe Nazianzenus, aliique passim Græci. Ex Latinis autem S. Hilarius in *Libris de Trinitate*, S. Ambrosius *de Fide ad Gratianum*, & S. Augustinus frequentissime. Quorum testimonia omittimus, quia supervacanea sunt contra hos Hæreticos, qui fateri non verentur, se novam calcare viam, a veteri Patrum semita longe diversam.

129. Mirum quantum se torserint acutissimi Sociniani ad explicatissimum hoc divinitatis Christi testimonium obscurandum; imprimis autem eorum parens Faustus Socinus in brevi hujus loci Interpretatione Tom. I. *Bibliothecæ Fratrum Polonorum*. Ita autem totum hunc textum suis commentationibus depravat, ut illud cum hæretica sua doctrina quocumque tandem modo conciliet.

130. Primo contendit, illud *in principio* non posse æternitatem significare; *etenim nusquam reperies*, ait, *in sacris litteris principium pro æternitate usurpari.* Vult ergo nomen *principii* non æternitatem, sed ordinem earum rerum respicere, quas Joannes de Jesu Christo scripturus erat, imitatus hac in re Mosem, qui historiam suam describens ab hoc nomine *principii* & ipse exordium sumsit. Et quemadmodum Moses antiqui hujus mundi creationem descripturus, *in principio* dixit, eorum respectu, quæ deinceps dicturus erat, ita & Joannes, cum de spirituali mundo per Christum creato scripturus esset, usus est illa *ordinis* voce, non autem *æternitatis* nota, ut intelligamus, Verbum hoc fuisse, non quidem ab omni æternitate, sed ante res creatas omnes novi mundi.

131. Secundo cavillatur Socinus in hac voce *Verbum* λόγος, quam peculiarem esse dicit Sancti Joannis; sumendam autem esse vult *metaphorice*, & *metonymice*; quod nempe, sicut verbo hominis ejus voluntas cognoscitur, ita per Christum omnis voluntas Dei patefit; ac proinde sic Christum hic appellari *Verbum*, sicut appellavit seipsum *vitem*, *pastorem*, & *ostium*. Adducit insuper exempla Jo. Baptistæ, qui dictus est *Vox*, & Aaron, qui nuncupatus fuit *Os Mosis*, utique per metonymiam. Unde concludit, etiam Christum fuisse dictum *Verbum Dei* propter munus, quod Dei quodammodo vice in terris obiit: unde postea de-

deplorat *inscitiam*, seu *miseriam multorum* (nempe Sanctorum Patrum, & omnium Theologorum, non solum Ecclesiæ Catholicæ, sed etiam Communionis Calvinisticæ, ac Lutheranæ), qui in hoc concordant, ut Verbum sit *quidam æternus Dei Filius, genitus ante omnia sæcula, secundaque in Trinitate Persona*.

132. Tertio explicat more suo quod sequitur, *Et Verbum erat apud Deum;* quia nempe Jesus, quatenus Dei Verbum, antequam Baptistæ prædicatione mundo patefieret, soli Deo notus erat. Hinc ipse paullo inferius dicit: *Medius autem vestrum, quem vos nescitis, ipse est, qui post me venturus est*. Constat autem, in sacris litteris dictionem *apud* significare manifestationem: ut cum idem Joannes epist. I. c. 1. inquit: *Annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & manifestata est nobis:* & cum S. Lucas c. II. dicit de Jesu: *Proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines*.

133. Quarto valde laborat in explicandis sequentibus: *Et Deus erat Verbum*, & persuadere conatur, hoc nomen *Deus* non esse nomen substantiæ cujusdam proprium, vel personæ, sed *auctoritatis, potentiæ, ac beneficentiæ;* & ut Grammatici loquuntur, nomen *appellativum*. Unde illud adagium apud Erasmum: *Homo est hominis Deus*. Quam in rem multa congerit Scripturæ loca, a nobis superiori capite jam explicata, addens illud Sancti Pauli ad Philipp. II. 10. Deum *donasse* Jesu Christo *nomen, quod est super omne nomen*, & illud in epist. ad Hebræos I. 4., ubi Christus dicitur tanto præstantior Angelis effectus, *quanto excellentius præ illis nomen hæreditavit*. Ex his colligit, nomen Dei tributum Verbo, aut Christo, non esse nomen substantiæ, quod illi natura sua conveniat; sed dumtaxat *appellativum*, eidem propter excellentiam gratiarum *donatum*.

134. Quinto non minus laborat in conciliandis cum perversa sua doctrina iis, quæ sequuntur: *Omnia per ipsum facta sunt*, quæ non vult ita late accipi, ut primam illam cœli, terræque creationem comprehendant; sed ad negotium Evangelii tunc publicati, atque recepti esse accommodanda; cujus suæ explicationis exemplum invenisse se putat in iis Apostoli verbis 1. Corinth. V. 17. *Si qua ergo in Christo nova creatura est, vetera præterierunt, ecce nova facta sunt omnia*. Et ipse Sancti Joannis scopus describendi historiam Evangelicam exigebat, ut de spiritualis mundi renovatione facta per Jesum Christum, non autem de prima rerum creatione, quam Moyses jam descripserat, loqueretur.

135. Pervertit postremo Socinus comma decimum quartum, negans legendum esse pront hactenus ab omnibus lectum fuit: *Et Verbum caro factum est*, ad designandum ineffabile divinæ Incarnationis Mysterium; sed græcum textum ϗ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο ita verti vult: *Et Verbum caro fuit;* quam in rem nonnulla affert similia loca, ubi vox ἐγένετο significat *fuit;* ut Lucæ XXIV. 19. cum dicatur in græco ὃς ἐγένετο ἀνὴρ προφήτης in latina versione dicitur, non *qui factus est*, sed *qui fuit vir Propheta*. Imò hoc ipso in loco, vers. 6., ubi nostra vulgata habet: *Fuit homo missus a Deo*, græca exemplaria legunt ἐγένετο. Vult autem Socinus, prudenter id fuisse ab Evangelista explicatum, ne Fideles in errorem inducerentur propter ea, quæ superius magnifice fuerant prædicata de Verbo putantes ipsum esse verum Deum. Quod autem hic non possit ἐγένετο verti *factum est*, probat Socinus ex eo, quod antea vers. 10. dictum fuerit de Christo: *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit;* quod præpostere dictum fuisset si postea versic. 14. S. Joannes de incarnatione Verbi loqueretur; quasi scilicet ante eam Christus in mundo fuisset.

136. Atque hæc est famosa Fausti Socini interpretatio celebratissimi loci Sancti Joannis, quam propriis fere ipsius verbis proponere voluimus, ne aliquis suspicetur, nos ejusdem vim voluisse dissimulare. Nempe ita illius capitis primam partem suo modo coordinat: *In principio* prædicationis S. Jo. Baptistæ *erat Verbum*, nempe Christus, dictus metaphorice *Dei Verbum* propter munus manifestandi Dei voluntatem: *Et Verbum erat apud Deum*, idest soli Deo notum: *Et Deus erat Verbum*, *Deus* inquam non natura, sed gratia: *Omnia per ipsum facta sunt*, quæ spectant ad spiritualem mundi renovationem: *Et Verbum caro factum est*, seu Verbum caro fuit, non Deus.

137. Jam vero haud difficile nobis erit has nebulas, quas magno conatu Socinus induxit, penitus dissipare. Itaque resp. ad primum, nos æternitatem generationis Verbi non probare tantummodo ex illa voce *in principio*, sed ex alia adjuncta: *In principio erat Verbum;* unde obvius, & naturalis sensus exurgit, Verbum non incepisse *in principio*, sed jam fuisse ante principium, seu ex æternitate. Quamquam non desunt loca sacræ Scripturæ, in quibus hæc phrasis *in principio* æternitatem significat; ut Isaiæ XLIII. 12. *Dicit Dominus, & ego Deus, & ab initio ego ipse;* & Michææ V. 2. de Messia dictum est: *Egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis*, unde falsum est, quod nimia confidentia Socinus asseruit, *nusquam reperiri in sacris litteris principium pro æternitate usurpari*.

138. Falsum pariter est, voluisse S. Joannem imitari Moysem; nam vel ipso primo intuitu magna apparet inter utrumque differentia. Moyses enim dicit: *In principio creavit Deus cœlum, & terram;* & omnes facile intelligunt, cœlum, & terram non antea fuisse, sed tunc ex nihilo virtute Dei erupisse. Contra vero S. Joannes dicens, *In principio erat Verbum*, luculenter nos docet:

non

non tunc Verbum incepisse, sed antea jam fuisse.

139. Quod si etiam Socino concedamus, voluisse S. Evangelistam historiam novi mundi spiritualis texere, quemadmodum Moyses contexuerat historiam mundi materialis, quid inde contra nos? Satis enim nobis est, quod sacer scriptor altius ascendens, quam tres alii Evangelistæ, exordium suæ narrationis ab æterna Christi Domini Nativitate sumpserit, qua erat apud Patrem, antequam in hoc mundo appareret *caro factus*.

140. Ad secundum, Non solum temere, ac sine ullo fundamento, sed inepte omnino, & falso vocem *Verbi* explicat Faustus *metaphorice*, aut *metonymice*, quod Deus per Christum voluerit nobis suam manifestare voluntatem, quomodo Jo. Baptista dictus fuit *Vox*, & Aaron *Os Moysis*. Si enim res ita se haberet, non solum Christus Dominus, sed quilibet Propheta, & quilibet Apostolus, vel sacer scriptor, qui nobis Dei voluntatem patefaceret, posset *Verbum Dei* appellari; cujus appellationis nullum certum proferet exemplum ex sacris litteris, imo neque ab ecclesiasticis, vel profanis scriptoribus depromptum. Secundo idem S. Evangelista in Apocalypsi cap. XIX. 13. de Jesu Christo loquens, quem gloriosum vidit in cœlo, inquit: *Et vocabatur nomen ejus Verbum*; quod frustra tribueretur Christo singulariter, si nomen muneris esset, non vero Personæ. Tertio omnia, quæ de hoc Verbo a S. Joanne prædicantur, aperte demonstrant, ipsum esse veram Personam, nimirum fuisse apud Deum, fuisse Deum, omnia per ipsum facta esse, ac demum ipsum idem factum esse carnem. Quæ omnia metaphorice, aut metonymice dicta esse de Christo propter munus nobis manifestandi voluntatem Patris, nemini Socinus sua auctoritate persuadebit.

141. Ad tertium, nugatur Socinus, dum illud, quod S. Joannes dicit, *in principio fuisse Verbum apud Deum* ita interpretatur, in principio prædicationis Jo. Baptistæ extitisse quidem jam Christum, sed fuisse *apud Deum*, idest notum soli Deo. Nimis enim remota est, & a communi loquendi usu penitus aliena hæc explicatio. Quis enim, amabo, ad significandum ex. gr. judicii diem esse soli Deo notam, his vocibus uteretur: *Judicii dies est apud Deum?* Inscite prorsus fuisset S. Evangelista locutus, si nos docere voluisset, Christum, qui jam erat in mundo, fuisse notum soli Deo, dicendo: *Et Verbum erat apud Deum*. Sane, quando paullo inferius id exprimere voluit, obvia, omnibusque intelligibili phrasi usus esset, dicens: *In mundo erat, & mundus eum non cognovit*. Ulterius falsum est, initio prædicationis S. Jo. Baptistæ fuisse Christum soli Deo notum. Jam enim multo antea innotuerat Pastoribus, Magis, Zachariæ, Elisabeth, Simeoni, Doctoribus, cum quibus disputavit, & fortasse etiam aliis, præter sanctissimos ejus parentes Mariam, & Josephum.

142. Neque valet exemplum allatum ex Lucæ cap. II., quod Jesus *proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines*; quæ enim hic ab Evangelista Luca adduntur, periocham omnino claram efficiunt, ut intelligamus, Jesum Christum crevisse ætate, suamque sapientiam, & gratiam, quæ Deo nota jam erat, etiam hominibus manifestasse. Ex opposito autem, nonnisi Socino interprete, homines intelligere unquam potuerunt, ideo Verbum in principio fuisse *apud Deum*, quia soli Deo erat cognitum. Attendendus est autem totus Evangelistæ contextus, qui postea addit, *& Deus erat Verbum ... Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*. Quæ omnia plana sunt, si de æterna divini Verbi generatione, ejusdemque temporali nativitate intelligantur.

143. Ad quartum jam ex superius dictis n. 56. & seq., demonstratum omnino fuit, nomen Dei in vero, proprioque significatu fuisse Jesu Christo in sacris litteris sæpius tributum; ac præcipue S. Joannes, non solum in Evangelio, sed etiam in prima sua epist. cap. III. 46., ubi de Christo, qui est ipsum divinum Verbo *caro factum*, inquit: *Hic est verus Deus; vita æterna*. Ex quo autem alicubi dicatur, hoc nomen Dei fuisse Christo *donatum*, dubitari non potest de vera, ac consubstantiali ejusdem divinitate; cum potius debeamus ab opposito colligere, ideo fuisse Domino Nostro Jesu Christo donatum nomen Dei, quod est super omne nomen, quia verus Deus erat, & a Patre una cum divina natura hoc nomen acceperat.

144. Ad quintum pariter inscite, & supervacanee locutus fuisset S. Joannes, si nihil aliud nos docere voluisset, quam omnia, quæ pertinent ad mundi redemptionem, seu ad spiritualem rerum renovationem, per Christum Redemptorem facta esse, & sine ipso nihil esse factum; nam mera hæc esset battologia, nempe mundum redemptum fuisse per Christum ejus Redemptorem. Neque vero alienum erat a S. Joannis scopo, & instituto, ante omnia commemorare divinam Redemptoris mundi originem, & naturam, deinde vero maximum ejusdem beneficium, cum pro nostra salute carnem assumere dignatus est; ut ita ordine sane optimo, & pulcherrimo mundi redemptionem, & renovationem describeret.

145. Ad postremum quod attinet, non inficiabimur Socinianis, vocem ἐγένετο fuisse aliquando usurpatam pro *fuit*; dummodo & ipsi nobis concedant, quod plusquam certum est, eamdem vocem multo frequentius in sacris litteris significare *factum est*, nempe a verbo γίνομαι *fio*. Tota ergo controversia in eo erit, an hic Sanct. Joannes illa voce usus sit in proprio, atque usitatissimo significatu *fio*, an vero in minus usitato εἰμι *sum*. Ad hanc vero controversiam dirimendam satis fuerit observare, Sanct. Joannem in prima parte capitis primi decies plane adhibuisse vocem *erat* ἦν. Post autem in versic. 14. mutata loquendi ratione usus est verbo γίνομαι, dicens καὶ ὁ λόγος σὰρξ

ἐγένετο: *Verbum caro factum est*. Porro si voluisset dicere: *Verbum caro fuit*, ut Sociniani explicant, cur eodem verbo substantivo ἦν usus non est? Quænam reddi potest hujus mutationis causa? Nisi illa, quam nos assignamus, voluisse scilicet iis vocibus ineffabile Incarnationis mysterium exprimere.

146. Ulterius idem sacer Scriptor in versiculis superioribus eodem verbo ἐγένετο usus est, cum dixit: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est*. Tum postea: *Et mundus per ipsum factus est;* in quibus locis nemo dubitat vocem græcam ἐγένετο recte esse translatam in latinum *fio*. Cur ergo postea negabimus, fideliter fuisse in latinam linguam illud comma conversum καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο: *Verbum caro factum est?*

147. Addo, ineptam plane esse Socinianorum versionem *Verbum fuit caro;* ne scilicet Fideles in errorem inducerentur, credentes, Verbum esse Deum. Si hoc fictitii erroris periculum præcavere volebat Sanct. Joannes, non debuisset statim ab initio dicere: *Verbum erat Deus;* multoque minus in sua prima epistola Jesum Christum vocare *verum Deum*.

148. Frustra vero Sociniani objiciunt versiculum sextum, quem noster vulgatus interpres ex græco ἐγένετο vertit: *Fuit homo missus a Deo*. Frustra, inquam; ita enim verti debuit, propter participium *missus a Deo* ἀπεσταλμένος παρὰ Θεοῦ: quæ necessitas non erat in versiculo 14.

149. Frustra etiam vim nostri argumenti declinare conantur, nolentes, posse concludi, Verbum jam ante incarnationem extitisse, quia dicitur: *Verbum caro factum est;* quia, inquiunt, poterat Verbum dici factum caro, etiamsi antea non præextitisset; quemadmodum Gen. II. 7. dicitur Adam *factus in animam viventem*, cum tamen antea non præextitisset.

150. Respondeo enim, hoc ipsum Adami exemplum contra eos retorquendo: quia Adam reipsa formatus erat, quantum ad corpus, quando Deus inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, ut fieret in animam viventem. Quamquam etiam alia ratio est de Verbo Divino, quod a Sancto Joanne describitur existens jam in principio, hoc est ab æterno, & postea dicitur in tempore factum caro. Non quasi desierit esse Verbum, aut mutatum fuerit in carnem; sed quia carnem, idest humanam naturam, quæ usu non infrequenti a sacris scriptoribus appellatur *caro*, in consortium divinæ naturæ assumpsit; quod uberius declarabitur in Tractatu de Incarnatione.

151. Sed contra hæc omnia adhuc insurgunt cavillosissimi Sociniani, contendentes, ex toto Sancti Joannis contextu manifeste apparere, eo in capite non esse sermonem, nisi de principio prædicationis Joann. Baptistæ, quando Christus nondum innotuerat mundo, licet in mundo jam esset. Observant enim, versiculo 6. describi missionem Joann. Baptistæ iis verbis: *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes:* deinde post aliquot versiculos dici: *Et Verbum caro factum est;* qui ordo omnino præposterus esset, si de vera Verbi Incarnatione S. Evangelista locutus fuisset, quasi scilicet post prædicationem Baptistæ Verbum factum fuisset caro; quod constat esse falsum. Omnia vero recte fluunt, si dicamus, Christum Verbum Dei metaphorice vocatum, jam in mundo extitisse, soli Deo notum; tum postea Baptistæ prædicatione mundo manifestatum; ac denique illud Verbum proprie Deum non fuisse, sed carnem, seu hominem. Hic ordo, inquiunt, non solum rectus est, & planus, sed etiam aliis Jesu Christi verbis omnino conformis, quando dixit Discipulis suis Joann. XV. ultim.: *Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis*, ab initio, inquam, prædicationis S. Joannis.

152. Resp. Socinianos potius totum illius capitis ordinem perturbare, cum volunt, priora verba *in principio* esse referenda ad principium prædicationis Joannis Baptistæ; & postea versiculo sexto, ejusdem Baptistæ missionem describi; quasi scilicet prædicare incœpisset, antequam mitteretur. Debuisset enim Evangelista exordiri a missione Præcursoris, si voluisset de principio ejusdem prædicationis loqui; & postea dicere, fuisse jam in mundo Verbum, sed soli Deo notum. At vero tunc supervacaneum omnino erat Fideles monere, quod Verbum hoc *caro factum est*, cum jam superius dixisset, ipsum in mundo fuisse, quamvis mundo ignotum. Ecce quomodo cæcutiant oculatissimi Sociniani, & non solum sensum, sed totum etiam ordinem illius capitis perturbent, dum a plana recedunt, & vetustissima hujus loci explicatione, qua dicimus, primo a S. Evangelista fuisse descriptam æternam Verbi generationem, qua jam in principio erat apud Patrem, & Deus erat; post autem missionem S. Joannis Baptistæ præcursoris, qui natus erat in mundo, antequam Verbum caro factum appareret; ac postremo ejusdem Verbi nativitatem; unde proprie inchoatum est magnum illud nostræ redemptionis opus.

153. Verba autem Jesu Christi ad Discipulos Joann. XV. nihil aliud significant, quam potuisse eos verax testimonium reddere omnium eorum, quæ Christus gesserat, ac docuerat, quoniam ab initio cum illo fuerant. Hoc autem quamnam connexionem habeat cum textu illo decretorio S. Joannis, nemo certe præter Socinianos viderit.

154. Instant tamen adversarii. Annon admissa nostra expositione ordo est præposterus, cum versic. 10. dicatur de Verbo, quod *in mundo erat, & mundus per ipsum factus est;* & postea versic. 14. *Et verbum caro factum est?* Nempe dicendum erit, Verbum fuisse in mundo, antequam carnem assumeret, immo antequam mundus fieret. Hæc autem ordinis, & rerum inversio facile evitatur, si primo, nomine Verbi intelligatur homo Christus: secundo, si dicamus hunc hominem

latuisse apud Deum ignotum mundo, in quo erat: tertio, hunc mundum ab ipso factum fuisse, non creatione, sed renovatione: demum Verbum non *factum* fuisse, sed semper *fuisse* carnem, seu purum hominem.

155. Resp., ut jam dictum est, nullam esse sensus, aut verborum perturbationem in toto illo contextu, si intelligatur eo modo, quo semper intellectus, & explicatus fuit. Scilicet exposita æterna Verbi generatione, Evangelista versu sexto incipit enarrare missionem Præcursoris, qui debebat mundo Salvatorem manifestare, inquiens: *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes* &c. postea nos monet, hunc Præcursorem non fuisse lucem, *sed ut testimonium perhiberet de lumine:* tertio hanc lucem fuisse ipsum Christum, qui jam in mundo erat: quarto mundum obcæcatum non vidisse hanc fulgentissimam lucem, seu Verbum divinum, quamvis mundus per ipsum factus esset, utpote per quod facta sunt omnia: denique hoc Verbum, quod annunciaturus erat Jo. Baptista, carnem assumpsisse, & habitasse in nobis. Neque vero aliqua brevis repetitio, aut transpositio sensum perturbat, aut obscurat, ut cum regius Psaltes in Psal. XCIV. ita nos invitat: *Venite, adoremus, & procidamus, & ploremus ante Dominum, qui fecit nos*, nemo adeo morosus erit, ut Psalmistam reprehendat, quod non prius monuerit, nos esse factos a Deo, & postea nos invitaverit ad ipsum adorandum &c.

156. Objiciunt insuper contra illa verba: *Omnia per ipsum facta sunt*, acute observantes, primo non esse dictum, omnia *creata*, sed *facta* esse; contra ac in Genesi de vero Deo dicatur: *In principio creavit Deus cœlum, & terram.* Hoc discrimen facit, ut intelligamus, S. Joannem non agere de veri hominis creatione, sed de spirituali mundi renovatione, quæ per Christum facta est. Secundo notari volunt illam præpositionem *per*, quæ non indicat causam principalem, sed instrumentalem solum, qua Deus usus sit in mundi renovatione per Christum facta. Ex utraque autem animadversione sequitur, Jesu Christo non tribui illam omnipotentem virtutem, quæ soli Deo convenit.

157. Resp., in sacris litteris has duas voces *creare*, & *facere* promiscue nonnumquam sumi; ut cum in Psalm. XCIV. 5. de Deo Creatore dicitur: *Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud;* & in alio Psalmo CXLVIII. *Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt.* Et Moyses ipse postquam dixerat, *creasse* Deum cœlum, & terram, describens postea eandem singularem rerum creationem, utitur verbo *facere; fiat lux, & facta est lux.* Ex adjunctis postea eruitur, an Scriptura loquatur de vera creatione, quæ est productio ex nihilo, an de sola mutatione. In Evangelio autem S. Joannis apertissime liquet, sermonem esse de vera, & propria creatione; quandoquidem dicitur, *omnia* per Verbum facta esse, & sine ipso factum esse *nihil;* quod utique non potest dici, nisi de vera creatione ex nihilo.

158. Exigui autem momenti est illa cavillatio de præpositione *per;* etenim, ut bene norunt, qui prima græcæ linguæ rudimenta didicerunt, particula Διὰ significat etiam *ex*, vel *ab*, seu causam principalem. Sic in prima epist. ad Corinth. I. 1. dicitur: *Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei;* & versic. 9. *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus Jesu Christi Domini Nostri;* utrobique enim habetur particula Διὰ. Hoc autem in loco particulam *per* non significare causam instrumentalem, patet ex adjunctis, cum ibi Verbum dicatur *Deus*, & Christus appelletur *Unigenitus in sinu Patris.* Recte igitur S. Joannes Damascenus Lib. I. *De fide orthodoxa* c. 8. inquiebat, *Patrem quidem omnia facere per Filium, non tamquam per servile organum, sed tamquam per virtutem naturalem, & subsistentem.* Vide sup. num. 79.

CAPUT VII.

Vera, & Patri consubstantialis Domini Nostri Jesu Christi divinitas probatur ex traditione Sanctorum Patrum.

159. Sociniani dogma divinitatis D. N. Jesu Christi sæculo IV. ineunte natum esse blaterant, & a Patribus Nicænis male confirmatum, cum veteribus Christianis fuerit prorsus ignotum (*a*). Dolendum est, a nonnullis Sanctissimæ Trinitatis defensoribus aliquorum veterum Patrum, qui Nicænam Synodum præcesserunt, vocanturque propterea *Ante-Nicæni*, fidem fuisse in dubium revocatam (*b*); quæ dubitatio si admittatur, qui non videt, quantum Socinianorum causa juvetur; eorum præcipue,

(*a*) Dan. Zwickerus in *Irenico Irenicorum* Nicænos Patres *novæ fidei conditores* appellare non veretur; cui consentiunt Steph. Curcellæus in *Quaternione dissertationum*, Christoph. Sandus in *Nucleo historiæ*, & alii passim Sociniani.

(*b*) Ita Dion. Petavius Lib. I. *de Trinit.* cap. 3. & seq., & Petrus Dan. Huetius in *Origenianis* Lib. II. cap. 2. quæst. 2. Quamquam Petavius, quæ ei imprudenter e calamo exciderant, ex parte saltem demitigare visus est in Præfat. ad Tom. II. *de Trin.* Petrus Jurius in suo *Tableau du Socinianisme* let. 6., ut incomparabili Bossueti Libro *de Variationibus Eccles. Protestantium* responderet, probare conatus est, antiquam etiam Ecclesiam aliquando in sua fide variasse, ac potissimum in mysterio SS. Trinitatis; damnatam enim Arii doctrinam *omnium Theologiam nemine excepto ante Nicænam Synodum fuisse;* cujus hominis temeritatem, & impudentiam laudatus Bossuetus castigevit in VI. *Avertissement aux Protestans.* Imo & Petrus Bælius hinc occasionem sumpsit, Jurium, cujus minime amicus erat, acriter insectandi in suo libro inscripto: *Janua cælorum reserata cunctis religionibus*

pæ, qui hoc sacrosanctæ Religionis dogma non quidem aperte negare audent, dubii tamen, & ancipites hærent, an fuerit semper, & ubique in Ecclesia creditum? Vide Dissert. I. num. 25. Plura hac de re dabunt duo eximii fratres Petrus, & Hieronymus Ballerinii, qui S. Zenonis Episcopi Veronensis Sermones recensuerunt, & dissertationibus, perpetuisque adnotationibus illustrarunt Veronæ 1739. Dissert. II. cap. 1. & seq.

160. Sed contra hos divinitas D. N. J. Christi probatur primo vel ex eo solo, quod statim ac prodiit blasphema Arii doctrina, omnium animos novitate sua offendit; unde impius Dogmatistes, tanquam novator, & hæreticus una cum aliis paucis ejus asseclis communi omnium suffragio *ab Ecclesia, quæ Christi divinitatem adorat, ejectus est;* ut S. Alexander Alexandrinus Episcopus refert apud Theodoretum Lib. I. *Hist. Eccl.* c. 4. Quod etiam antea contigerat Ebioni, Artemoni, Paulo Samosateno, Theodoto Coriario, Noeto, Sabellio, omnibusque iis, qui ab avita Fidelium doctrina recesserunt. Sufficiant verba Patrum Antiochenorum in Professione fidei contra Paulum Samosatenum: *Decrevimus*, inquiunt, *fidem scripto edere, & exponere, quam a principio accepimus, & habemus traditam, & servatam in catholica, & sancta Ecclesia usque in hodiernum diem* &c. Et pariter in alia epistola Synodica ab Eusebio nobis servata Lib. VII. *Hist. Eccl.* cap. 30. Paulum condemnat, quod *ab regula discedens ad falsas, & adulterinas doctrinas transierit*. Idipsum statim ab initio contigit novatori Ario.

161. Sed postea cum idem turbulentus Hæresiarcha non resipisceret, & novos, ut sæpe fit, erroris sui patronos, vel asseclas nancisceretur, ad controversiam tanti momenti definiendam generale demum Concilium Nicææ in Bithinia an. 325. celebratum est, ubi ex 318. Patribus, qui illuc ex toto orbe convenerant, nonnisi pauci inventi sunt, qui Arii blasphemiis occulte patrocinarentur, ut Theodoretus narrat Lib. I. *Hist. Eccl.* c. 7. Quinque tantum recensentur a Socrate (a); ceteri omnes Arii impietatem, atque amentiam, & verba blasphemiæ plena *ne audire quidem patienter sustinuerunt*, ut dicitur in Epist. Synodica apud Socratem Lib. I. *Hist. Eccl.* cap. 9.

162. Dices primo (cum Jo. Clerico *Defense des sentimens des Theologiens de Hollande* Sect. 4.). Testatur Eusebius Lib. III. *de Vita Constantini* cap. 13. nonnisi post multas concertationes potuisse in Concilio Nicæno ad concordiam perveniri. Et Eutychius (apud Seldenum *de Orig. Alexandr.* pag. 46.) addit, Constantinum fuisse miratum, cum audivit tot sententiarum Episcoporum discrimina: non igitur communis, & universalis Sanct. Patrum traditio erat Arii sententiæ opposita.

163. Resp. Id mirum non esse; quamvis enim omnibus pene Patribus de vera Christi divinitate plane ad veritatem persuasum foret, inevitabiles tamen erant concertationes ad Arianorum sophismata retundenda. Quamquam Eusebius de particularibus potius controversiis, quæ inter Episcopos fervebant, loqui videtur. Ceterum *unius fidei consonantiam apud omnes obtinuisse*, Eusebius ipse testatur ibidem cap. 14. Eutychio autem Scriptori X. sæculi non magis credendum est, cum tantas Episcoporum dissensiones narrat, quam cum numerum Nicænorum Patrum 2048. fuisse fabulatur; scilicet illius historia nihil fere est aliud, quam fabularum complexio.

164. Dices secundo. Si communis erat de Christi divinitate Fidelium sententia, quomodo postea adeo crevit Ariana factio, ut totum simul Orientem, atque Occidentem pervaderet?

165. Resp. vivente Constantino Imperatore Nicænam fidem ubique in Ecclesia semper floruisse; sub Constantio autem ejus filio, vel tunc etiam quando Ariana factio maxime grassabatur, nunquam multos fuisse, qui Christi divinitatem aperta fronte impugnare auderent. Imo quotiescumque id aliqui ausi sunt, ut Photinus, Aetius, Eunomius, & pauci alii, illos omnis fere multitudo execrata est. Qui Ecclesiam vehementissime conturbarunt, fuere potius Semi-Ariani, qui solam vocem ὁμοούσιον reprehendere se profitebantur, tanquam novam, & inusitatam; quorum sententia multis subtilitatibus involuta incautis fucum fecit. Ceterum non deerant inter Semi-Arianos, qui a Catholicis nonnisi verbis dissidebant. Sed quidquid sit, isti omnes simul Ariani, & Semi-Ariani turbas quidem multas excitare ubique potuerunt, non potuerunt tamen veterem, atque universalem de Christi divinitate traditionem superare, & fides Nicæna illi innixa ubique demum divino propitio Numine triumphavit.

166. Prob. secundo, communem fuisse in Ecclesia traditionem veræ, & consubstantialis Jesu Christi divinitatis ex hæresi Sabelliana orta sæculo III. Non minus enim Sabelliani, quam Catholici consentiebant, Jesum Christum esse verum Deum; & omnis gravissimæ illius controversiæ cardo in eo situs erat, an ipsa Patris persona carnem induisset, ut Sabelliani errantes opinabantur; an vero alia distincta a Patre persona, ei tamen consubstantialis facta esset caro, quemadmodum fide divina credebant Catholici. Ubi etiam observandum est, diligentissime cavisse Catholicos, ne dum plures contra Sabellii hæresim prædicabant di-

a celebri admodum viro Petro Jurio. Qua de re agit D. de la Monnoye *Hist. de M. Bayle, & de ses ouvrages*.

(a) Lib. I. *Hist. Eccl.* cap. 8.; scilicet Ario faventes Eusebius Nicomediensis, Theognis Nicææ, Maris Chalcedonis, Theonas Marmaticæ, & Secundus Ptolemaidis Episcopi.

divinas personas, Dei substantiam dividerent, ac separarent; quod maxime apparet in accusatione Dionysii Alexandrini, de qua paulo inferius dicemus.

167. Tertio. Quotquot primis Ecclesiæ sæculis contra divinæ incarnationis mysterium pugnarunt, sive Judæi, sive Ethnici, sive etiam Hæretici, omnes huic principio innitebantur, absurdum, & incredibile esse, Deum summum humanam carnem assumpsisse: ergo hi omnes certum, ratumque habebant, a Christianis Jesum Christum ut verum Deum coli; alias nulla erat contradicendi causa.

168. Antecedens probatur primo de Judæis. Trypho *omnium tunc temporis Judæorum celeberrimus* (ut eum vocat Eusebius Lib. IV. *Hist. Eccl.* cap. 18.) Trypho inquam apud S. Justinum in *Dialogo* num. 68. *Rem prorsus incredibilem*, inquit, *& quæ omnino fieri non possit, demonstrare aggrederis, Deum nasci, & hominem fieri dedignatum non esse*. Secundo, hoc ipsum non minus absurdum videbatur Ethnicis, & Gentilibus, ut apparet ex libris Origenis *contra Celsum*, ex Arnobio Lib. I. *contra Gentiles*, & ex Lactantio Lib. IV. *Divin. instit.* cap. 22. Demum Basilides, Saturninus, eorumque magister Menander cum reliquis Docetis, & Phantasiastis non alia de causa veram Christi Domini carnem negarunt, nisi quia plusquam prodigium eis videbatur, veram divinitatem potuisse carni copulari, ut inter alios testatur Tertullianus Lib. III. *adv. Marcionem* capit. 8.

169. Sed nec illud prætereundum est, Catholicos fuisse ingenue confessos Judæis, Gentilibus, atque Hæreticis, mysterium divinæ Incarnationis nulla posse ratione demonstrari, aut plane intelligi; credendum tamen esse propter divinam sacrarum Scripturarum auctoritatem. At vero neque difficile, neque humanam rationem superexcedens mysterium Incarnationis divinæ videri poterat, si non Verbum divinum, Patri æterno consubstantiale, sed creatura aliqua utut perfectissima carnem induisset: ergo constans apud omnes traditio erat, a Catholicis Jesum Christum, ut verum Deum, Patrique consubstantialem in humana carne assumpta adorari.

170. Probatur præterea vera, ac consubstantialis Jesu Christi divinitas ex Patrum græcorum testimoniis. Exordimur autem a S. Ignatio Martyre, dicto *theophoro* (a). Hic in suis genuinis epistolis Jesum Christum sæpius *Deum* nominat, & quidem *omnipotentem; qui dicit, & factum est*, ad Ephesios num. 15. *omniscium: nihil latet Dominum* ibidem; *æternum: qui ante sæcula apud Patrem erat*, ad Magnesianos n. 7.; unum denique cum Patre: *qui ab uno Patre procedit, & in uno existit, unumque comprehendit* ibidem n. 7. Atque ut plura alia omittam, insignis est ille locus in epist. ad Ephesios num. 7. *Medicus autem unus est, & carnalis, & spiritualis, factus, & non factus, in homine existens Deus, in morte vita vera, & ex Maria, & ex Deo ... Jesus Christus Dominus noster* (b).

171. Ignatio proxime succedit S. Polycarpus Martyr, ex cujus epistola ad Philippenses inanem triumphum agunt Unitarii, quod nihil in ea, ut ipsis videtur, de Christi divinitate reperiatur. Nam primo in eadem epistola non pauca, nec levia esse divinitatis Jesu Christi vestigia, viri docti observarunt. Præterea, si etiam id brevitatis gratia daremus, quidnam luculentius pro vera, ac consubstantiali Christi divinitate esse potest iis verbis, quibus jam jam flammis devorandus ita precatus est: *Te* (Pater) *benedico in omnibus, & glorifico per æternum Pontificem omnipotentem Jesum Christum, per quem tibi, & cum ipso, & cum Spiritu sanctó gloria nunc, & in futurum in sæculis sæculorum. Amen*. Apud Ruinart in *Actis Martyrum Synceris* pag. mihi 31.

172. Istis apostolicis scriptoribus succenturiandus est S. Justinus Martyr, qui cum ipsis vixit, & sæculo II. martyrium subiit. Hic vero Christum Dominum appellat *solum proprie filium Dei* in Apologia II. n. 6., *& Deum solius ingeniti, & inenarrabilis Dei Filium* in Dialogo cum Tryphone n. 126.; & ulterius in Apologia I. n. 63. de eodem Jesu Christo Servatore nostro inquit: *Qui cum Verbum sit, primogenitum Dei, Deus* et-

(a) Epistolam S. Barnabæ, quam sin minus genuinam, ut Hammondo, Isaaco Vossio, aliisque visum est, antiquam saltem esse negat nemo, brevitatis causa omisimus; eademque de causa Hermam, ne cum Blondello, Sculteto, Rivero, aliisque similibus Criticis de ejus auctoritate litigantes longius procederemus. S. autem Ignatium in græcis Patribus numeramus, quod græce scripserit, quamvis communis opinio sit, eum fuisse Syrum.

(b) Epistolas hujus S. Martyris laudamus, non quales in Biblioth. SS. Patrum inveniuntur interpolatæ, & corruptæ, sed quales ex Mss. Bibliothecæ Mediceæ summo studio, & diligentia græce evulgavit Isaacus Vossius, latine autem publici juris fecit Usserius Armacanus ex duobus Mss. in Anglia repertis, & quæ ab ipsis heterodoxis Nic. Videlio, Henr. Hammondo, Guill. Cave, Jo. Pearsonio, aliisque contra Dalleum, & Salmasium ita vindicatæ sunt, ut mirabile videri debeat, Guill. Whistonum irrito conatu antiquas restituere voluisse; quasi illæ, quas genuinas esse credimus, fuerint a S. Athanasio mutilatæ, & interpolatæ. Neque audiendus est Laur. Moshemius, qui in *Comment. de rebus Christianorum ante Constantinum* Sæc. I. §. 52. hanc litem adhuc sub judice esse vult, & fortasse eas epistolas, quas pro sinceris habemus, non esse nisi epitomen aliarum longiorum. Quamvis quantum ad præsentem controversiam attinet, etiam ex longioribus illis epistolis facile confutatur Ariana hæresis. Vixit autem S. Ignatius usque ad initium Sæculi II., fuitque secundus post S. Petrum Antiochenus Episcopus.

etiam est. Ac denique in Dialogo cum Tryphone n. 61. ita explicat generationem Verbi a Patre: *Sicut videmus ex igne alium ignem nasci, non imminuto illo; ex quo iste accensus est, sed eodem manente; & qui ex eo accensus est, extat ipse & apparet*, nec eum imminuit, *ex quo accensus est*. Et ne diceretur, ignem ex alio igne generatum separatim existere, occurrit huic difficultati Justinus, monens, Verbum a Patre separari non posse. Nam inferius n. 122. eadem repetens, quæ prius dixerat, subdit: *Verbum a Patre abscindi, aut separari non posse, quemadmodum lux solis in terra abscindi, & separari nequit a sole qui est in cœlo; & cum Sol occidit, lux simul occidit*; qua similitudine nihil melius inveniri potest in rebus creatis ad explicandam æternam Verbi divini generationem.

173. Eodem sæculo Ecclesiæ II. floruit Athenagoras Christianus Philosophus, qui in præclara illa *Legatione*, quam M. Aurelio, ejusque filio Commodo obtulit, calumniam atheismi Christianis irrogatam dispungens, ita totam sanctissimam Trinitatem commendat: *Quis igitur non miretur, cum atheos vocari eos audiat, qui Deum Patrem, & Filium Deum, & Spiritum sanctum asserunt, eorumque & in unione potentiam, & in ordine distinctionem demonstrant?* Ubi apertissime & potentiæ, seu substantiæ unitatem prædicat contra Arianos, & personarum distinctionem fatetur contra Sabellianos. Et profecto si Athenagoras naturæ distinctionem in tribus divinis personis posuisset, qua fronte ausus ipse fuisset polytheismi insaniam in tota illa sua *Legatione* reprehendere?

174. Theophilus, sextus post S. Petrum Antiochenus Episcopus, primus invenitur, qui *Trinitatis* nomen usurpavit (*a*), inquiens Lib. II. num. 15.: *Tres dies, qui ante luminaria fuerunt, imago sunt Triadis, Dei, ejus Verbi, ejusque Sapientiæ*; ubi nomine *Sapientiæ* manifestum est, non Filium intelligi, ut male Petavio visum fuit Lib. I. c. 3. n. 6. sed Spiritum sanctum; tum quia nulla amplius esset Trias, quam ibi commendat; tum quia alibi Spiritum sanctum hoc eodem *Sapientiæ* nomine designat. *Deus*, inquit Lib. I. n. 7. *& Sapientia per Verbum condidit universa. Nam Verbo ejus firmati cœli, & Spiritu ejus omnis virtus eorum*; tum demum quia nec desunt aliorum exempla, Irenæi, Origenis, & Marii Victorini, qui, ut Petavius ipse observat Lib. VII. *de Trinit.* c. 12. hoc eodem nomine Spiritum sanctum appellant; fortasse ut Didymus opinatur in Lib. *de Spiritu sancto*, quia in divinis literis Spiritus sanctus dicitur *Spiritus sapientiæ*. Neque vero obest, quod idem Theophilus alibi Filium appellat *Sapientiam*; nam propter essentiæ unitatem idem nomen, quod relativum non est, utrique personæ tribui potuit.

175. Eadem ætate Lugdunensem in Gallia administrabat Ecclesiam, sed natione græcus erat, S. Irenæus, fidissimus S. Polycarpi discipulus, cujus sermonibus memoriæ mandatis contra hæreses maxime decertare solebat, ut refert Eusebius Lib. V. *Hist. Eccl.* cap. 20; quare dum Irenæi doctrinam cognoscimus, etiam S. Polycarpi fidem certo certius colligere possumus. Irenæus itaque Lib. V. *contra hæreses* cap. 17. n. 3. Christum fuisse Deum probat, quia peccata dimittebat: dimittere autem peccata nemo potest, nisi solus Deus; unde concludit, fuisse eum Deum simul, & hominem; *ut quomodo homo compassus est nobis; tanquam Deus misereatur nostri, & remittat nobis debita nostra, quæ factori nostro debemus Deo*. Et antea Lib. II. cap. 25. Verbum dicit *non factum*, & Patri suo coæternum; *non enim*, inquit hominem alloquens, *infectus es, o homo, neque semper coexistebas Deo, sicut proprium ejus Verbum*. Ac, ut multa alia prætercam, Filium æqualem Patri asserit, imo cum Patre Lib. IV. c. 4. ubi illud laudat ab aliquo præclare dictum, *Patrem in Filio mensuratum; mensura enim Patris Filius, quoniam & capit eum*; & iterum cap. 28. n. 3. *Unus & idem Deus, Pater, & Verbum ejus*.

176. In Asiana Ecclesia eodem tempore celebris erat Melito Sardensis Episcopus, cujus hoc insigne de J. C. divinitate fragmentum nobis servavit Anastasius Sinaita ὁδηγῷ cap. 13. *Quæ post baptismum a Christo gesta sunt, maxime miracula, latentem ejus divinitatem potissimum mundo comprobabant & confirmabant. Cum enim Deus simul & homo perfectus esset, duas naturas ejus nobis patefecit; divinitatem quidem per miracula triennio illo post baptismum patrata; humanitatem vero suam triginta illis annis baptismum antegressis, quibus carnis vilitas tegebat, & abscondebat divinitatis signa, tametsi verus Deus esset, & sempiternus*. Vide in Tom. IX. Biblioth. Max. S. Patrum Lugdun. pag. 843.

177. Sæculum II. claudit Clemens Alexandrinus, qui teste Ruffino *de adulteratione librorum Origenis*, in omnibus pene libris suis sanctissimæ Trinitatis gloriam, & æternitatem unam, eamdemque designat. Et quidem sæpissime Christum Jesum appellat *Deum*. *O magnum Deum!* inquit Lib. I. *Pædagogi* cap. 5. *O perfectum puerum! Filius in Patre & Pater in Filio*. Ibidem cap. 3. duplicem in Christo distinguit naturam, divinam, & humanam: *In omnibus*, inquit, *prodest Dominus, & ut homo, & ut Deus; peccata quidem dimittens ut Deus*, ne peccemus au-

(*a*) Nomen *Trinitatis* invenitur quidem in *Actis S. Andreæ*. Sed an genuina illa sint, valde dubitant eruditi. Videri possunt Nat. Alexander *Hist. Eccl. Sæc.* I. c. 12. art. 10., aliique passim Historici, & Critici.

autem, *instituens ut homo*. Et celebris denique est illa ejusdem Clementis oratio in fine Libri III. *Pædagogi*: *Sis propitius tuis, o pædagoge, pueris, Pater, Auriga Israel, Fili, & Pater, unum ambo, Domine ... gratias agentes laudemus unum Patrem, & Filium ... una cum sancto Spiritu, qui unus est omnia*.

178. Inter græcos III. sæculi Patres, qui Christi veram confessi sunt divinitatem, eminet S. Hyppolitus Episcopus Portuensis, & Martyr, qui fuit S. Irenæi discipulus. Hic in Libro contra Noetum (*a*) de Christo inquit: *Qui est super omnia Deus benedictus, genitus est, & homo factus est, Deus in sæcula*. Et rursus n. 8. *Necesse ergo etiam est*, inquit, *ut quamvis nolit, confiteatur Deum Patrem omnipotentem, & Christum Jesum Filium Dei, Deum factum hominem ... & Spiritum sanctum, & hos esse vere tres*.

179. Eodem sæculo III. magna doctrinæ, & pietatis laude florebat Sanct. Gregorius Neocæsareæ in Ponto Episcopus, ob multitudinem miraculorum *thaumaturgus* dictus (*b*); cujus superest adhuc celebris illa confessio fidei, qua nihil expressius desiderari potest ad Jesu Christi divinitatem, totamque augustissimam Trinitatem confirmandam. *Unus Deus Pater Verbi viventis ... Unus Dominus solus ex solo ... Deus ex Deo .... unusque Spiritus sanctus ex Deo existentiam habens .... Trinitas perfecta, quæ gloria, & æternitate, ac regno, & imperio non dividitur, neque abalienatur*.

180. Neque vero audiendi sunt, qui cum Sandio *de Scriptor. Eccles.* pag. 19. hanc fidei confessionem in dubium revocare audent; propterea quod ejus mentionem neque Eusebius faciat, neque Hieronymus, neque Sophronius (*c*). Non inquam: nam silentio Eusebii opponimus S. Gregorium Nyssenum in Vita ejusdem S. Gregorii thaumaturgi, qui testatur, sua adhuc ætate autographum illius professionis fidei in Ecclesia Neocæsariensi extitisse, eademque catholicam plebem instrui consuevisse. Opponimus Ruffinum Libro VII. *Hist. Eccl.* cap. 26., & Synodum V. generalem. Eusebius autem nec aliqua alia memorat S. Gregorii opera, unde & de hoc silere potuit; tacente autem Eusebio, mirandum non est, etiam S. Hieronymum tacuisse, qui in suo *Catalogo* Eusebii historiam fere unice secutus est. Sophronius demum nonnisi Hieronymi interpres fuit (*d*).

181. Gregorio Neocæsariensi coævus fuit Dionysius Alexandrinus. Hic cum hæresim Sabellianam variis epistolis acriter confutasset, accusatus est apud sibi cognominem Rom. Pontificem, quod ita personas in sancta Trinitate distingueret, *ut Filium rem factam, & Patri non consubstantialem affirmaret* (apud S. Athanasium in Lib. *de Synodis* num. 47., & *de Synodi Nicænæ decretis* pag. n. 273.) Romanus Pontifex Dionysium Alexandrinum illatæ accusationis commonere non prætermisit, simulque Synodi Romanæ sententiam ei misit, qua non minus illi, qui divinas personas confundebant, quam qui substantiam separabant, condemnabantur. Dionysius autem Alexandrinus datis ad Dionysium Romanum litteris, additoque etiam libro περὶ ἐλέγχω ϗ ἀπολογίας suam fidem cumulate purgavit, ut Sanctus Athanasius refert in epist. *de sententia Dionysii contra Arianos*.

182. Nihil profecto esse potest hac historia illu-

(*a*) S. Hyppolitum fuisse Episcopum Portuensem, ostendit Constantinus Ruggerius in Diss. *de Portuensi S. Hyppoliti Episcop. & Mart. Sede*, edita ab Achille Ruschio Romæ 1771. Natalis Alexander in Sæc. III. cap. 4. art. 1. dubiam dicit *Homiliam de trino, & uno, & mysterio incarnationis contra hæresim Noeti* a Gerardo Vossio editam. Sed eam pro genuina habet D. Rem. Ceillier *des Auteurs Eccles.* Tom. II. cap. 28. art. 5. putans, minus recte fuisse huic operi nomen *homiliæ* tributum: cum potius videatur esse conclusio *Tractatus contra omnes hæreses*, quem tractatum memorat Gelasius Papa Tomo VIII. *Biblioth.* Patrum pag. 104.

(*b*) *Qui propter donorum excellentiam, quæ in ipso operabatur Spiritus in omni virtute, & signis, ac prodigiis, ab ipsis veritatis hostibus alter Moses appellabatur*. Hoc illi elogium texuit S. Basilius in Lib. *de Spiritu sancto* cap. 29.

(*c*) Seu quilibet alius auctor græci *catalogi Scriptor. Ecclesiasticorum*, quem Erasmus Basileæ sub nomine Sophronii edi curavit an. 1526. Sed Erasmum hallucinatum esse contendit Isaac Vossius in notis ad epistolas S. Ignatii p. 357.

(*d*) Reprehenditur a Georgio Bullo in *Defensione fidei Nicænæ* Sect. II. cap. 23. §. 3. Phil. Labbeus, quod in Dissert. *de Scriptor. Ecclesiastic.* dixerit: „ Certum quidem est, teste S. Gregorio Nysseno, in Thaumaturgi vitam, Deiparam cum S. Jo. Evangelista apparuisse, ut expositionem fidei Catholicæ illi traderet. Sed an ea sit Vossiana, jure dubitat Bellarminus, quem vide cum Petavio Tomo II. *Theolog. dogmatum*, qui negat. “ Observat autem Bullus, de hac re nunquam dubitasse Bellarminum, imo illam pro certa habuisse, ut cuivis ipsum consulenti Bellarminum patebit. Pergit postea subdens: „ Falsum quoque est, Petavium negasse, Confessionem illam, prout a Vossio edita est, Gregorii esse genuinam, imo illam citat, ut Gregorii, *& illustre monumentum traditionis ecclesiasticæ, ac catholicæ de Trinitate professionis* diserte appellat Præfat. in Tom. II. c. 4. n. 5. “ Hactenus Bullus. Cui tamen addendum est, reipsa Petavium alio in loco, nempe Lib. VIII. *de Trin.* cap. 1. n. 11. asseruisse, illam Gregorii Thaumaturgi professionem, quæ κατὰ μέρος dicitur, *germanam illius non videri*. Labbeus fortasse lapsus est, confundens hanc fidei expositionem cum alia longiore Fidei professione, quam genuinum esse S. Gregorii fœtum, jure dubitat Bellarminus. Ceterum de illa parva fidei expositione, quam laudavimus, confer. Petrus Kollarius in *Analectis Vindobonensibus* Tom. I. pag. 364. & seq.

lustrios, ad comprobandam antiquam traditionem, quæ in duabus principibus Ecclesiis, Romana scilicet omnium matre, & magistra, atque Alexandrina, quæ tunc secundum obtinebat locum, de vera Jesu Christi, ac consubstantiali divinitate vigebat. Quia enim Dionysio Alexandrino, æstu disputationis contra Sabellianos abrepto aliquid fortasse non omnino accuratum calamo exciderat, quo vera, consubstantialisque Verbi divinitas lædi videbatur, tanquam violatæ fidei reus apud Dionysium Rom. Pont., ac supremum totius Ecclesiæ caput accusator: in Ecclesia ergo Alexandrina, imo in toto illo amplissimo Patriarchatu fides, & doctrina de vera, consubstantialique Verbi divinitate integra, atque inviolata vigebat.

183. Porro in re tanti momenti Dionysius Rom. Pont. Synodo coacta non minus errare eos definivit, qui cum Sabellio unam tantum personam divinam admittunt, quam qui *dividunt, & secant, & evertunt religiosissimum dogma Ecclesiæ Dei, monarchiam in tres quasdam virtutes partientes, & divisas hypostases, ac deitates tres* (epist. Synod. in Tom. I. *Concil.* pag. 1011. edit. Ven. 1759.): ergo & in Ecclesia Romana omnium aliarum magistra eadem traditio de vera,atque consubstantiali Verbi, ac Spiritus sancti divinitate vigebat.

184. Demum Dionysius Alexandrinus suam fidem plene purgavit, non quidem palinodia recantata; nunquam enim a communi majorum traditione recesserat; sed iis explicatis, quæ a suis adversariis haud recte fuerant intellecta; seu, ut verbis utar S. Athanasii in ep. *de sententia Dionysii Alexandrini*, in qua totam hujus rei historiam accurate describit. Dionysius *opus edidit, sub nomine elenchi, & apologiæ, ubi sceleratam officinam Christi rebellium redarguit, & quo pacto hanc infamiam contra ipsum excitarint demonstrat* (a).

185. Christoph. Sandius (*in Nucleo Hist.* Lib. I. & in *Scriptor. Eccles.*) hanc Dionysii *apologiam* fictitiam esse contendit; primo quia Sanct. Hieronymus, & Eusebius nullam ejus mentionem faciunt: secundo quia Dionysius Alexandrinus jam obierat, quando Dionysius Romanus summum Pontificatum adeptus est.

186. Verumtamen primum Sandii argumentum mere negativum nullius est ponderis, postquam hujus apologiæ clarissima invenitur mentio apud S. Athanasium, & apud S. Basilium epist. 41. Quanquam Eusebius non omnino silet, ut mox videbimus.

187. Alterum vero est omnino falsum; & Sandii error inde ortus est, quod Eusebius Lib. VII. *Hist. Eccl.* cap. 27. lapsus sit in chronologia Romanorum Pontificum; nam Xisto prædecessori Dionysii tribuit XI. annos Pontificatus, cum tamen, observante Valesio (ibidem in nota), nonnisi triennio fere regnaverit; quare Pontificatus Dionysii octo annis retrahendus est, ut proinde ambo Dionysii simul Ecclesiam administraverint, alter quidem Alexandrinam, alter vero Romanam, & universalem. Ceterum idem Eusebius cap. præced. inter alia Dionysii Alexandrini opera enumerat quatuor libros de Trinitate Dionysio Romano Pontifici gentili suo nuncupatos; qui quidem non alii sunt, quam quos pro sua defensione contra Episcopos Pentapolitanos conscripsit, ut recte ibidem Valesius observat.

188. Prob. tertio divinitas D. N. Jesu Christi ex Patribus latinis; ac primus occurrit antiquissimus S. Clemens Romanus, qui S. Petro post Linum in Apostolica Sede successit. Ita enim in sua prima epistola num. 2. Corinthios alloquebatur: *Dei viatico contenti, & sermonibus illius diligenter attendentes, dilatati eratis in visceribus, & passiones ejus præ oculis vestris erant &c.*, ubi, observante Cotelerio, Dei nomen Christo tribuitur, quia verba illa *passiones ejus* nonnisi cum illis superioribus *Dei viatico* componi possunt. Deus ergo ibi nominatus, non est nisi Christus Jesus; Deo enim Patri passiones convenire nequeunt (b).

189. Alter est Cajus Ecclesiæ Romanæ Presbyter temporibus Zephyrini Papæ sæculo II. desinente, qui a Photio (in *Biblioth.* cod. 48.) allegatur, tanquam divinitatis Jesu Christi testis egregius in libro *de universo*, temporum injuria nobis erepto (c). Ita enim habet de ipso Photius: *de Christi autem veri Dei nostri divinitate aptissime disserit, quando & ipsam Christi appellationem illi attribuit, & ineffabilem ex Patre generationem describit.*

190.

(a) Qui plura cupit de fide Dionysii Alexandrini adeat Nat. Alexandrum Dissert. XIX. in Sæculum III. aliosque non paucos, qui hujus doctissimi Ecclesiæ patris fidem vindicarunt.

Nonnullorum vero aliorum Veterum doctrinam cap. seq. breviter examinabimus. Eusebius Lib. V. *Hist. Eccl.* cap. 28. *Justinum* laudat, & *Miltiadem*, & *Tatianum*, *ac Clementem*, *aliosque quamplurimos*, *in quorum omnium libris Christi divinitas adstruitur. Nam Irenæi*, subdit, & *Melitonis*, & *reliquorum scripta quis est*, *qui ignoret*; *in quibus Christum Deum simul & hominem prædicarunt? Psalmi quoque*, & *cantica fratrum jampridem a fidelibus conscripta Christum Verbum Dei concelebrant*, *divinitatem ei tribuendo &c.* Sed an Eusebius de vera Christi divinitate hæc dixerit, non immerito dubitatur.

(b) Fallitur ergo Photius, dum in sua *Bibliotheca* Cod. CXXVI. S. Clementem reprehendendum judicat, quod in suis epistolis de Christo *sublimes*, & *Deo dignas voces non pronunciet: tametsi nec aperte ipsum alibi in iis blasphemet*. Subdit tamen, eumdem Clementem in ipso initio secundæ epistolæ Christum *Deum* prædicare.

(c) Hunc librum esse genuinum Caii fœtum, non omnes Critici concedunt, & ipse Photius se dubium ostendit. Utut tamen res sit, opus certe est antiquissimum. Vid. D. Remigius Ceillier *Hist. gener. des Auteurs sacres*, & *eccles.* Tom. II. pag. 239. & seq.

190. Tertius est S. Cyprianus, qui in ep. XI. *Habemus*, inquit, *advocatum*, *& deprecatorem pro peccatis nostris Jesum Christum*, *Dominum*, *& Deum nostrum*. Et alibi quamsæpissime Christum appellat *Deum*, eumdemque Patri *consubstantialem* prædicat, inquiens de *unitate Ecclesiæ* cap. 4. *Dicit Dominus: ego & Pater unum sumus*, & iterum: *de Patre*, *& Filio*, *& Spiritu Sancto scriptum est: & hi tres unum sunt*: & in epist. ad Jubajanum: *Cum tres unum sint*, *quomodo Spiritus Sanctus placatus ei esse potest*, *qui aut Patris*, *aut Filii inimicus est?*

191. Demum Arnobius, clarus in Africa Rethor Sæc. III. Ethnicis exprobrantibus, Christum crucis supplicio interemtum a nobis adorari, respondet in Libro I. *Contra Gentes*, illum ideo a nobis coli, quia *Deus est*. Quod sæpius repetit; & Lib. II. *Christus*, inquit Gentiles alloquens, *vobis invitis Deus*, *Deus*, *inquam*, *Christus est*; *hoc enim sæpe dicendum est*, *ut infidelium dissiliat*, *& disrumpatur auditus*.

192. Ex iis, aliisque, quos brevitatis causa omisimus (*a*), cum græcis, tum latinis scriptoribus trium primorum Ecclesiæ sæculorum ita concludebat olim S. Athanasius (*de Synodi Nicænæ decretis* pag. m. 277.) Arianos alloquens: *Ecce nos demonstramus*, *istiusmodi sententiam* (de Christi divinitate) *a Patribus ad Patres*, *quasi per manus esse traditam*. *Vos autem*, *o novi Judæi*, *& discipuli Caiphæ*, *quos demum assertionum vestrarum Patres ostendere valetis? Imo ne unum quidem ex prudentibus*, *& cordatis nominare potestis*, *cuncti enim vos aversantur*, *præter unum diabolum*, *qui solus hujus defectionis vobis auctor fuit*.

193. Obj. primo. Quando Hegesippus medio circiter sæc. II. Romam perrexit, omnes Ecclesiæ Ebionitarum dogmatibus adhærebant, Christi divinitatem negantes. Nam Hegesippus (apud Eusebium Lib. IV. *Hist. Eccl.* c. 22.) testatur, *se plurimos Episcopos adisse*, *& ab omnibus unam, eamdemque audivisse doctrinam*. At vero Hegesippum fuisse Ebionitarum sententiis addictum prob. primo, quia teste Eusebio (loco cit.) erat Judaico-Christianus, seu Nazarenus; Judaico autem Christiani, seu Nazareni Ebionitæ erant, *legalia* observantes, Christi autem divinitatem negantes, ut testantur Origenes (initio Libri II. *contra Celsum*), Epiphanius (*Hæresi* XXX.), Eusebius (Lib. III. *Hist. Eccl.* cap. 27. & Lib. V. cap. 8.), Theodoretus (Lib. II. *Hæreticarum fabularum*), Jo. Damascenus (*de hæresibus*), & alii. Secundo idem Eusebius narrat, Hegesippum fuisse usum Evangelio hebraico S. Matthæi, quo utebantur Ebionitæ. Tertio Hegesippus (apud Eusebium loc. cit.) recensens omnes hæreticos, qui vel Judæis, vel inter Gentiles eruperunt, alto premit silentio Ebionitas, & Cerinthianos; hujus autem omissionis nulla alia afferri potest ratio, nisi quia cum ipsis consentiret. Demum fortasse hac de causa Hegesippi historiam Majores nostri perire passi sunt, quod scilicet Unitariis faveret, jam sæculo IV. damnatis; quod etiam Valesius notavit (ad cap. 11. Lib. V. *Hist. Eccl.* Eusebii). Sin omnes fere veterum Hæreticorum, aliorumque Christianæ religionis hostium libri neglectui habiti eodem fato perierunt (*b*).

194. Resp., Hegesippum nihil fuisse minus, quam Ebionitam: eum enim Eusebius, ut maxime orthodoxum laudat, ejusque libris *verissimam apostolicæ prædicationis historiam contemtam fuisse*, scribit IV. *Histor. Eccles.* cap. 7. & 8.; rursus eum celebrem fuisse inter veritatis patronos, *qui non solum viva voce*, *sed etiam scriptis disputationibus adversus impias hæreses decertarunt*. Hæc autem de Hegesippo certe non scripsisset Eusebius, si eum de Ebionitarum grege fuisse putasset, quos idem Eusebius, ut maxime impios execrabatur Lib. III. *Histor. Eccles.* cap. 27. Addo, Hegesippi scripta laudari a S. Hieronymo in *Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum*; ac demum Hegesippi nomen in fastis Ecclesiæ ad diem 7. Aprilis celebrari.

195. Primæ autem probationi resp., Hegesippum dici Judaico-Christianum, quod ex circumcisione ad fidem Christi conversus fuerit, quomodo Eusebius (Lib. IV. *Hist. Eccl.* cap. 5.) primos quindecim Episcopos Ecclesiæ Jerosolymitanæ omnes origine Hebræos fuisse narrat, Christi tamen fidei *sincere atque ex animo* addictos. Hac tantum ratione dici posse Hegesippum Judaico-Christianum vel maxime ex eo fit verisimile, quod, ut ipse testatur (apud Eusebium Lib. IV. *Hist. Eccl.* c. 22.) plurimas Ecclesias ex Gentilibus invisit, cumque iis familiariter conversatus est, *mutuam ex recta fide consolationem accipiens*. Romæ autem diutissime commoratus est sub tribus Pontificibus, Aniceto, Sotero, & Eleuterio.

196. Secundæ probationi occurritur, observando, Eusebium minime dicere, Hegesippum Evangelio Hebræorum fuisse usum eo modo, quo Ebionæi ipso utebantur, scilicet illud habendo pro libro θεοπνεύστῳ *divinitus inspirato*, sed solum quædam ex eo, atque etiam ex Hebræorum traditionibus in medium protulisse: unde Eusebius colligit, *eum ex Hebræis ad Christi fidem transiisse*. Ceterum id nullatenus probat, Hegesippum Ebionæorum luto hæsisse. Nam Evangelio hebraico S. Matthæi usus etiam est S. Hieronymus, strenuus ὁμοουσίου assertor; immo illud in græ-

(*a*) Addi his possent etiam plurimorum Sanct. Martyrum Confessiones, qui suo sanguine Christi divinitati testimonium reddiderunt. Hoc argumentum inter alios erudite pertractavit. Lud. Gerardus de Cordemoi *Traité contre les Sociniens a Patris* in 12. 1696. Vid. etiam P. Prud. Maran in *Opere: Divinitas J. C. D. N.* &c. Libro II. cap. 4.

(*b*) Ita objicit Dan. Zwickerus in *Irenico Irenico-*

græcum, latinumque sermonem se transtulisse testatur in *Catalogo Scriptorum Eccles.*, de ubi Jacobo fratre Domini. Eodem usum fuisse Origenem, refert idem S. Hieronymus loco cit., qui tamen Ebionitas ab Ecclesia Christi omnino alienos esse putavit Lib. V. *contra Celsum*, & plures alii eodem Evangelio usi sunt, in quos Ebionitarum erroris ne suspicio quidem cadit.

197. Tertia probatio si quid valeret, probaret, etiam S. Justinum Martyrem fuisse Ebionitam. Justinus enim in *Dialogo cum Tryphone* easdem omnino hæreses Judæorum recenset, quas Hegesippus, nulla Ebionitarum, vel Cerinthianorum facta mentione. Sed Hegesippus aliquam verosimiliter mentionem Ebionitarum, aliorumque hæreticorum habet, cum subdit: *Ex his orti sunt pseudo-Christi, pseudo-prophetæ, pseudo-apostoli, qui adulterinis suis doctrinis adversus Deum, & Christum ejus unitatem Ecclesiæ disciderunt.*

198. Valesii autem conjecturæ quarto loco allatæ resp., ipsum suspicatum fuisse tantummodo, Hegesippi libros aliquibus erroribus infectos fuisse, ac propterea neglectui habitos. Quanquam quo fundamento id Valesius asseruerit, ignoro. Ejus verba hæc sunt: *Ob errores autem, quibus scatebant* (libri hypotyposeon Clementis Alexandrini,) *negligentius habiti tandem perierunt. Nec alia meo quidem judicio, causa est, cur Papiæ, & Hegesippi, aliorumque veterum libri intercíderint.* Sed Valesii recentioris scriptoris judicio elogia anteponenda sunt, quibus Hegesippus a veteribus, præcipue autem ab Eusebio celebratus est; & multos etiam Catholicorum libros injuria temporum fuisse deperditos, nemo eruditus ignorat.

199. Obj. secundo. Plinius secundus in celebri sua ad Trajanum epistola (Lib. X. ep. 96.) se nihil aliud mali in Christianis deprehendisse scribit, nisi quod primo diluculo excitati Christo *tanquam Deo* hymnos canerent: ergo Christum non verum Deum, sed *tanquam*, vel quasi Deum credebant (*a*).

200. Resp. mirum profecto esse, Socinianos ita in re apertissima cavillari; nam particula illa *tanquam* non sumitur ibi *diminutive*, sed *explicative*; ut sensus sit, Christianos Christum adorasse eo cultu, qui Deo debetur. Quod potest etiam ex historia Eusebii illustrari; affert enim Lib. V. c. 28. fragmentum veteris cujusdam libri, in quo confutabatur Artemonis hæresis, præcipue ex antiquis Christianorum hymnis, ubi *Christum Dei Verbum concelebrabant, divinitatem ei tribuendo.*

201. Obj. tertio. Ecclesiæ consuetudo a primis usque ducta temporibus est, ut adoratio, & cultus soli Patri exhibeatur; quamobrem etiam orationes nostræ semper diriguntur ad Patrem *per Dominum nostrum Jesum Christum in unitate Spiritus sancti.* Imo in Concilio III. Carthaginensi can. 25. (T. III. novissimæ editionis Conciliorum p. 884.) constitutum fuit, *ut nemo in precibus vel Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet; & cum Altari assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio:* non ergo Filius, aut Spiritus sanctus Patri æquales reputantur: adeoque &c.

202. Resp. ita fieri consuevisse, ut fideles intelligant, Patrem esse fontem, & principium Filii, & Spiritus sancti, & tum ut idem ordo in precibus, atque adoratione servetur, qui est in divinis processionibus, tum etiam ut semper recordemur, Dominum nostrum Jesum Christum esse mediatorem perpetuum apud Patrem, cujus passionis beneficio aditus ad Dei thronum nobis apertus est. Ceterum in illa invocatione omnium solemnissima, quæ fit in baptismo, distincta, & æqualis habetur trium divinarum personarum mentio. Hinc etiam pius invaluit usus, ut eadem sanctissimæ Trinitatis invocatio: *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* in precibus & sacrificiis sæpius adhiberetur (*b*).

203. Obj. quarto. Aliqui Patres Ante-nicæni Verbum a Patre genitum esse docuerunt, non ab æterno, sed paulo ante mundi creationem: ergo &c. Prob. ant. Primo Athenagoras (*in Legatione pro Christianis Impp. M. Aurelio Antonino, & Lucio Aur. Commodo oblata n.* 10.) dicit, *Filium primam esse Patris progeniem, non quod factus sit (ab æterno enim Deus, cum sit mens æterna, habeat in seipso Verbum λόγον, utpote ab æterno rationalis), sed quod prodierit, ut omnium materialium rerum, quæ instar informis*

rum, & actor libri inscripti *Judicium Patrum* &c. quos pro more suo expilavit Souverainius in suo execrabili Opere *le Platonisme devoilé*.

(*a*) Tertullianus in *Apologetico* c. 2. verba Plinii ita allegat: *Christo, & Deo hymnos canerent:* Sigebertus tamen Havercampius recte observavit, hanc lectionem vitiosam esse, & ex melioris notæ Codicibus legendum esse: *Christo, ut Deo.*

(*b*) S. Fulgentius, cui utpote Africano canon ille ignotus esse non poterat, in Lib. II. ad Monimum c. 5. *Omnes Catholici*, inquit, *scire debent, omne cujuslibet honorificentiæ, & sacrificii salutaris obsequium & Patri, & Filio, & Spiritui sancto, hoc est sanctæ Trinitati ab Ecclesia Catholica pariter exhiberi, in cujus utique uno nomine manifestum est, sanctum quoque baptisma celebrari. Neque enim præjudicium Filio, vel sancto Spiritui comparatur, dum ad Patris personam precatio ab offerente dirigitur, cujus consummatio, dum Filii, & Spiritus sancti complectitur nomen, ostendit, nullum esse in Trinitate discrimen. Quia dum ad solius Patris personam sermo dirigitur, bene credentis fide tota Trinitas honoratur; & cum ad Patrem litantis destinatur intentio, sacrificii munus omni Trinitati uno eodemque offertur litantis officio.* Ceterum de Canone illo Concilii III. Africani non est prætereunda observatio Van-Espenii (*in Dissert. in Synodos Africanos* §. 6.) ipsum primo innotuisse ex *Isidoriana Collectione*, atque ab eruditis timeri, ne Isidorus hic eodem ingenio usus sit, ac in nonnullis aliis Ecclesiasticis monumentis interpolandis, atque omnino fingendis.

mis naturæ, *& inertis terræ*, *partibus crassioribus commixtis cum levioribus jacebant*, *idea*, *& actus foret*. Quibus in verbis duo reprehendit Dion. Petavius (Lib. I. *de Trinit*. c. 3. n. 4.); primo quod Verbum cum Patre confundatur, qui error est Sabellianus; secundo quod dicatur, tunc primum fuisse Verbum a Patre productum, seu distinctum, cum mundus creatus est, quod Verbi æternitatem tollit.

204. Præterea Theophilus Antiochenus L. II. ad Autolicum n. 10. *Habens igitur*, inquit, *Deus suum ipsius Verbum in propriis visceribus insitum*, *genuit illud cum sua sapientia*, *proferens ante omnia*. Ubi iterum innuitur, Verbum non fuisse a Patre distinctum, antequam gigneretur ad rerum creationem. Et rursus n. 22.: *Antequam quidquam faceret* (Pater) eo (Verbo) *consiliario utebatur*, *quippe cum ejus mens*, *& prudentia sit*. *Cum autem voluit Deus ea facere*, *quæ statuerat*, *hunc* λόγον *genuit prolatitium*, *primogenitum omnis creaturæ*. Hæc inquit Petavius absurda esse, & de Platonico dogmate deprompta; nempe putat Petavius, duplicem λόγον a Theophilo distingui, alterum ἐνδιάθετον, *in Patris corde*, *aut visceribus insitum*, qui est ipsa essentia Patris; alium προφορικὸν *prolatitium*, quem Deus Pater protulit ministrum suorum operum. Horum primum Sabellii errorem continet; alterum blasphemias Arii.

205. Demum S. Hippolytus in *Hom. de Deo trino*, *& uno* (*a*), postquam dixerat, nihil esse Deo coævum, subdit: *nihil erat præter ipsum*, *ipse solus multus erat*; *nec enim erat sine ratione* (ἀλόγος), *sine sapientia*, *sine consilio*; *omnia erant in eo*, *ipse erat omnia*. *Quando voluit*, *& quomodo voluit*, *ostendit Verbum suum*, *temporibus apud eum definitis*, *per quod omnia fecit*. Similia leguntur etiam in nonnullis aliis veteribus Patribus.

206. Resp. hanc Verbi divini nativitatem, quæ a nonnullis sanctis Patribus *temporaria* dicitur, & facta paulo ante mundi creationem, esse nativitatem *metaphoricam*, & nihil aliud significare, quam Verbi manifestationem factam in rerum creatione: atque illud ipsum esse, quod nos appellamus cum Schola operationem *ad extra*, qua Deus & se, & Verbum suum manifestavit. Duplicem ergo Verbi divini generationem, vel statum Patres illi considerant; aliam nempe æternam per quam semper cum Patre fuit, sed quasi interius latens, & in Patris sinu velut absconditum, & aliam temporariam, quando in operatione *ad extra* manifestatum est. Aliis omissis unus sufficiat Clemens Alexandrinus, qui Lib. V. *Stromatum*, *Verbum*, inquit, *progressum officii causa est & creationis*; *deinde etiam seipsum generat*, *quando Verbum caro factum fuerat*, *ut etiam cadat sub aspectu*. Ceterum veterum Patrum locutiones non sunt ad omnino accuratam amussim exigendæ, ut enim S. Hieronymus (in *Apologia contra Ruffinum*) monet, *antequam in Alexandria*, *quasi dæmonium meridianum Arius nasceretur*, *innocenter quædam*, *& minus caute locuti sunt*.

207. Primæ autem probationi resp. injustam esse eum Sabellianismi, tum Arianismi accusationem Athenagoræ impactam. Quod enim dicit: *ab æterno Deus*, *cum sit ipse &c.*, est intelligendum de Verbo per se, & in se subsistente; non autem de ipsa ratione, vel sapientia, quam veluti formam in Dei essentia cogitamus, & quæ dicitur Dei proprietas, vel attributum. Omnium enim ineptissimus fuisset Athenagoras, ita colligens: Deus ab æterno habebat in se Verbum, seu rationem suam, quia ab æterno erat rationalis; probasset enim idem per idem. Ita potius subtilis & acutus Philosophus ratiocinabatur ad probandam æternam Verbi divini generationem: Deus ab æterno rationalis, & seipsum intelligens: ergo ab æterno genuit suum Verbum, seu λόγον, rationem nempe per se subsistentem, quæ est ipse Filius.

208. Quod vero idem Christianus Philosophus subdit, *Verbum prodiisse ab hoc*, *ut esset idea*, *& actus omnium rerum*, de generatione metaphorica, seu de manifestatione *ad extra* explicari debet; cum nempe in creatione rerum, earumque aptissima coordinatione divina sapientia exterius manifestata est; ut proinde Verbi progressus πρόοδος nihil est aliud, nisi ipsius ἐνέργεια operatio.

209. Eodem modo explicari debet Theophilus Antiochenus, de generatione scilicet metaphorica, seu temporali manifestatione; æternam enim Verbi generationem luculenter docuit idem Theophilus, cum dixit, *fuisse semper Verbum in corde Patris insitum*: quæ a nobis similiter explicanda sunt, ac testimonium Athenagoræ superius expositum. Verbum enim per se subsistens se intelligere apertissime innuit Theophilus, dum illud vocat consiliarium Patris, & ipsi semper assistens, ac cum eo conversans: quæ omnino improprie de Patris attributo dicerentur. Neque vero Theophilus *Verbum in corde*, *& visceribus Patris delitescens* unquam distinxit a Verbo *prolatitio*; imo unum, idemque esse declarat, utens pronomine τοῦτον λόγον *hoc Verbum*.

210. Falso quoque objicit Petavius, Theophilum intelligere de Verbo *insito* illud Evangelistæ Joannis comma: *In principio erat Verbum*, *& Verbum erat apud Deum*; aliud autem comma ejusdem Evangelistæ: *& Deus erat Verbum*, *omnia per ipsum facta sunt* referre ad Verbum *prolatitium*. Imo contra, quemadmodum certum omnino est, a Sancto Joanne utrobique idem prorsus

(*a*) Hunc posuit titulum illi fragmento Jo. Gerardus Vossius in sua editione Moguntina an. 1604. Sed D. Remigius Ceillier putat, fuisse potius finem alicujus Tractatus controversiæ, Tomo II. *des Auteurs eccles.* pag. 341.

sus Verbum æternum significari; ita verosimilius est credere, a Theophilo idem prorsus Verbum indigitari, distincta solum duplici ejusdem generatione, altera æterna, & propria, altera temporali, & metaphorica, quæ nihil est aliud, quam externa manifestatio per operationem.

211. Demum S. Hippolytus nedum seipsum luculenter in sensu catholico explicat, sed etiam modum suppeditat, quo alia similia Sanct. Patrum dicta, quæ obscuriora sunt, dilucide exponantur. Subdit enim in loco objecto: *quod Verbum cum in se haberet, essetque mundo creato inadspectabile, fecit aspectabile, emittens priorem vocem, & lumen ex lumine generans;* quibus luce clarius ostendit, hanc secundum Verbum generationem nihil esse aliud, quam externam ejusdem manifestationem, seu *manifestationem ad extra*, ut Schola loquitur. Præterea idem S. Hippolytus eodem loco cum Filium alium esse a Patre dixisset, veritus, ne id aliquibus erroris occasio fieret, ita suam mentem explicat, *cum alium dico, non duos Deos dico, sed tanquam lumen ex lumine, & aquam ex fonte aut radium a Sole*, nimirum his similitudinibus, quantum fieri potest, eamdem Patris, ac Filii naturam exprimit (*a*).

212. Obj. quinto. Communis fere est Patrum Ante-nicænorum doctrina, Filium esse Patri inferiorem, & quidem vel in ipsa natura, quæ a nobis divina dicitur. Nam primo S. Justinus martyr in *Apologia* I. numero 13. Verbo nonnisi secundum locum in divinitate concedit, ipsum præterea vocat *Patris administrum*, *Patri subjectum*, *ejusque voluntati servientem*. Ita non semel in *Dialogo cum Tryphone*. Secundo S. Irenæus probat, Christum esse Patri inferiorem, quia judicii diem ignoravit. *Etenim*, inquit Lib. II. *contr. hæreses* cap. 28., *si quis exquirat causam, propter quam in omnibus Pater communicans Filio, solus scire horam, & diem a Domino manifestatus est, neque aptabilem magis, neque decentiorem, nec sine periculo alium, quam hanc inveniet in præsenti .... ut discamus per ipsum, super omnia esse Patrem; etenim Pater*, *ait*, *major me est*. Insuper sæpius docet, Patrem *præcepisse* Filio, & Filium Patri *ministrasse* (Lib. III. c. 8. n. 3., & Lib. IV. cap. 7. n. 4.), quæ omnia Filium esse Patre minorem liquido ostendunt. Tertio Clemens Alexandrinus de natura Filii disserens Lib. VII. *Stromatum*, ipsam dicit esse *soli omnipotenti conjunctissimam*. Quod, subdit Petavius Lib. I. de Trinit. cap. 4. *Platonici, & Ariani dogmatis indolem sapit*. Addit idem Clemens, Christum *omnipotentis Patris voluntati servire*. Quarto hoc idem asserverunt sex illi Episcopi, qui in Concilio Antiocheno I. Pauli Samosateni blasphemias damnarunt (T. I. *Concil.* pag. 1034.). Demum in *Constitutionibus apostol.* Lib. V. c. 7. dicitur *Verbum ministrasse Deo suo, & Patri ad omnia*.

213. Resp., ab antiquis Ecclesiæ Doctoribus Filium appellari Patri *inferiorem*, *& subjectum;* nec non ejus *ministrum*, ac *consiliarium* improprie, & latissimo sensu, ut nempe indicaretur, Patrem κατ᾽ ἐξοχὴν quadam excellentia esse Deum seu aliarum personarum fontem, & originem. Modo autem hisce vocibus attendum non esset, ne Arianis consentire videremur, qui easdem ad Christi divinitatem inficiandam impie adhibebant. Quamobrem S. Patres Arianis posteriores, Athanasius Orat. III. *contra Arianos*, Hieronymus *Apologia* I. *contra Ruffinum*, & Cyrillus Alexandrinus in Dialogo III. *de Trinit.* Filium *Patris Dei ministrum* dici posse negarunt, quamquam ex Christi verba, *Pater major me est*, etiam ad divinam eius personam aliquo sensu referri posse putarunt, quatenus nomen Patris in divinis personis aliquid excellentius ad nostrum intelligendi modum continere videtur. Sed præstat singula objecta breviter examinare.

214. Cum S. Justinus secundum locum tribuit Filio, non illius naturam, aut dignitatem, sed originem tantummodo considerat; ut enim supra vidimus (n. 172.), S. Martyr Verbum ejusdem cum Patre substantiæ ita esse contendit, ut ab eodem abscindi, aut separari nullatenus possit.

215. Cum vero idem S. Martyr Verbum *Dei ministrum* appellat, id minus proprie accipiendum est; nam in epist. ad Diognetum num. 7. negat, a Patre missum *ministrum aliquem*, *aut Angelum*, *sed ipsum opificem*, *& creatorem omnium*, nempe Filium suum: eodemque sensu minus proprio dixit S. Justinus, Filium esse *Patris voluntati subjectum*, *ejusque voluntati servientem;* quanquam id dici potuit etiam proprie, quando Filius pro nostra salute in carne assumpta factus est Patri obediens usque ad mortem.

216. Dices primo. Sanctus Justinus in *Dialogo cum Tryphone* dicit, Patrem esse Filio *causam*, *ut sit;* causa autem est suo effectu nobilior.

217. Respond., nomen *causæ* improprie ibi sumi pro principio, quod proprie usurpatur de Patre respectu Filii, & Spiritus sancti. Hoc tamen nomen *causæ* non solum a Sancto Justino, aliisque nonnullis Patribus antenicænis, sed etiam a posterioribus, iisque ipsis, qui Arianam hæresim maxime impugnarunt, & quorum propterea fides suspecta esse non potest, haud raro adhibitum invenimus.

218. Dices secundo cum Sandio. S. Justinus Chri-

(*a*) Gregorius Bullus in *Defensione fidei Nicænæ* Sect. III. cap. 9. ostendit, etiam post Concilium Nicænum nonnullos Patres, atque ipsum S. Athanasium, hanc secundam Verbi nativitatem *metaphoricam* prædicasse sine ullo certe præjudicio consubstantialis Verbi divinitatis, quam strenue, ac constanter contra Arianos defendebant. Idem ostendit P. Prud. Maran in *Divinitate J. C.* &c. Lib. IV. c. 25.

Christum alicubi appellat *Angelum creatum*.

219. Resp. id nullibi apud S. Justinum inveniri. Quod si etiam inveniretur, deberet accommoda interpretatione emolliri, eo nempe sensu, ut Pater Filium constituerit Angelum, seu nuntium voluntatis suæ.

220. Dices tertio. Idem Justinus in *Dial. cum Tryphone* Filium genitum dicit *consilio*, *& voluntate Patris*: ergo non necessario; ut proinde non sit ejusdem cum Patre essentiæ. Et rursus ibid. num. 56. dicit, Filium a Patre *alium esse numero*, *non sententia*, quasi non alia inter utrumque sit unio, quam moralis.

221. Respond., ab hujusmodi locutionibus esse omnem imperfectionem removendam, ut nihil aliud iis significetur, quam Filium non esse cæca quadam necessitate, sed intelligentia, & sapientia Patris generatum. Quod vero additum est, catholicam S. Justini sententiam de distinctione divinarum personarum contra Sabellianos continet: Tryphoni enim persuadere S. Martyr nitebatur, eum, qui veteribus Patriarchis visus est, Filium esse a Patre distinctum in persona, quamvis ab eo distinctus non sit essentia, & substantia.

222. Ad secundam objectionis partem resp., S. Irenæum velle tantummodo Filium esse Patri inferiorem ordine, & principio, non autem natura, & dignitate; nam sæpe alias Filium æqualem, & consubstantialem Patri esse profitetur. Scopus scilicet S. Irenæi eo loco fuerat, Gnosticorum impudentiam, atque arrogantiam compescere, qui omnium mysteriorum scientiam, plenamque cognitionem se habere jactabant. Hoc ut faceret, tali usus est argumento: Si Christus Dominus, Verbum, & Filius Patris, *cui in omnibus communicat Pater*, scientiam, & cognitionem diei judicii ad Patrem retulit, eique concessit; quanto magis æquum est, nos homines id facere, nec plus sapere in divinis mysteriis, quam oportet sapere? Porro rationem addit, quare Christus scientiam diei judicii Patri retulerit, quia nempe Pater ipso major erat; major, inquam, non natura, aut dignitate; *unus enim*, *& idem Deus*, *Pater*, *& Verbum ejus*, ut ipse Irenæus loquitur Lib. IV. cap. 28.; sed principio, & origine, cui proinde naturam, & scientiam suam Filius acceptam refert. Vide quæ supra diximus num. 87. seq.

223. Cum vero S. Irenæus Filium appellat *Ministrum Patris*, *eique subjectum*, in sensu latiore intelligi debet, detracta scilicet omni inæqualitate, & solum habita ratione originis, propter quam Filius dicitur aliquo modo subjectus Patri, ejusque Minister; præceptum item a Patre habere, eique obtemperare, præcipue attenta ejus missione; quando scilicet Deus adeo dilexit nos, ut Filium suum unigenitum pro nostra redemptione daret.

224. Tertia objectionis pars ex Clemente Alexandrino deprompta facile solvitur, observando, eum *naturæ* nomen sumpsisse pro *persona*; ut proinde sensus sit, personam Filii esse Patri suo omnipotenti conjunctissimam, quo nihil est verius. Et quidem non insolens fuisse veteribus Patribus uti voce φύσιν *natura* ad denotandam *personam*, multis exemplis ostendit Petavius Lib. IV. *de Trinit.* cap. 2. Fortasse etiam de ipsa natura divina locutus est Clemens, non absolute considerata, quo sensu una, eademque est in tribus personis, sed prout in Verbi persona subsistit; quo sensu dici aliqua ratione potest *Patri conjunctissima*, ratione nempe personæ, non autem ratione sui. Similí fere modo Patres, qui Arianam impietatem condemnarunt, dixerunt nonnumquam, Filium habere *naturam Patri æqualem*, ut Gregorius Nazianzenus (in *Carm.* pag. 162.), vel *propriam naturam*, ut Cyrillus Alexandrinus (Dialogo II.), vel *substantiam Filii esse consubstantialem Patri*, ut Athanasius (Epist. II. ad Serapionem); vel demum Filium appellarunt *essentiam ex essentia*, *sapientiam ex sapientia*, *voluntatem ex voluntate*, *lumen de lumine &c.* (Vid. Petavius Lib. VI. *de Trinit.* cap. 10.). Quæ omnes locutiones, non minus quam illæ Clementis Alexandrini, sunt aliquatenus emolliendæ, ut possint cum catholica Ecclesiæ doctrina de vera, consubstantialique Verbi divinitate omnino conciliari. Sic etiam intelligere debemus, Filium Patris *voluntati servire* in sensu quodam latiore, vel in natura humana, quomodo in sacris litteris dicitur Christus factus æterno Patri *obediens usque ad mortem*.

225. Ceterum Clemens Alexandrinus, ut ostenderet, Filium esse Patri omnino, & perfecte æqualem, non dubitavit etiam communem glorificationis hymnum immutare, dicens: *laus & gratiarum actio Patri*, *& Filio*, *Filio*, *& Patri* (Lib. III. *Pædagogi* cap. ult.).

226. Dices primo. Clemens Lib. V. *Stromatum* asserit, *Sapientiam*, nempe Verbum, a Deo fuisse creatam.

227. Resp., *creare* hoc loco sumi pro *gignere*, ut significetur æterna Verbi divini generatio; unde paulo antea idem Clemens de Verbo Dei dixerat: *quod quidem ex Deo invisibili primum*, *& ante sæcula imago expressum est; ac formavit omnia*, *quæ post se facta sunt*.

228. Dices secundo. Idem Clemens IV. *Stromatum*: *Deus quidem*, inquit, *cum sub demonstrationem non cadat*, *neque etiam sub scientiam cadit*, *Filius vero Sapientia est*, *& scientia*, *& veritas*, *& quæcumque his cognata sunt*, *& ideo demonstrationem habet*, *& enarrationem;* ex quibus verbis consequi observat Petavius Clementem putasse, Filium Dei diversæ a Patre esse naturæ.

229. Respond., discrimen, quod Clemens Patrem inter & Filium constituit, in eo solum esse situm, quod Pater cognosci non potuisset, nisi Filius in carne apparens eum nobis revelasset; & digitum,

ui

si fallor, ad eum Sancti Joannis locum intendit cap. I. 18.: *Deum nemo vidit unquam: unigenitus filius; qui est in sinu Patris, ipse enarravit*, docens, Patrem *immediate*, *& per se* cognosci haud posse, bene vero enarrante Filio (a).

230. Quod quarto loco additum fuit ex epist. Synodica Concilii I. Antiocheni, facillime solvitur. Quis enim credat, eos Episcopos Filium dixisse Patris inæqualem, qui eumdem *substantia*, & *hypostasi Deum* prædicarunt, ita tamen, ut simul damnarent eos, qui duos Deos adstruebant? Christus itaque dicitur *servire Patris voluntati* eo tantum sensu, quem sæpius jam explicavimus.

231. Postremæ objectionis parti occurritur, observando, Constitutiones Apostolicas opus esse supposititium, & pluribus erroribus scatens (b). Sanctus quidem Epiphanius laudem orthodoxiæ eis tribuit, sed, ut suspicatur Cotelerius, fortasse Epiphanius a titulo deceptus est, & *catholicum putavit, quod Apostolicum autumabat, nec inexcusabile videbatur*. Vel ut alii conjectantur, *Constitutiones*, quas Epiphanius ut orthodoxas laudat, erant ab iis diversæ, quas nunc habemus. Forte etiam, ut idem Cotelerius addit, quæ Arianis favere videntur, ἀρχαϊκὰ sunt (antiquam simplicitatem redolentia), *hæretica non sunt, depellique licet ægre possunt juxta mentem Photii*. Vid. ejusdem Cotelerii *Judicium de Constitutionibus Apostolicis*.

232. Obj. sexto. Veterum Patrum sententia fuit, Filium neque immensum, neque invisibilem esse, adeoque nec verum Deum. Nam primo Sanct. Justinus *in Dialogo cum Tryphone* num. 60. probat, omnes Dei apparitiones in veteri testamento memoratas Filio esse tribuendas, non Patri, quia Pater invisibilis est, & immensus. *Nemo*, inquit, *non omnino mente captus auctorem universorum, & parentem relictis omnibus supercœlestibus in parva terræ particula visum dicere audeat*. Eadem repetit inferius num. 127. ubi etiam probat, Deum Patrem numquam apparuisse in mundo, *quia nec movetur, nec loco comprehendi potest; imo ne toto quidem mundo, quippe qui erat, etiam antequam mundus fieret*. Unde iterum concludit, *visum esse eum, qui secundum ipsius voluntatem & Deus est ipsius Filius, & Angelus ex eo, quod ministret ipsius voluntati*. Imo Justini scopus est, ut Filii distinctionem a Patre ex eo evincat, quod Filius apparuerit in mundo, cum Pater invisibilis omnino est.

233. Præterea Theophilus Antiochenus Lib. II. *ad Autolicum* num. 22. explicans, quomodo dicatur Deus perambulasse in paradiso, *Deus*, inquit, *& Pater universorum non potest quidem comprehendi, nec invenitur in loco.... sed ejus Verbum, per quod fecit omnia, cum sit ejus virtus, & sapientia, assumens Patris, & Domini universorum personam, veniebat in paradisum sub persona Dei, cum Adamo colloquebatur*.

234. Tertio simile quoddam habet S. Irenæus Lib. IV. *contra Hæreses* c. 20. alias 37. n. 11. dicens: *Pater quidem invisibilis.... Verbum autem... non in una figura, nec in uno charactere videbatur*. Nempe explicat diversas apparitiones in veteri testamento, non a Patre invisibili, sed a visibili ejus Verbo factas.

235. Respond. Filium Dei dici a veteribus Patribus visibilem, & circumscriptum non in propria, divinaque natura, qua idem prorsus cum Patre æterno est, sed in natura assumpta, vel ad breve tempus, ut in antiquis illis apparitionibus, vel perenniter, ut in incarnatione. Sed expendamus singula.

236. S. Justinus non dissimilitudinem naturæ, sed distinctionem personarum Patris, & Filii demonstrare intendit. Numquam vero docuit, naturam Filii, secus ac naturam Patris, esse visibilem, ac terminis circumscriptam; quin potius in *Protreptico*, seu *Cohortatione ad Græcos* luculenter docet, Filium Dei fuisse a Moyse visum, *quatenus quidem possibile erat homini Deum apparere*, videlicet in natura assumpta, non in propria; & in epist. *ad Diognetum* Verbum divinum *ne animo quidem comprehendi posse*, dicit. Vult ergo solum S. Martyr, ex quadem œconomia decuisse, Filium visibilem fieri, & circumscriptum in natura assumpta, non autem id decuisse æternum Patrem. Hujus vero discriminis hæc erat ratio; quia Filius est genitus, Pater autem ingenitus: Filius utpote genitus mitti poterat a Patre genitore, & revera missus est, sive ante incarnationem ad quasdam temporarias apparitiones, sive in ipsa incarnatione ad humani generis redemptionem. Quamobrem ipse S. Justinus in *Apologia* I. observavit, *Verbum Dei vocari Ange-*

(a) Quæ ex libris *Hypotyposeon* Clementis Alex. objici possunt, nullum facessere debent negotium; siquidem omnium fere recentium Criticorum judicio hujusmodi libri fuerunt adulterina manu corrupti. Id Photius jam suspicatus fuit in sua *Bibliatheca* cod. 110. Gelasius etiam Papa opera Clementis Alexandrini *apocrypha* decleravit, quia erroribus adspersa erant, ut observat Benedictus XIV. in Præfation. ad novam Martyrologii editionem num. 29.

(b) Ita Natalis Alexander Tom. I. *Histor. Eccles.* & D. Remigius Ceillier *Des Auteurs Ecc.* Tom. III. Patres etiam Synodi Trullanæ can. 2. testati sunt, easdem apostolicas Constitutiones fuisse ab hæreticis fœde corruptas his verbis: Quibus (*Constitutionibus*) *olim ab iis, qui a fide aliena sentiunt, ad labem Ecclesiæ adspergendam adulterina quædam, & a pietate aliena introducta sunt, quæ divinorum nobis decretorum elegantem, ac decoram speciem obscurarunt. Has Constitutiones ad gregis ædificationem, & securitatem conducibiliter rejecimus hæreticæ falsitatis fœtus nequaquam admittentes* &c. Vid. Præfatio P. Labbæi ad Tom. I. Conciliorum, & Ellies Dupin. Tom. I. *Bibl. Eccles.*

gelum, *&* *apostolum*, quia a Patre, a quo procedit, missus est. Hinc etiam idem S. Martyr in eodem *Dialogo* num. 127. *Ne putetis*, ait, *ipsum ingenitum Deum vel descendisse, vel ascendisse ex aliquo loco*; ut nempe significaret, Patris *innascibilitatem* totam esse causam, cur Pater nunquam missus fuerit, ut visibiliter hominibus appareret. Vid. adnotatio editoris Maurini ad num. 127. laud. Dialogi.

237. Quod si aliquis contra S. Justinum vitilitigari velit, contendens, potuisse æternum Patrem etiam sine missione, & ex sola sua dignatione hominibus apparere; ac proinde haud recte collegisse S. Justinum, apparitiones illas esse Filio tribuendas, non Patri, adeoque Filium ac Patrem duas esse distinctas personas. Si quis, inquam, id contendat, respondebo, non id modo quæri, an S. Justini opinio sit vera, ejusque ratiocinium accuratissimum; sed tantummodo an hæc fuerit S. Martyris mens. Neque omnes Sanctorum Patrum rationes sunt ad vivum resecandæ; veluti cum idem S. Justinus innuere videtur, ideo Patrem æternum nunquam hominibus fuisse visum, quia ante mundum extitit; hæc enim ratio si quid valeret, valeret etiam ad probandum, Filium nunquam apparuisse hominibus, quia & ipse, Justino eodem docente, ante mundum extitit (a).

238. Nec alia fuit Theophili Antiocheni de Verbo divino sententia. Ibidem enim conceptis verbis declarat, idcirco Filium mitti, & in loco inveniri, *quia Deus est ex Deo genitus*, *quia Verbum illius est*, *per quod omnia fecit*, *virtus*, *&* *sapientia ejus*.

239. Nec obest, quod postea dicit, Verbum æterni Patris personam assumpsisse; neque enim hoc ita intelligendum est, quasi Filius aliam habeat a Patre essentiam, sed dumtaxat ad designandam Filii missionem a Patre; Filius enim, inquit ipse Theophilus, *in sinu Patris existit*, *insitus in corde Dei*, *&* *Deus ex Deo genitus*.

240. Demum S. Irenæus nihil aliud vult, quam Filium, non Patrem veteribus Patriarchis fuisse visum, non quidem in natura divina, sed sub variis speciebus, & imaginibus, quæ futuræ incarnationis quasi præludia erant. Ceterum idem S. Irenæus Lib. IV. cap. 24. alias 41. num. 2. Verbum Dei *naturaliter invisibile*, *palpabile*, *&* *visibile in hominibus factum esse*, dicit.

241. Obj. septimo nonnulla veterum Patrum dicta, quæ videntur cum vera consubstantialique Christi divinitate adversa fronte pugnare. Et primo quidem S. Barnabas, seu quisquis est epistolæ sub nomine Barnabæ vetustissimus scriptor, num. 11. Christum appellat *vas Spiritus*. Secundo Hermas Apostolorum discipulus (b) Christum fuisse dicit *servum Spiritus Sancti* in Lib. III. *Similitudinum*. Tertio aliqui Veteres Filium appellarunt *portionem Patris*. Quarto S. Gregorius Thaumaturgus, referente S. Basilio epist. 210. alias 64., in *Dialogo cum Æliano* Christum *creaturam*, *&* *facturam* vocare non dubitavit. Quinto idem S. Basilius epist. 60. alias 41. Dionysium Alexandrinum impietatis Anomææ semina primum jecisse, scribit; quod ipsum de eodem Dionysio asserit etiam Gennadius (*de Dogmatibus Ecclesiast.* cap. 4.), eum appellans *fontem Arii*.

242. Respond. ad primum, Christum, ut hominem dici posse *vas Spiritus*, seu divinitatis, in eo scilicet sensu, quo Apostolus Coloss. II. 9. dixit: *in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Spiritus enim sæpe apud Veteres sumitur pro *divinitate*, ut etiam notavit Grotius (in Comment. ad cap. II. Marci 8.), si tamen verba S. Barnabæ ad Christum referuntur; quod ex contextu minime apparet.

243. Ad secundum resp., Hermam loqui de humana Christi natura, quam dicit *servam Spiritus Sancti*, hoc est divinitatis, cui erat omni modo subjecta; quod ibidem clarius exprimit his verbis: *hoc ergo corpus* (Christi), *in quo indutus est Spiritus Sanctus*, *servivit illi Spiritui*.

244. Ad tertium. In sensu valde improprio, & remoto dici potest Filius *portio Patris*; quia Pater illi quidem communicat totam suam essentiam, non autem paternitatem; quemadmodum fons omnes suas aquas rivulo communicat, sibi tamen unice retinet rationem fontis.

245. Ad quartum respondet idem Sanct. Basilius, hæc non fuisse accurate dicta a Sancto Gregorio; sed cum Ælianum gentilem erudire studeret, nonnihil indoli illius concedendum putavit, ne in iis, quæ præcipua sunt, repugnaret (c). Credere ergo debemus, fuisse Christum a Sancto Gregorio appellatum *Creaturam* minus proprie, ad designandum solummodo, eum non esse ingenitum, ut Pater est, sed genitum; præcipue cum in

(a) S. Augustinus Lib. II. *de Trinit.* opinatus est, modo Patrem, modo Filium, aut Spiritum S., interdum etiam totam Trinitatem visibiliter apparuisse. Augustino autem non paucos alios S. Patres adjungit Dion. Petavius Lib. II. *de Trinit.* cap. 9.

(b) S. Irenæus, Origenes, Clemens Alexandrinus aliique Veteres Hermam divina inspiratione afflatum fuisse putarunt. Etiam Eusebii ætate magna erat ejus librorum auctoritas, ut constat ex Lib. III. *Histor. Eccles.* cap. 3., non tamen ubique, nec apud omnes.

(c) Hujusmodi œconomiæ plura affert exempla Sanct. Hieronymus in epist. 48. alias 50. ad Pammachium. *Didicimus*, inquit num. 13., *plura esse genera dicendi: & inter cetera aliud esse γυμναστικῶς scribere, aliud δογματικῶς. In priori vagam esse disputationem, & adversario respondentem nunc hæc, nunc illa, proponere; argumentari, ut libet, aliud loqui, aliud agere, panem, ut dicitur, ostendere, lapidem tenere. In sequenti autem aperta frons, & ut ita dicam, ingenuitas necessaria est. Aliud est quærere, aliud definire; in altero pugnandum, in altero docendum est.* Quod pro sua eruditione multis cum profanorum, tum sacrorum, atque etiam ipsius Pauli exemplis demonstrat.

in sua fidei confessione tam magnifice Christi divinitatem prædicaverit. Vide supra num. 179.

246. Ad quintum. Sanct. Basilius ibi putat, Sanct. Dionysium *non sententiæ pravitate, sed vehementi studio Sabellio adversandi* semina impietatis Anomææ jecisse; unde eum arborum cultori comparat, detortam plantam erigenti, qui eam immoderate retrahens, a medio aberrat. Præterea tunc Basilium latuisse videntur, quæ ad suam fidem purgandam idem Dionysius ad gentilem suum Roman. Pontificem scripsit; quibus postea lectis idem Basilius in Libro *de Spiritu Sancto* cap. 29. Dionysium Alexandrinum inter illustres divinitatis Spiritus Sancti testes enumerat.

247. Gennadius autem, ut in nonnullis aliis, ita & in hoc lapsus est, ignorans, quæ S. Athanasius pro Dionysii Alexandrini defensione scripsit in *epistola de sententia S. Dionysii contra Arianos*, & quam Dionysius ipse sui apologiam adornavit; cujus apologiæ veritatem supra num. 185. sequ. contra Christoph. Sandium vindicavimus (*a*).

CAPUT VIII.

De nonnullis aliis veteribus Patribus Ante-Nicænis, quorum doctrina de Sacrosanctæ Trinitatis Mysterio in dubium revocatur.

248. Longam præcipuorum Patrum Ante-Nicænorum seriem, qui veram, consubstantialemque Jesu Christi divinitatem confessi sunt, superiore capite allegavimus, eorumque doctrinam contra Socinianos ita vindicavimus, ut eorum numerus, & auctoritas ad filum divinæ traditionis ab Apostolis usque ad Nicænam Synodum continuandum plane sufficiat, etiamsi aliqui pauci a communi Ecclesiæ doctrina secessissent. Operæ tamen pretium est de his etiam paucis, de quorum orthodoxia dubitatur, breviter tractare, cum aliis de causis, tum ut sciamus, quorum auctoritati in hoc primario Religionis nostræ capite tuto fidere possimus, & quorum doctrina merito suspecta sit. Primum itaque agemus

DE ORIGENE ADAMANTIO.

249. De nullius fortasse doctrina acrior, & diuturnior controversia fuit, quam de doctrina Origenis, multis Religionis capitibus, præcipue autem in eo, quod nunc præ manibus habemus, de vera, ac coessentiali Jesu Christi divinitate. Hæc enim controversia jam Sæculo IV. inter summos viros exorta est, & nondum finita, dissensionibus magnopere nostrorum temporum eruditis.

250. Inter veteres Origenis accusatores eminet S. Hieronymus Epist. LXXXIV. alias LXV. ad Pammachium, & Oceanum, item Epist. CXXIV. alias LIX. ad Avitum, tum in Libris *Apologiæ adversus Ruffinum*. Ita enim ad Avitum scribebat de Origenis libris περὶ ἀρχῶν, eorum versionem in linguam latinam a se factam illi „ mittens: " Accipe quod petisti; sed ita ut scias, detestanda tibi in eis esse quamplurima, & juxta sermonem Domini inter scorpiones, & colubros incedendum: ut est illud statim in primo volumine, *Christum Filium Dei non natum esse, sed factum, Deum Patrem per naturam invisibilem etiam a Filio non videri: Filium, qui sit imago invisibilis Patris, comparatum Patri non esse veritatem: apud nos autem, qui Dei omnipotentis non possumus recipere veritatem, imaginariam veritatem videri; ut majestas, ac magnitudo majoris quodammodo circumscripta sentiatur in Filio: Deum Patrem esse lumen incomprehensibile: Christum collatione Patris splendorem esse perparvum, qui apud nos pro imbecillitate nostra magnus esse videatur. Duarum statuarum majoris, & parvulæ, unius, quæ mundum impleat, & magnitudine sua quodammodo invisibilis sit, & alterius, quæ sub oculos cadat, ponit exemplum, priori Patrem, posteriori Filium comparans. Deum Patrem omnipotentem appellat bonum, & perfectæ bonitatis, Filium non esse bonum, sed auram quamdam, & imaginem bonitatis; ut non dicatur absolute bonus, sed cum additamento, Pastor bonus &c. Tertium dignitate, & honore post Patrem, & Filium asserit Spiritum sanctum; de quo quum ignorare se dicat, utrum factus sit, an infectus, in posterioribus quid de eo sentiret, expressit: nihil absque solo Deo Patre infectum esse confirmans. Filium quoque minorem Patre, eo quod secundus ab illo sit, & Spiritum sanctum inferiorem Filio in Sanctis quibusque versari. Atque hoc ordine majorem Patris fortitudinem esse, quam Filii, & Spiritus sancti. Et rursum majorem Filii fortitudinem esse, quam Spiritus sancti, & consequenter ipsius sancti Spiritus majorem esse virtutem ceteris, quæ sancta dicuntur.* "

251. Hæc S. Hieronymus, cujus auctoritas in dubium revocari non potest, utpote qui Origenis li-

(*a*) Horum, aliorumque Patrum Ante-Nicænorum fidem egregie vindicant, præter supra laud. Georgium Bullum ex Anglicana Episcopalium secta, Jo. Lami in suo Libro *de recta Patrum Nicænorum fide*, D. Prud. Maran in opere inscripto *Divinitas Domini Nostri Jesu Christi manifesta in scripturis, & traditione*, Jac. Benignus Bossuet VI. *Avertissement aux Protestans*, Nat. Alexander, ubi de singulis Patribus agit in *Hist. Eccl.*; insignes Benedictini editores Operum Sanct. Patrum in suis notis, D. Remigius Ceillier *Hist. des Auteurs Eccles.* & Scholastici pene omnes.

libros *de principiis* nedum legerat, sed etiam rogatus a Pammachio in Romanam linguam transtulerat, ut ea corrigeret, quæ Ruffinus, eosdem libros latine vertens, sublata fide immutaverat, quamquam bono fine, ut amatum suum Origenem ab erroribus expurgaret. Vehementer dolent antiquorum librorum amatores, illam Hieronymianam versionem temporum injuria periisse.

252. Huic autem S. Hieronymi judicio tantum detulit S. Gelasius Papa, ut in celebri sua Synodo Romæ an. 496. celebrata ita statuerit: *Origenis nonnulla opuscula, quæ vir beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus; reliqua autem omnia cum auctore suo dicimus esse renuenda.*

253. Hieronymo consentit S. Epiphanius *Hæresi* LXIV., & in epist. ad Joannem Jerosolymorum Episcopum (inter Hieronymianas Ll.) In primo enim loco hæc de Origene habet: *Eo temeritatis progressus est, ut asserat, Unigenitum Filium Patrem videre non posse, neque Spiritum Filium, neque Angelos Spiritum, neque homines Angelos. Atque hic primus illius lapsus fuit. Ita enim ex Patris substantia Filium esse censet, ut nihilominus creatus fuerit. Quem quidem sola id gratia consecutum existimat, ut Filius diceretur.* In altero autem loco vocat Origenem *Arii patrem, & aliarum hæreseon radicem, & parentem.*

254. Neque dissentit S. Augustinus; nam in Lib. *de Hæresibus* n. 43. postquam aliquot Sancti Epiphanii verba retulisset accusantis Origenem, quod Christum, & Spiritum sanctum *ut creaturas introduceret*, ita subdit: *Hæc quidem de Origene Epiphanius. Sed qui eum defendunt, unius ejusdem substantiæ esse, dicunt docuisse, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, neque resurrectionem repulisse mortuorum; quamvis & in istis eum convincere studeant, qui ejus plura legerunt.* Et quanquam de hoc errore non omnino certus ibi videatur S. Augustinus, certissime tamen de aliis erroribus Origenem accusat, ita pergens: *Sed sunt Origenis alia dogmata, quæ catholica Ecclesia omnino non recipit, in quibus nec ipsum (Epiphanius) falso arguit, nec potest ab ejus defensoribus falli.* Alii legunt *excusari* (a).

255. Accedit Justinianus Imperator, qui in *Tractatu adversus Origenis errores* misso ad Mennam Patriarcham Constantinopolitanum, ita de Origene loquitur: *Qui ante omnia in ipsam sanctam, & consubstantialem Trinitatem blasphemias ausus est dicere; Patrem majorem esse Filio, Filium Sancto Spiritu, Spiritum Sanctum aliis spiritibus. Porro hoc ad impietatem suam addidit, ut diceret, nec posse Filium Patrem videre, nec Spiritum Sanctum Filium: ipsum Filium, & Spiritum Sanctum creaturas esse; quodque nos sumus ad Filium, Filium esse ad Patrem.* Hic Justiniani Augusti Tractatus fuit postea a Synodo V., & a summo Pontifice Vigilio probatus.

256. Accedit denique Leontius in Libro *De Sectis* Act. 10. ubi inquit: *Quamvis (Origenes) inferiore Filio gradum tradit, tamen eum purgare nituntur. At vero manifeste hanc opinionem fovet, & excusationem nullam habet.*

257. Nihil vero dicimus de variis, & multis Origenis condemnationibus in Ecclesia habitis; quia ex his eruitur quidem, illius doctrinam generaliter, & in omnibus capitibus orthodoxam non fuisse, nihil tamen distincte explicatur, quo luculenter appareat, eumdem Origenem Sanctissimæ Trinitatis Mysterium corrupisse. Fuit autem Origenes primo damnatus a Theophilo in Synodo Alexandrina ex Episcopis Ægypti, Lybiæ, & Pentapoleos congregata; deinde a S. Epiphanio in Synodo Cypri: tertio ab Anastasio Romano Pontifice; quas Origenis condemnationes memorat S. Hieronymus *in Apologia adv. Ruffinum*. Quarto Justinianus Imperator in suo Tractatu adversus Origenem sæpius illi anathema dicit; cumque ille Tractatus fuerit ab Episcopis Catholicis, imo ab ipso summo Pontifice Vigilio probatus, tamquam judicium Ecclesiæ haberi debet: quod testatur Cassiodorus Lib. I. *Divinarum institutionum* c. 1. inquiens de Origene: *Licet tot Patrum eum impugnet auctoritas, præsenti tamen tempore & a Vigilio beatissimo Papa denuo constat esse damnatum.*

258. Solemnius postea damnatus fuit Origenes in Synodo V. œcumenica; quæ condemnatio iterum confirmata fuit in Synodo VI., utpote quæ actione 18. professa est, se in omnibus consonare sanctæ quintæ Synodo, *quæ congregata est adversus Theodorum Mopsuestenum, Origenem, Didymum, & Evagrium.* Et nimis longum esset, omnia Ecclesiastica monumenta huc afferre, quibus fuit Origenis memoria proscripta.

259. Cum hæc ita se habent, mirandum non est, etiam ab Angelico nostro Præceptore, quamquam in censuris ferendis moderatissimo, fuisse Origenem appellatum *fontem Arianorum* I. Part. q. 34. artic. 1. ad 1. Et antea in q. 32. art. 1. ad 1. dixerat Origenem in eo errasse, quod poneret Patrem, & Filium *secundum substantiam differentes*; qui fuit etiam error Arii.

260.

(a) Nescio quomodo Lambertus Danæus Calvinista in Adnotationibus ad hunc S. Augustini locum asserere potuerit, Origenem fuisse primum, qui Filium vocaverit ὁμούσιον. Editiones Maurini veterum codicum auctoritate reticuerunt sequentia verba, quæ a Petavio, aliisque addebantur: *Dicit præterea ipse Origenes, quod Filius Dei sanctis hominibus comparatus, veritas fit, Patri collatus, mendacium: & quantum distant Apostoli Christo, tantum Filius Patri. Unde nec orandus est Filius cum Patre, quia non est auctor indulgendarum petitionum, sed supplicator.*

260. Non defuerunt tamen Origeni defensores, illique minime contemnendi. Et primo aliqui dixerunt, Origenis Opera, maxime autem Libros *De principiis*, esse ab Hæreticis interpolata, ac fœde corrupta. De hoc conqueritur ipse Origenes in ep. ad Amicos Alexandrinos, inquiens: *Quidam eorum, qui libenter contentiones reperiunt, adscribunt nobis, & nostræ doctrinæ blasphemiam ... sed nihil mirum mihi videtur, si adulteretur doctrina mea ab inimicis meis, & tali adulterio corrumpatur, quali adulterio corrupta est epistola Pauli Apostoli. Quidam enim sub nomine Pauli Apostoli falsam epistolam scripserunt &c.* Et pergit narrare quædam, quæ hac in re ipsi contigerant T. I. Operum p. 5. Unde recte Huetius in *Origenianis* asserit: *Quotquot libros Origenis ad nos fortuna transmisit, violatos esse, ac eos potissimum, qui præter Notariorum σφάλματα, & Hæreticorum adulterationes, interpretum etiam hallucinationes, & perfidiam senserunt.*

261. Hanc exceptionem admitti non posse videtur, cum potius certissime constat, Libros *de principiis* fuisse a Ruffino eo fine adulteratos, ut sublatis, quæ magis absurda & impia Fidelium oculos offendebant, eos utcunque tolerabiles redderet. Id testatur ipse Ruffinus in Prologo inquiens: *Sicubi ergo nos in libris ejus* (Origenis) *aliquid circa id invenimus, quod ab ipso in ceteris locis pie fuerat de Trinitate definitum, velut adulteratum hoc, & alienum, aut prætermisimus, aut secundum eam regulam protulimus, quam ab ipso frequenter invenimus affirmatam.* Quamquam S. Hieronymo observante, non omnia, quæ spongia digna erant, Ruffinus emendaverit. Aliter vero magnus Origenis patronus Didymus *sic ejus errores nisus est excusare, ut tamen illius esse fateretur; non scriptum negans, sed sensum scribentis edisserens.* Ita Hieronymus epist. LXXXIV.; atque idem repetit in Lib. II. *Apologiæ* adv. Ruffinum c. 4. & seq.

262. Recte insuper observat idem S. Hieronymus, expostulationem Origenis de adulteratione suorum librorum non esse generalem, sed restringi ad ipsius Dialogum cum Candido hæretico Valentiniano, quem ab hæreticis fuisse corruptum merito dolebat. Si autem eadem fraude corrupti fuissent alii ejusdem libri, vel ipse Origenes, vel saltem ejus patroni Eusebius, & Didymus ad ipsius defensionem id dicere non prætermisissent, allegando Codices incorruptos, qui certe deesse non poterant; neque enim Hæretici omnes omnino codices Origenianos uno tempore vitiare potuerunt.

263. Secundo pro defensione Origenis objicitur auctoritas certe gravissima S. Athanasii, qui in epist. *De Decretis Nicenæ Synodi* n. 27. & sequ. Origenem objicit Arianis inquiens: Quod autem „ Verbum ab æternitate sit cum Patre, nec alterius, quam Patris substantiæ, vel hypostasis „ proprium sit, ut declaravit Synodus, liceat vos „ iterum a laborioso Origene audire. Nam quæ „ ille, velut inquirens, & disputans scripsit, non „ ita accipienda sunt, quasi si ipse sentiret, sed „ ex eorum mente, quibuscum disputat: at quæ „ fidenter definit, & affirmat, hæc vera est viri „ hujus perquam studiosi sententia. " Post autem S. Pater Origenis verba affert, quibus contra Arianos divini Verbi æternitatem, & consubstantialitatem ostendit.

264. Resp., Origenis verba a S. Athanasio allegata fuisse ad divini Verbi æternitatem ostendendam contra Arianos, quam non negavit Origenes, quamvis postea negasse videtur veram ejusdem Verbi cum Patre consubstantialitatem. En omnia Origenis verba a S. Athanasio laudata: *Si est imago Dei invisibilis, invisibilis quoque est ipsa imago. Quin etiam addere ausim, cum sit similitudo Patris, non posse fieri, ut aliquando non fuerit. Quando enim Deus, quem Joannes lucem appellat (nam Deus lux est) propriæ gloriæ splendore caruit, ut quis audeat principium existendi Filio tribuere, quasi scilicet antea non fuisset? Quandonam vero non erat Verbum, Verbum inquam, quod & Patrem cognoscit, & est character, & imago ejusdem substantiæ, quæ digne nec exprimi, nec nominari, nec proferri possit? Intelligat enim, qui dicere audet, fuit aliquando, cum non esset Filius, idem esse, ac si diceret: Sapientia aliquando non erat, Verbum non erat, Vita non erat.* Idem Origenes rursus ita alibi loquitur: *Verum nefas est, nec periculo vacat propter nostram infirmitatem, Deum, quantum in nobis est, Unigenito privare Verbo, quod semper cum illo fuit, & illa erat sapientia, qua delectabatur. Alioquin eum non semper fuisse delectatum intelligendum erit.* Hæc ex Origene Athanasius, quæ nonnisi ad probandam Verbi æternitatem valent contra illos, qui dicebant, fuisse aliquando tempus, in quo Verbum non erat.

265. Ceterum Origenes, quanquam Verbum Patri coæternum esse assereret, negabat tamen ipsum esse Patri æquale, & increatum. Nam T. I. in Joann., *Dicendum est*, inquit, *Deum, cum animatam sapientiam creasset, illius curæ permisisse, ut ex figuris, & speciebus, quas ipse habebat, substantiam, & plasmationem, & formas præberet entibus, & materiæ*; & T. II. in eumdem Joannem Ariano sensu explicat illud, quod de Verbo dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt*, inquiens: *Si omnia per sermonem facta fuerunt, non a sermone facta fuerunt, sed ab eo, qui ipso sermone major est.* Et postea infert, etiam Spiritum S. factum esse. *Verum cum sit*, inquit, *omnia per sermonem facta fuisse, si quis dicat, factum esse Spiritum S. & admittat omnia per sermonem facta fuisse, is etiam fateatur necesse est, Spiritum ipsum a sermone factum, nimirum sermone ipso antiquiore existente Spiritu.* In Opere etiam contra Celsum,

sum, quod ab Hæreticis minime vitiatum creditur, atque extremo ejus vitæ tempore elaboratum, Christo denegat bonitatem illam essentialem, quæ Patri competit; inquit enim L. V. „ Servator noster, & Dominus appellatus aliquando *Præceptor bonus*, ad Patrem suum remittens eum, qui sic eum appellaverat, inquit: *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus, nempe Deus Pater*. " Et innumera alia hujus generis sunt, quibus apertissima liquet, veras, & justas esse criminationes S. Patrum de absurda & impia Origenis doctrina circa Trinitatis Mysterium.

266. Non equidem inficior, aliqua apud Origenem inveniri, quæ orthodoxum reddant sensum. Sed primo meminisse debemus, Ruffinum interpretem simul, & interpolatorem librorum Origenis plura arbitratu suo mutasse; adeo ut suspicari liceat, quæ orthodoxa videntur, non ab Origenis, sed a Ruffini stylo fuisse exarata. Secundo quamquam Origenes de Trinitate pessime sentiret, potuit tamen consueto loquendi more, qui apud Fideles vigebat, sese aliquando accommodare, popularis traditionis vi quasi abreptus. Sane S. Basilius in Lib. *de Spiritu S.* c. 29. *Jam vero*, inquit, *& Origenem multis in locis Expositionum, quas in Psalmis edidit, deprehendimus cum Sancto Sp. gloriam deferentem Deo, virum, qui non omnino sanas habet de Spiritu opiniones; nihilominus & hic reveritus consuetudinis robur, pias voces emisit de Spiritu. Ad hunc modum opinor: traditionis vis sæpe compulit homines ipsorum dogmatibus contradicere*. Quod S. Basilius notavit de Spiritu S., potest etiam dici de vera & consubstantiali Verbi divinitate.

267. Dices. Cum Origenes multa habeat in suis operibus, quæ orthodoxam de S. Trinitate doctrinam exprimunt, justitia videtur exigere, ut pauca duriora, quæ contra hoc Mysterium in Libris Origenianis occurrunt, quoad fieri potest, emolliantur, atque ad sanum sensum pertrahantur. Ita fieri solet cum nonnullis aliis Patribus Ante-Nicænis, ut cum catholica Ecclesiæ doctrina concilientur. Eccur idem non fiat cum Origene omnium veterum Scriptorum longe doctissimo?

268. Resp. discrimen in eo esse, quod aliorum Patrum Ante-Nicænorum, qui obscura de hoc inexplicabili Mysterio locuti sunt, fides nullatenus suspecta erat, & in Ecclesia Catholica sine ulla criminatione sancte vixerunt, & obierunt; unde omnis ratio postulat, ut si quæ ambigua illis e calamo exciderunt, ad saniorem sensum pertrahantur. Id autem non contigit Origeni; cujus fides non in hoc solum capite, sed in multis aliis, magna suspicione laboravit, & cujus memoria non solum a privatis, sed etiam ab Episcopis, a Conciliis, & summis Pontificibus damnata fuit. Nec potest modo defendi, quin aliqua injuria ejus accusatoribus, & judicibus inferatur.

269. Dices adhuc. Non defuerunt Origeni magni nominis patroni, qui ejus doctrinam summis laudibus commendarunt, & etiam ab impactis accusationibus strenue defenderunt. Inter Origenis laudatores primo numeratur S. Gregorius thaumaturgus, qui fuit ejus discipulus, atque in ipsius adhuc viventis laudes orationem panegyricam dixit. Secundo S. Hieronymus, qui Origenis ingenium, ac profundam sacrarum litterarum penetrationem sæpissime admiratus est. Tertio Didymus, qui Origenem appellare non dubitavit *secundum post Apostolos Ecclesiarum Magistrum*. Quarto copiosissimam Origenis apologiam contexuit S. Pamphilus Martyr quinque libris comprehensam, quibus sextum addidit Eusebius S. Martyris contubernalis. Quinto alios quoque insignes viros Origenem contra obtrectatores defendisse, testis est Photius in *Biblioth.* Cod. 117. & 118. Sexto narrat Socrates Lib. VI. *Hist. Eccl.* c. 12., S. Methodium Tyriorum Episcopum, qui prius Origenis doctrinam acriter condemnaverat, mutata sententia in Dialogo, quem *Xenonem* inscripsit, ejusdem se admiratorem professum. Septimo magnus Origenis encomiator, & defensor fuit Ruffinus Aquilejensis Presbyter, qui aliquot ejusdem libros in latinam linguam convertit. Multo plures postea Origenes nactus est nostris temporibus patronos, ac vindices, Picum Mirandulanum Comitem, Jacobum Merlinum Theologum Parisiensem in sua Operum Origenianorum editione, Petrum Halcohixium, qui copiosissimas Origenis vindicias edidit quatuor libris contentas, quorum titulus est *Origenes defensus*, ac denique Petrum Danielem Huetium in suis *Origenianis*. Quantum vero attinet ad hoc Sanctissimæ Trinitatis Mysterium, Origenem recte de eo sensisse copiose demonstrarunt inter alios Carolus Witasse, Prudentius Maran, duo insignes Catholici Theologi, & ex heterodoxis Georgius Bullus, vir doctissimus in *Defensione fidei Nicænæ*.

270. Resp. laudes, quas aliqui veteres Patres profuse in Origenem contulerunt, minime delere posse justam ejusdem errorum accusationem, & condemnationem. Magnum Origenis ingenium, & magnos, ac pene incredibiles ejusdem in studio sacrarum litterarum labores, unde *Adamantii* cognomen consecutus est, non satis admirari, ac laudare potuerunt Ss. Patres, ac Hieronymus imprimis, qui tamen eodem tempore multiplices ipsius errores detexit, ac confutavit. „ Vult aliquis, *inquit in ep. LXXXIV.*, laudare Origenem? Laudet, ut laudo: magnus vir ab infantia, & vere Martyris filius. Alexandriæ Ecclesiasticam scholam tenuit, succedens eruditissimo viro Clementi presbytero. Voluptates intantum fugit, ut zelo Dei, sed tamen non secundum scientiam, ferro truncaret genitalia: calcavit avaritiam: Scripturas memoriter tenuit, & in studio explantationis carnem diebus desudavit, ac noctibus. Mille, & eo amplius tractatus in Ecclesia locutus est: edidit innumerabiles præterea commentarios, quos ipse appellat τόμους... Quis

„ no-

„ nostrum tanta potest legere, quanta ille conscripsit? ... Non imitemur ejus vitia, cujus virtutes non possumus sequi. *Et L. III.* Apologiæ adv. Ruffinum *cap.* 7. Audi, *inquit Ruffinum appellans*, vir sapientissime, & Romanæ dialecticæ caput, non esse vitii, hominem unum laudare in aliis, & in aliis accusare, sed eamdem rem & probare, & improbare..... In Tertulliano laudamus ingenium, sed damnamus hæresim. In Origene miramur scientiam Scripturarum, & tamen dogmatum non recipimus falsitatem. In Didymo vero memoriam prædicamus, & super Trinitate fidei puritatem; sed in ceteris, quæ Origeni male credidit, nos ab eo retrahimus. *Multa alia brevitatis amore prætereo; sed prætereundus non est Vincentius Lirinensis, qui in* Commonitorio *I. c.* 23. *Origenem primo ita impense laudavit:* Si vita facit auctoritatem, magna illi industria, magna pudicitia, patientia, tolerantia. Si genus, vel eruditio, quid eo nobilius, qui primum in ea domo natus est, quæ est illustrata martyrio, deinde pro Christo, non solum patre, sed omni quoque facultate privatus, tantum inter sanctæ paupertatis profecit angustias, ut pro nomine dominicæ Confessionis sæpius, ut ferunt, affligeretur? Neque vero hæc in illo sola erant, quæ cuncta postea tentationi forent; sed tanta etiam vis ingenii, tam profundi, tam acris, tam elegantis, ut omnes pene multum, longeque superaret: tanta doctrina, ac totius eruditionis magnificentia, ut pauca forent divinæ, pene fortasse nulla humanæ Philosophiæ, quæ non penitus assequeretur; cujus scientiæ cum græca contenderent, hebræa quoque elaborata sunt. Eloquentiam vero quid memorem? Cujus fuit tam amœna, tam lactea, tam dulcis oratio, ut mihi ex ore ipsius non tam verba, quam mella quædam fluxisse videantur? Quæ non ille persuasum difficilia disputanda viribus elimpidavit? Quæ factu ardua non, ut facillima viderentur, effecit? Sed forsitan argumentorum tantummodo nexibus assertiones suas texuit? Imo plane nemo unquam Magistrorum fuit, qui pluribus divinæ legis uteretur exemplis. Sed, credo, pauca conscripsit? Nemo mortalium plura, ut nihil sua omnia, non solum non perlegi, sed ne inveniri quidem posse videantur. Cuine quidquam ad scientiæ instrumenta deesset, etiam plenitudo exabundavit ætatis. Sed forsitan discipulis parum felix? Quis unquam felicior? Namque innumeri ex sinu suo Doctores, innumeri Sacerdotes, Confessores, & Martyres extiterunt. Jam vero quanta apud omnes illius admiratio, quanta gloria, quanta gratia fuerit, quis exequi valeat? Quis non ad eum paulo religiosior ex ultimis mundi partibus advolavit? Quis Christianorum non pene ut Prophetam, quis Philosophorum non ut Magistrum veneratus est? .... Dies me citius defecerit, quam „ ea, quæ in illo viro præclara extiterunt, vel „ ex minima saltem parte perstringam. “

271. Non piguit tam prolixum Lirinensis de Origene encomium describere, ut appareat, quot & quantis laudibus dignus habitus fuerit. Sed modo audiamus, quæ idem Lirinensis subdit: „ Et quid plura? Et res decidit, ut tantæ Personæ, tanti Doctoris, tanti Prophetæ non humana aliqua, sed, ut exitus docuit, nimium periculosa tentatio plurimos a fidei integritate deduceret. Quamobrem hic Origenes, tantus, ac talis, dum gratia Dei insolentius abutitur, dum ingenio suo nimium indulget, sibique satis credit, dum parvipendit antiquam Christianæ religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere præsumit, dum ecclesiasticas traditiones, & veterum magisteria contemnens, quædam Scripturarum capitula novo more interpretatur, maruit, ut de se quoque Ecclesiæ Dei dicaretur: Si surrexerit in medio tui Propheta: & paulo post: Non audies verba Prophetæ illius.“ En quomodo Origenes, & laudes maximas, & justas castigationes ab Ecclesiæ Patribus consecutus fuerit.

272. Ex quibus explicari potest, quod ibidem Lirinensis concedere videtur, scilicet *corruptos fuisse Origenis libros*. Id enim non tam concedere videtur, quam optare, inquiens: *sed dicet aliquis, corruptos esse Origenis libros. Non resisto, quin potius & malo.* Bene tamen observat, quidquid de hac corruptione sit, quæ certa omnino non est, *etsi non ipsum* (Origenem), *libros tamen sub nomine suo editos magnæ esse tentationi, qui multis blasphemiarum vulneribus scatentes, non ut alieni, sed quasi sui, & leguntur, & amantur.*

273. Apologiam vero Origenis, quæ prodiit sub venerando nomine S. Pamphili, & quam etiam Photinus laudat Codice 118., S. Hieronymus, temporibus Origenis multo vicinior, quam Photius, non dubitavit rejicere ut supposititiam. Credit ergo S. Hieronymus, hanc Origenis Apologiam sub nomine Pamphili Martyris fuisse Ruffini fraudem. Certe, Eusebio teste, Pamphilus nonnisi aliquot breves Epistolas ad Amicos exaravit. Vid. S. Hieronymus in Libro II. *Apologiæ adv.* Ruffinum, ubi ea revocat, quæ antea scripserat ad Dexterum Præfectum Prætorii, Apologiam pro Origene S. Martyri Pamphilo tribuens.

274. Id ipsum repetit S. Doctor in Lib. III. ejusdem Apologiæ adv. Ruffinum cap. 4., addens, quod si etiam concedatur *ex superfluo*, illam Origenis Apologiam vere Pamphili esse, fuisse tamen ab eo elucubratam, antequam *Martyrium pateretur*. Subdit postea: „ Et quomodo, inquiens, „ Martyrio dignus fuit? Scilicet ut Martyrio deleret errorem, ut unam culpam sanguinis sui effusione purgaret. Quanti in toto Orbe Martyres, antequam caderentur, variis subjacuere peccatis? Defendamus ergo peccata: quia qui „ po-

„ postea Martyres, prius peccatores fuerunt. *Ita* „ *de S. Pamphilo*. "

275. Aliter postea dicendum de libro sexto ejusdem Apologiæ, qui sine dubio est Eusebii; sed hujus Scriptoris Apologia non potest Origeni prodesse, cum Eusebii ipsius doctrina de Verbi divinitate non solum suspecta, sed pleue erronea, & damnata dici possit: fere enim communi calculo eruditi opinantur, Eusebium Cæsareensem fuisse Ariana impietate corruptum; unde merito S. Hieronymus in Epist. LXXXIV. dicebat, Eusebium sexentem apologiam Origenis ita eum sententem confirmasse, ut ipse Eusebius sentiebat, nempe prave, & perverse juxta Arii hæresim.

276. S. Methodius immerito inter Origenis defensores numeratur, cum potius Origenis doctrinam, ut multis, magnisque erroribus scatentem sæpius condemnaverit. Unde etiam S. Epiphanius non pauca hujus Sancti Martyris excerpta contra Origenem suo *Panario* inseruit. Nec fides adhibenda est Socrati, dum in sua Historia Eccles. Lib. VI. cap. 13. ita scripsit: „ Methodius, cum „ in libris suis Origenem diu, multumque insectatus fuisset, postea tamen, quasi palinodiam „ canens, in Dialogo, quem Xenonem inscripsit, „ summa eum admiratione prosequitur. „ Ibi enim Socrates totus est, ut Origenem defendat: & fortasse, quæ S. Methodius in laudem Origenis protulit, pro illorum revocatione accepit, quibus S. Martyr ejusdem Origenis errores confutaverat. Certe nec Eusebius, nec Ruffinus hujus Methodii palinodiæ ullam faciunt mentionem.

277. De recentioribus autem Origenis defensoribus nihil attinet dicere. Sunt enim variæ variorum sententiæ, & eruditis Origenis patronis facile est alios æque eruditos Origenis condemnatores opponere. Ducuntur primi studio veritatis Catholicæ contra Socinianos auctoritate tanti viri magis confirmandæ; & ex opposito alii merito verentur, ne eadem veritas labefactetur, si tam fragili fulcro sustineatur. Verentur insuper, ne tot veterum Patrum, Synodorum, atque etiam Romanorum Pontificum nutet auctoritas, si quem ipsi anathemate dignum judicarunt, nos ut innocentem absolvamus.

278. Dices. Si Origenes Arianis facem prætulit, eccur Nicæna Synodus Arianos condemnans, non ipsum etiam condemnavit? Quæ enim damnavit Arium, damnasset utique & Origenem, si illius dogmata reprobasset.

279. Respondet S. Hieronymus in laud. ep. LXXXIV., quod si hæc responsio valeret, „ etiam Spiritus sancti majestas neganda esset, quia „ in illa Synodo super substantia ejus silentium „ fuit. De Ario tunc, non de Origene quæstio „ fuit... Quanquam (*Patres Nicæni*) latenter „ Origenem fontem Arii percusserunt: damnantes „ enim eos, qui Filium de Patris negant esse substantia, illum pariter, Ariumque damnaverunt. „ Alioquin hoc argumento, nec Valentinus, nec „ Marcion, nec Cataphryges, nec Manichæus damnari debent, quia Synodus Nicæna eos non nominat, quos certe ante Synodum fuisse, non „ dubium est. "

280. Et hæc quidem contra doctrinam Origenis, non autem contra ipsum Origenem, qui in pace Ecclesiæ obiit anno 254. Et quamvis fecundissimus hic librorum editor in multis erraverit, nunquam tamen se ab Ecclesia separavit: imo ut Eusebius testatur Libro VI. *Hist. Eccl.* cap. 36. *ad Fabianum Romanæ Urbis Episcopum*, & *ad complures alios Ecclesiarum Antistites de recta fidei suæ ratione epistolas scripsit*. Ita Eusebius, qui postea subdit: *Horum autem rerum certissima documenta habes in sexto libro Apologetici illius, quem nos pro ejus defensione conscripsimus*. Sed S. Hieronymus aliter loquitur in epist. LXXXIV. num. 10. inquiens: *Ipse Origenes in epistola, quam scripsit ad Fabianum Romanæ urbis Episcopum, pœnitentiam agit, cur talia scripserit*. Dolendum maximopere est, hanc epistolam una cum multis aliis interiisse; ex ea enim huic de Origenis orthodoxia controversiæ maxima lux accederet, de qua hactenus egimus.

DE TERTULLIANO.

281. Minor est controversia de Tertulliani orthodoxia in iis, quæ ad Sanctissimæ Trinitatis mysterium spectant, ac præcipue ad veram Jesu Christi divinitatem. Pauci enim Petavio consentiunt, qui eum *Arianam hæresim impietate & absurditate superasse*, scribit Lib. I. de Trinit. c. 5. num. 2. Neque vero diu immorabimur in longa hujus celebris Africani apologia texenda, sed paucis allatis ejusdem pro Christi divinitate nobilioribus testimoniis, ea explicabimus, quæ ab ejus adversariis objiciuntur.

282. Ac primo Tertullianus Jesum Christum sæpius appellavit *Deum*, & quidem in proprio sensu, non metaphorico. In *Apologetico* enim cap. 21. Filium vocat semel, & iterum *de Spiritu, & de Deo Deum*, ut est lumen de lumine. Et contra Praxeam c. 13. *Apostolum*, inquit, *sequor, ut si pariter nominandi fuerint Pater, & Filius, Deum Patrem appellem, & Jesum Christum Dominum nominem. Solum autem Christum potero Deum dicere, sicut idem Apostolus Roman. IX.: Ex quibus Christus*, inquit, *qui est Deus super omnia benedictus in ævum omne*. Ac denique in Libro *de carne Christi* cap. 5. duas in Christo naturas, divinam, & humanam aperte distinguit, inquiens: „ Itaque utriusque substantiæ census hominem, & Deum ex„ hibuit: hinc natum, inde non natum; hinc carneum, inde spiritualem; hinc infirmum, inde „ præfortem; hinc morientem, inde viventem. " Quia Tertulliani verba iis simillima videntur, quæ superius n. 170. ex S. Ignatio attulimus, ut fortasse verisimile sit, Tertullianum ea ex hoc Sancto Martyre mutuatum esse.

283.

283. Ulterius Tertullianus tribuit Jesu Christo non solum nomen Dei, sed etiam omnia attributa Patris. Insignis est locus in Libro contra Praxeam cap. 17., ubi inquit: „ Nomen Patris Deus omnipotens, altissimus, Dominus virtutum, Rex Israelis, qui est, quatenus ita Scripturae docent. Haec dicimus & in Filio competisse ... Omnia, inquit, Patris mea sunt. Cur non & nomina? " Et cap. 27. Verbo, seu *Sermoni* aeternitatem tribuit, & immutabilitatem, probans, ipsum factum carnem, non per transfigurationem aliquam, quia „ Deum immutabilem, & informabilem credi necesse est, ut aeternum; transfiguratio autem est interemptio pristini... Sermo autem Deus, & Sermo Domini manet in aevum, perseverando scilicet in sua forma. "

284. Denique eamdem substantiam, & essentiam Tertullianus tribuit Patri, & Filio, imo etiam Spiritui sancto, quem pariter Deum nominare non dubitavit. Nam in supra laudato Libro *Apologetici* cap. 21. de Christo loquens, *Hunc*, inquit, *ex Deo prolatum dicimus, & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei, & Deum dictum ea unitate substantiae*. Et in Lib. contra Praxeam cap. 4. *Filium*, inquit, *non aliunde deduco, quam de substantia Patris*. Et c. 12. *Ceterum*, inquit, *utique teneo unam substantiam in tribus cohaerentibus*. Ac demum c. 25. haec verba habet, quibus omnium divinarum Personarum consubstantialitas luculentissime asseritur: „ Ita contextus Patris in Filio, & Filii in Paracleto tres efficit cohaerentes, alterum ex altero. Qui tres unum sunt, non unus; quomodo dictum est: Ego, & Pater unum sumus: ad substantiae unitatem, non ad numeri singularitatem. " Quam loquendi rationem retinuit etiam in Libro *De pudicitia* cap. 2. inquiens: *Trinitas unus divinitatis Pater, Filius, & Spiritus sanctus*. Haec aliaque non pauca ejusdem generis testimonia adeo clara sunt ut nos cogant omne de puritate doctrinae Tertulliani in Sanctissimae Trinitatis mysterio dubium abjicere, & si quae obscuriora sunt, in meliorem partem exponere.

285. Obj. primo. Tertullianus contra Praxeam cap. 9. *Non idem*, inquit, „ Pater, & Filius, vel modulo alios ab alio. Pater enim tota substantia est, Filius vero derivatio totius, & portio: sicut ipse profitetur, quia Pater major me est. " Aliis etiam in locis Filium vocat *portionem Patris*: non ergo Filius totam in se habet Patris essentiam, ut dici possit Patri *consubstantialis*. Uni etiam utitur similitudine solis, & radii: solem enim contemplari non licet: *radium autem ejus toleramus oculis pro temperatura portionis, quae in terram inde porrigitur*, quae similitudo manifeste indicat diversitatem naturae in Patre, & Filio, ut diversa est solis, & radii: & sicut radius est soli, a quo procedit multo inferior, ita Filius sit Patre minor.

286. Respond. has, & similes loquendi formulas, quae Tertulliano sunt consuetae, aliis autem Patribus inusitatae, non exiguam iis inferre difficultatem, qui in Tertulliani lectione non sunt bene exercitati, nullam autem iis, qui obscurum hujus Africani stylum sibi familiarem reddiderunt. Quantum autem spectat ad testimonia nobis objecta, dico primo, Patrem, & Filium ad Tertulliani mentem non esse *idem* numero, esse tamen idem substantia, quod centies asseruit idem Tertullianus. Addit vero, Patrem esse totam *substantiam*, Filium autem *portionem*; non certe quasi substantia Patris, quae simplicissima & indivisibilis est, secta sit in portiones. Quis enim suspicetur, homini doctissimo tam absurdam insedisse opinionem? Sed his verbis Africanus Doctor significare voluit Patrem esse principium Trinitatis, Filium vero portionem, seu derivationem a Patre: sumit enim Tertullianus *portionem* pro derivatione, vel participatione, quam nos processionem nominamus. Unde ibidem aliquanto clarius se explicans: *Pater*, inquit; „ tota substantia; Filius vero derivatio totius, & portio... Sic & Pater alius a Filio, dum Filio major: dum alius, qui generat, alius, qui generator; dum alius, qui mittit, alius, qui mittitur; dum alius, qui facit, alius, per quem fit. " Ut scilicet intelligamus, non alia de causa, Patrem esse Filio majorem, nisi quia Pater generat Filium, ut inter utrumque sit ordo originis, non diversitas naturae. Quo sensu etiam a nonnullis aliis intellecta fuisse verba Jesu Christi: *Pater major me est*, supra monuimus num. 85. Id autem majori emphasi Tertullianus exprimebat, ut contra Praxeam divinarum Personarum distinctionem adstrueret. Praxeas enim, ut idem Tertullianus inquit c. 2., „ unicum Deum non alias putabat esse credendum, quam si ipsum, eumdemque Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum dicat: quasi non sic quoque unus sit omnia, dum ex uno omnia, per substantiae scilicet unitatem. "

287. Neque vero oportet adhibitam a Tertulliano comparationem solis, & radii ita presse intelligere, ut inde sequatur, Filium esse inferiorem Patri, sicut radius minor est sole. Hac enim comparatione utebatur Tertullianus aptissime ad significandum, quomodo Filius distinguatur quidem a Patre, non tamen ab eo separetur, sicut radius distinguitur a sole, nec tamen potest ab eo separari. Unde alibi utitur exemplis fontis, & rivuli a fonte derivati, aut unius ignis, qui ex alio accenditur; quibus exemplis etiam alii Patres feliciter usi sunt, ad hoc ineffabile mysterium aliqua ratione explicandum. Quemadmodum enim eadem omnino est aqua fontis, & rivuli; ita eadem est essentia Patris, & Filii; & quemadmodum non diminuitur unus ignis, cum alter ex eo accenditur; ita non diminuitur substantia Patris, dum Filius ab eo generatur.

288. Et ne haec gratis conficta credantur, placet clariora ejusdem Tertulliani ex c. 21. *Apologe-*

getici verba afferre; ubi de Christo sic loquitur: „ Hunc ex Deo prolatum didicimus, & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei, & Deus „ dictum *ex unitate substantiæ;* nam & Deus „ Spiritus. Etiam cum radius ex sole porrigitur, „ portio ex summa. Sed sol erit in radio, quia „ solis est radius; nec separatur substantia, sed „ extenditur. Ita de Spiritu Spiritus, *& de Deo* „ *Deus*. Ut lumen de lumine accensum, manet „ integra, & indefecta materiæ matrix, etsi plu„ res inde traduces qualitatis mutueris: ita & quod „ de Deo profectum est, *Deus est, & Dei Fi*„ *lius, & unus ambo.* "

289. Neque vero obest, quod in loco objecto Tertullianus hoc Patrem inter & Filium ponat discrimen, ut *invisibilem Patrem intelligamus pro plenitudine majestatis, visibilem vero Filium pro modulo derivationis*.

290. Non, inquam, id obest; constat enim ex eo ipso loco contra Praxeam, id dictum esse de Filio, quatenus non in propria divina natura, quam eamdem habet invisibilem cum Patre, sed in forma assumpta apparuisse creditur veteribus Patriarchis, ac postea omnibus in natura humana visus est, quando eam hypostatica unione sibi copulavit. Ibidem enim subdit: *Dicimus & Filium suo nomine eatenus invisibilem, qua Sermo, & Spiritus Dei ex substantiæ conditione ... visibilem autem fuisse ante carnem ... visum tam Prophetis, & Patriarchis, quam & ipsi adhuc Moysi;* scilicet in antiquis apparitionibus. Post autem sic pergit cap. 15. *Ecce enim & in Evangeliis, & in Apostolis visibilem, & invisibilem Deum deprehendo ... visibilem quidem in carne, invisibilem vero ante carnem.* Vide quæ supra dicta sunt n. 236. de simili S. Justini, aliorumque veterum loquendi modo.

291. Obj. secundo cum Petavio insignem Tertulliani locum ex cap. 5. & seq. Libri contra Praxeam, ubi primo affert quorumdam auctoritatem, qui prima Geneseos verba in Hebraico ita legebant: *In principio Deus fecit sibi Filium;* & quanquam hanc auctoritatem *firmam* esse non judicet, eamdem tamen non omnino repudiat. Deinde addit, Deum, *quando voluit ea, quæ cum Sophiæ ratione, & Sermone disposuerat intra se, in substantias, & species suas edere*, idest hunc adspectabilem mundum creare *ipsum primum protulisse Sermonem*, nempe λόγον, seu Verbum; quod proinde æternum non erat. Tertio hoc idem Verbum, quod *Sophiam* postea vocat, creatum fuisse probat iis Sapientiæ verbis: *Dominus creavit me initium viarum suarum;* ac proinde hanc *Sophiam* dicit esse *secundam Personam conditam*. Quarto nativitatem hujus *Verbi*, seu *Sermonis*, aut *Sophiæ* tunc ponit, quando Deus dixit *Fiat lux*, sed quando res omnes creavit, adeoque non ab æterno. Quæ omnia Arianum redolent sensum.

292. Resp. obscura certe esse, quæ hoc loco Tertullianus tradit, reddi tamen clara ex iis, quæ ex eodem libro supra retulimus num. 283. regula enim Critices est, ut obscura ex clarioribus explicentur; non contra ut clara ex obscuris. Primo autem attendendus est Tertulliani scopus in eo libro, scilicet evincendi contra Praxeam distinctionem divinarum personarum, quam hæreticus negabat, Sabellio præludens (Vid. Dissert. I. n. 16.). Ad hoc autem probandum primo adducit illam lectionem verborum Gen. cap. I. *In principio Deus fecit* (seu generavit) *sibi Filium;* quam tamen lectionem non admittit, quamvis ad distinctionem duarum personarum ostendendam apta esset.

293. Postea eamdem distinctionem validius demonstrat, observando, *ante omnia*, idest ab æternitate, *fuisse Deum solum*, quia nihil aliud *extrinsecus* erat præter illum: absolute tamen solum non fuisse, quia habebat secum, & in semetipso suam *Rationem*, seu λόγον, ut postea explicat, *Sermonem*, aut *Verbum*. Hoc nomine certum est, a Tertulliano designari non attributum Dei, sed veram personam subsistentem, ut subinde sæpius, & luculenter ab eodem Tertulliano asseritur. Hæc autem secunda Persona æterna esse debuit; alias Deus ab æterno non fuisset *rationalis*. Quod si de attributo Dei loqueretur Tertullianus, adversario suo Praxeæ victas manus dedisset, qui Verbum, seu rationem a Deo non distinguebat.

294. Difficultas, si qua est, in eo residet, quod Tertullianus Verbi prolationem, seu nativitatem tunc ponat, quando Deus dixit, *Fiat lux*, seu in prima rerum creatione, quasi antea non fuerit; & hanc Verbi nativitatem vocat perfectam, utpote quia tunc primum *Filius factus est Dei, de quo prodeundo generatus est*.

295. Sed hujusmodi nativitas eo modo intelligenda est, quo superius n. 206. & seq. aliorum Patrum similes locutiones exposuimus, ut scilicet nativitatis nomine ibi intelligat Tertullianus, non primam Verbi originem, quæ æterna est, sed temporariam ejusdem Verbi manifestationem, quæ in creatione rerum facta fuit; hac enim manifestatione ibi utebatur Africanus ad probandam distinctionem *Verbi*, *Sermonis*, *Sophiæ*, *Filii* a Patre; his enim omnibus vocibus Tertullianus secundam Trinitatis personam appellat. Nec obest, quod hæc nativitas dicatur *perfecta;* nihil enim aliud hoc epitheto voluit Tertullianus significare, quam Deum, quæ antea a tota æternitate *cum suo Sermone disposuerat intra se*, voluisse postea per eumdem Sermonem, sive Verbum *edere in substantias, & species suas*, & tunc λόγον fuisse *perfecte* genitum, idest manifestatum ad extra. Hæc sunt Tertulliani verba: *Hæc est nativitas perfecta Sermonis, dum ex Deo procedit: conditus ab eo primum ad cogitatum*. En quomodo intelligat Tertullianus, Verbum tunc *perfecte natum*, quando Pater per ipsum omnia fecit: idest tunc.

tunc primum manifestatum, cum antea ab æterno apud ipsum lateret, quasi ejus consiliarius.

296. Ceterum quidquid sit de hujusmodi locutione, dubitare minime possumus, agnitam & confessam a Tertulliano fuisse veram, & æternam Verbi generationem. Nam primo ibidem c. 8. *Sermo*, inquit, *& in Patre semper*, *sicut dicit: ego in Patre; & apud Deum semper*, *sicut scriptum est: & Sermo erat apud Deum*, *& nunquam separatus a Patre*, *aut alius a Patre*, *quia ego & Pater unum sumus*. Vide etiam, quæ supra n. 283. ex eodem Tertulliano allegavimus pro Verbi æternitate.

297. Quod demum objectum fuit ex voce *creare*, qua utitur Tertullianus ad exprimendam Verbi generationem, nullum facessit negotium; constat enim, hanc vocem etiam ab aliis scriptoribus adhibitam fuisse pro Filii æterna *generatione*; & hoc sensu a Tertulliano sumi, manifestum est, cum ex aliis locis, tum ex hoc ipso cap. 5., ubi dicit, *Sophiam*, quæ idem est cum ratione, fuisse semper apud Deum, quia semper Deus fuit rationalis: non ergo producta fuit ex nihilo, quod proprie intelligitur nomine *creationis*.

298. Objicies tertio. Tertullianus disputans contra Hermogenem, qui comminiscebatur, materiam fuisse æternam, hoc sophismate utens, quia Deus non fuisset ab æterno *Dominus*, *si non fuisset aliquid retro semper*, *cujus semper Dominus haberetur*, cap. 3. affirmare non dubitat, Deum non semper fuisse *Dominum*, quomodo nec semper fuit Pater, nec judex. *Et Pater Deus est*, inquit, *& judex Deus est; non tamen ideo Pater*, *& judex semper*, *quia Deus semper*. *Nam nec Pater potuit esse ante Filium*, *nec judex ante delictum*. Pro certo igitur habuit Tertullianus, Filium non fuisse ab æterno, quomodo ab æterno non fuit delictum.

299. Resp., prætermissis variis Theologorum responsionibus, satis manifeste apparet, Septimium hoc loco vocare Deum *Patrem*, non respectu Unigeniti sui Filii, quem semper apud eum fuisse alibi frequenter affirmat, sed respectu creaturarum rationalium, quarum est judex, cum delicta punit; est autem Pater, cum iis sua beneficia impertitur, juxta illud Moysis Deuteron. XXXII. 6. dicentis populo; *Nunquid non ipse est pater tuus*, *qui possedit te*, *& fecit*, *& creavit te?* Et certe male hæc duo vocabula Patris, & judicis conjunxisset Septimius, si ad Filii generationem digitum intendisset; quæ enim connexio inter Filium æternum, & delictum? Apposite autem conjunguntur, si ad beneficia, & punitiones utrumque nomen referatur. Vult ergo Tertullianus, Deum non fuisse ab æterno *Dominum*, quando nihil erat, ad quod ejus dominium extenderetur: sicut non erat Pater, quando creaturæ non erant, in quas paterna sua beneficia effunderet, nec judex, antequam essent peccatores, quos sua justitia puniret. Ita hunc locum explicat Natalis Alexander Dissert. IX. in sæc. II. art. 3.

300. Carolus autem Witasse, qui copiosissimas Tertulliani vindicias egit, putavit, etiam hæc verba ad illam doctrinam esse referenda, quæ fuit Tertulliano cum multis aliis Patribus communis, de duplici Verbi divini generatione, interna scilicet, qua ab æterno erat apud Patrem, atque externa, quando in mundi creatione manifestatum est; & solum post hanc secundam generationem, seu manifestationem cœpisse appellari Dei Filium: qua posita doctrina sequitur id, quod Tertullianus Hermogeni respondebat, Deum non semper fuisse *Patrem*. Sed hæc disertius explicata invenientur apud laud. clariss. Theologum; tum apud Natalem Alexandrum loco mox citato; apud Nicol. Nourry in Apparatu ad Bibliothecam maximam Sanct. Patrum Dissert. IV. & apud Prudentium Maran.

301. Ceterum non desunt, qui nullam habendam esse rationem Tertulliani censent, cum in alios turpissimos errores infeliciter lapsus sit. Unde S. Hieronymus adv. Helvidium cap. 9. *de Tertulliano*, inquiebat, *nihil amplius dico*, *quam Ecclesiæ hominem non fuisse*. Et S. Hilarius Can. 5. in Matthæum, ejus hæresis, inquit, *scriptis probabilibus detraxit auctoritatem*. Hi tamen Theologi nec multi sunt, nec iis æquiparandi, qui Tertulliani doctrinam cum doctrina Synodi Nicænæ conciliari posse putarunt.

DE NOVATIANO.

302. Novatianus, (seu quilibet alter antiquus auctor Libri *de Trinitate*, qui olim Tertulliano tributus fuit, sed a S. Hieronymo in *Catalogo scriptorum ecclesiasticorum*, & in *Apologia II. contra Ruffinum* adscribitur Novatiano) κατὰ πόδας sequitur Tertullianum, & communiter fere putatur de mysterio Trinitatis recte sensisse, & scripsisse, quamvis Petavio visus sit *non satis accurate locutus*, *imo absurde pleraque tradidisse*. Quæ tamen doctissimus iste Theologus revocavit in Præfat. ad Tomum II. demonstrans, antiquum hunc Scriptorem aliorum Patrum traditionem in hoc Fidei nostræ capite approbasse.

303. Id autem ostenditur ex regula Fidei, quam initio proponit, incipiens a confessione unius Dei Patris omnipotentis. Pergit autem cap. 9. ad articulum de Filio, ita statuens: *Eadem regula veritatis docet nos credere post Patrem etiam in Filium Dei Christum Jesum Dominum Deum nostrum*, *sed Dei Filium*, *hujus Dei*, *qui unus*, *& solus est*. Cap. autem 11. non indiligenter ostendit duplicem in Christo naturam; scilicet humanam, secundum quam ex matre natus est, & divinam. *Ut enim*, inquit, *præscripsit ipsa natura hominem credendum esse*, *qui ex homine sit*, *ita eadem natura præscribit*, *& Deum credendum esse*, *qui ex Deo sit: ut si non & Deus fue-*

fuerit, cum ex Deo sit, jam nec homo sit, licet ex homine fuerit; & in alterutro utrumque periclitetur, dum alterum altero fidem perdidisse convincitur. Et pene totus exscribendus esset liber, ut ortodoxe eum de tota Trinitate sensisse, luculenter ostendatur.

304. Objiciuntur tamen quædam loca, quæ prima fronte difficultatem facessere possunt. Primo explicans illa Apostoli verba ad Philipp. II. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo*, inquit cap. 17.: *Quamvis enim se ex Deo Patre esse meminisset, numquam se Deo Patri aut comparavit, aut contulit, memor, se esse ex suo Patre, & hic ipsum, quod est, habere se, quia Pater dedisset. Inde denique & ante carnis assumptionem, sed & post assumptionem corporis, post ipsam præterea resurrectionem omnem Patri in omnibus rebus obedientiam præstitit pariter, ac præstat. Ex quo probatur, nunquam arbitratum illum esse rapinam quamdam divinitatem, ut æquaret se Patri Deo: quinimo contra omni ipsius imperio, & voluntati obediens, atque subjectus, ut formam servi susciperet, contentus fuit &c.*

305. Præterea cap. 22. illud Christi Domini Joannis X. *Ego & Pater unum sumus*, non de unitate essentiæ exponit, sed *de unitate concordiæ, sententiæ, & charitatis: ut merito unum sint Pater, & Filius per concordiam, & per amorem, & per dilectionem*. Quod confirmat Pauli Apostoli verbis, qui 1. ad Corinth. III, postquam dixisset: *Ego plantavi, Apollo rigavit &c.* subdit: *Qui autem plantat, & qui rigat, unum sunt*. Unde Novatianus concludit: *Quando duorum una sententia est, veritas una est, fides una est, una, atque eadem religio est, unus etiam Dei timor est, unum sunt, etiamsi duo sint, ipsum sunt, dum ipsum sapiunt*. Quæ explicatio prorsus Ariana est.

306. Tertio asserit cap. 31. Patrem esse *invisibilem, immensum, immortalem, æternum;* hæc vero attributa, quæ Deo sunt essentialia, negat inesse Filio, inquiens: *Si invisibilis fuisset cum invisibili collatus par expressus, & duos invisibiles ostendisset, & ideo duos comprobasset Deos. Si incomprehensibilis, si & cetera quæcumque sunt Patris, merito dicimus, duorum Deorum, quam isti confingunt, controversiam suscitasset*.

307. Resp., hæc nomina *imperii*, & *obedientiæ*, quæ etiam ab aliis sanctis Patribus non infrequenter usurpata sunt (vide supra n. 212.); cum de Christo ut Deo enunciantur, non rigide esse accipienda, quasi sit in natura sua Patri inferior, aut subjectus, sed in latiore significatu, quatenus Filius naturam suam non a seipso habet, sed a Patre sibi communicatam; unde etiam a Patre missus dicitur, tum ratione originis, tum etiam quia carnem assumere debebat, in qua veram, & proprie dictam Patri obedientiam præstiturus erat, *factus obediens usque ad mortem*.

308. Et de hac obedientia, quam postea Christus voluntati Patris exhibiturus erat, intelliguntur ea verba Psalm. XXXIX. 9., quibus Filius ita Patrem alloquitur: *In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam: Deus meus volui;* quæ communiter intelliguntur de æterno decreto Incarnationis Filii. Hoc sensu locutum esse Novatianum, ipsius verba declarant, dum dicit de Filio: *Omni ipsius imperio, & voluntati obediens, atque subjectus, ut formam servi acciperet, contentus fuit*. Quod & Christus Dominus confessus est, dicens: *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus, qui misit me*, Joan. IV. 38.

309. Ad secundum facilior est responsio, observando, Novatianum exponere quidem verba Christi Domini: *Ego, & Pater unum sumus* de unitate concordiæ, amoris, & dilectionis, non tamen excludere aliam unitatem essentiæ. Ibi enim totus erat, ut contra Sabellianos personarum distinctionem evinceret, ac propterea eum illi perpetuo abuterentur iisdem Christi verbis, ad probandam unitatem personæ Patris, & Filii, ille eadem exposuit de unitate concordiæ, amoris, & dilectionis. Ubi etiam acute notat, non dixisse Christum *unus sumus*, sed *unum sumus; unum enim neutraliter positum societatis concordiam, non unitatem personæ sonat*. Eamdem tamen utriusque Personæ naturam satis luculenter jam supra explicaverat.

310. Ad tertium resp., Novatianum non negare *absolute* Filium esse invisibilem, incomprehensibilem, æternum &c., sed solum velle, hæc attributa competere Filio, quatenus habet naturam Patris. Ibi enim dissolvebat Sabellianorum calumniam, quod distinguendo duas personas divinas duo ponerentur Dii; quod Novatianus recte negat consequi, quia utraque persona unam, eamdemque habet naturam; & quidquid habet Filius, acceptum habet a Patre.

311. Inst. Novatianus non semel asserit, Filium esse *minorem Patre*, tum etiam eodem Patre *posteriorem;* nam in cap. ult. *Necesse est*, inquit, *ut Filius Patre minor sit*. Et rursus: *Pater Filium præcedit*.

312. Resp., utrumque verum esse de origine, qua Pater non a Novatiano solum, sed etiam a nonnullis aliis dicitur *major*, & *prior* Filio; non autem de natura, quæ eadem est in utroque.

313. Obj. ult. Ruffinus in *Apologia pro Origene* narrat, Pneumatomachos, negantes Spiritum sanctum esse personam divinam, Novatiani librum *de Trinitate* Constantinopoli divulgasse, utpote quo ipsorum error confirmabatur.

314. Resp. Novatianum revera de Spiritu sancto ambigue loqui, quasi non persona, sed tantum divina virtus esset; saltem non ita perspicue locutum fuisse, sicut locutus est de Filii divinitate. Sed hæc alia quæstio est, quæ ad hunc locum

eum non pertinet. Non desunt tamen, qui Novatianum hac etiam in parte defendunt, & quæ Macedoniani ex Novatiano objiciebant, benigne exponant.

315. Ceterum præsens nostrum institutum non exigit, ut doctrinam Novatiani in omnibus capitibus orthodoxam ostendamus. Fuit enim hostis Ecclesiæ, qui contra Cornelium Romanum Pontificem schisma conflavit; imo seipsum a tribus Episcopis ex angulo Italiæ accitis in Episcopum Romanum ordinari fecit, & in schismate pertinax misere obiit; de quo schismate legendus est Eusebius Lib. VI. *Hist. Eccl.* cap. 43.

DE LACTANTIO.

316. Non ita facile fuerit ab omni errore purgare Lactantium Firmianum, qui eo minus excusabilis videtur, quod post tempora Nicænæ Synodi vixerit, quando dogma divinitatis Jesu Christi jam satis discussum, & ab Ecclesia definitum erat. Fuit enim Lactantius præceptor infelicis Crispi Cæsaris, a patre suo Constantino interfecti anno 325. ... Quanquam ejus auctoritas admodum gravis non est, cum eloquentia potius, quam doctrina theologica commendetur: ac de eo prudenter dixerit S. Hieronymus epist. LVIII. alias XIII. *Lactantius quasi quidam fluvius eloquentiæ Tullianæ, utinam tam nostra affirmare potuisset, quam facile aliena destruxit.*

317. Nactus est tamen suos defensores; & reipsa vi communis traditionis quasi coactus nonnulla protulit, quæ a catholica fide divinitatis Christi minime dissentiunt. Et quidem decretorium est illud testimonium, quod habet Lib. IV. *Divin. Institut.* cap. 29., ubi sibi objicit nomine Paganorum, quod nos duos afferamus Deos, Patrem, & Filium, respondet autem: *Cum dicimus Deum Patrem, & Deum Filium, non diversum dicimus, nec utrumque secernimus; quia nec Pater sine Filio esse potest, nec Filius a Patre secerni: siquidem nec Pater sine Filio nuncupari, nec Filius potest sine Patre generari. Cum igitur & Pater Filium faciat, & Filius Patrem, una utrique mens, unus Spiritus, una substantia est: sed ille quasi exuberans fons est, hic tanquam defluens ex eo rivus; ille tanquam sol, hic quasi radius a sole porrectus: qui quoniam summo Patri & fidelis, & carus est, non separatur: sicut nec rivus a fonte, nec radius a sole, quia & aqua fontis in rivo est, & solis lumen in radio.*

318. Nihil disertius hoc testimonio; & frustra aliqui conati sunt illud explicare tantum de unitate consensus, aut dilectionis, quia postea hanc unitatem explicans, dicit, *Filium esse in Patre, quia Pater diligit Filium, & Patrem in Filio, quia voluntati Patris fideliter paret.* Sed omnem difficultatem tollunt, quæ postea sequuntur: *Quapropter cum mens, & voluntas alterius in altero sit, vel potius una in utroque, merito unus Deus uterque appellatur, quia quidquid est in Patre ad Filium transfluit, & quidquid in Filio, a Patre descendit.*

319. Hæc clara, & aperta videntur. Sed dissimulandum non est, alia occurrere in ejus libris, quæ aut vix, aut nullatenus possunt ad bonum, sanumque sensum deduci. Accedit etiam auctoritas S. Hieronymi in epist. LXXXIV. ad Pammachium, alias LXV. n. 7. dicentis: *Lactantius in libris suis, & maxime in epistolis ad Demetrianum, Spiritus sancti omnino negat substantiam, & errore Judaico dicit, eum vel ad Patrem referri, vel Filium, & sanctificationem utriusque personæ sub ejus nomine demonstrare.*

320. Est etiam celebre illius dictum omnino Arianum Lib. II. *Divin. Instit.* cap. 9.: Christus Jesus *de matre natus est, qui antea jam fuit de Patre, qui aliquando non fuit.* Quanquam non desunt, qui putent, illud aut Arianorum figmentum esse, cum a pluribus, & quidem optimæ notæ codicibus absit; aut imperiti librarii vitium, & legendum esse: *de Patre, qui aliquando non defuit;* ut legitur in codice Forojuliensi memorato a P. Bernardo de Rubeis *de rebus Congregationis sub titulo S. Jacobi Salomonii* cap. 7. num. 6. Ceterum de Lactantio legendi sunt P. Nat. Alexander Dissert. XLII. in Sæc. IV., & D. Prudentius Maran in sæpius memorato opere *Divinitas J. C. D. N.* &c. Libro IV. cap. 20.

CAPUT IX.

An eorum error, qui veram Christi divinitatem negant, sit in Ecclesia tolerabilis?

321. Refert S. Athanasius Orat. I. *contra Arianos*, aliquos fuisse, qui quanquam veram Christi divinitatem omnino credebant, attamen vel Constantii Imperatoris metu fracti, vel præpostero quodam pacis amore ducti Arianos tolerandos esse volebant. Nostra autem, Patrumque nostrorum memoria idem tolerantiæ spiritus erga Arianos, & Socinianos renovatus est. Et sane postquam infallibilis Ecclesiæ auctoritatis jugum a Novatoribus excussum est, & uniuscujusque arbitrio sacr. Scripturarum interpretatio permissa, id etiam consequens erat, ut omnes vel absurdissimi errores tolerarentur.

322. Primus, qui Socinianos in Ecclesia tolerandos esse docuit, fuit, ni fallor, Simon Episcopius, unus ex præcipuis Remonstrantium antesignanis, qui in suis *Institutionibus* Lib. IV. sect. 2. cap. 34. persuadere conatus est, articulum de Christi divinitate, utut fortasse verum, ad fidem tamen, & religionem non ita pertinere, ut qui eum negaverit, ab Ecclesia ejiciendus sit. Quæ

Quæ sententia non paucis postea placuit, & multi facti sunt Socinianorum patroni (*a*).

323. Sed contra hos omnes certissime tenendum est, veram, consubstantialemque Christi divinitatem dogma fidei capitale esse, quod nemo sine magno piaculo, atque æternæ salutis dispendio negare potest.

324. Id constat primo ex sacris litteris; nam S. Joannes, postquam multa de Christi divinitate scripsisset, ita suum evangelium concludit cap. XX. *Hæc autem scripta sunt, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus*; in quæ verba ita commentatur S. Hilarius Lib. VI. *de Trinit.*: *Scribendi igitur evangelii non aliam prætulit causam, quam ut omnes crederent, Jesum esse Christum filium Dei. Si sufficit ad salutem Christum credere, cur adjecit: Filium Dei?* Hæc verba perpendisse debebat Lockius, dum ex hoc ipso S. Joannis testimonio probare contendit, nihil aliud nobis in evangelio credendum proponi, quam Jesum esse Christum, seu Messiam in Lege promissum. (*Christianisme raisonnable* cap. 4.)

325. Præterea idem S. Evangelista in sua prima epist. cap. V. de Christo loquens, *hic est verus Deus*, inquit, *& vita æterna*: ut nempe nos doceret, sine illo nos vitam æternam consequi non posse. Et ulterius quid opus erat, tam sæpe, & tam perspicue nobis in sacris litteris repeti, Jesum Christum esse *filium Dei*, & *verum Deum*, si id ignorari, vel etiam negari a fidelibus impune, & sine piaculo poterat?

326. Secundo id probatur ex veteribus Ecclesiæ Patribus. Nam S. Irenæus Lib. III. *adv. hæreses* cap. 19. alias 21. eos, qui Christum nudum esse hominem dicebant, nempe Cerinthianos, & Ebionæos, *privari* dicit *munere ejus*, *quod vita æterna est*.

327. S. Dionysius Rom. Pontifex in epist. adv. Sabellianos (apud S. Athanasium *de decretis Synodi Nicænæ*) *Blasphemia*, inquit, *non vulgaris*, *sed maxima habenda est*, *Dominum dicere quodammodo manufactum: si enim factus est Filius*, *erat igitur*, *quando non erat: atqui ille semper erat*. Certe sententia utcumque tolerabilis non fuisset a Rom. Pont. una cum Synodo ab eo coacta appellata *blasphemia non vulgaris*, *sed maxima*.

328. Demum pro multis sufficiat S. Athanasius, qui in Orat. I. *contra Arianos* eos, qui veram, consubstantialemque Christi divinitatem negabant, ne Christianos quidem appellandos esse, censebat. *Qui Arianos*, inquit, *vocant Christianos*, *multum profecto*, *valdeque errant*, *tanquam qui nec scripturas legerint*, *nec quid sit Christianismus*, *& Christianæ religionis fides*, *omnino sciant*. *Quid enim simile hæresim inter*, *& rectam*, *piamque fidem animadverterunt*, *ut nugatorie asseverent*, *nihil illos mali dicere? Si ita est*, *illis sane liceat Caipham Christianum nuncupare*, *proditorem Judam inter Apostolos numerare*, *contendere*, *nihil eos mali fecisse*, *qui Barabbam præ Salvatore petierunt*; *Hymenæum*, *& Alexandrum*, *ut recte sentientes commendare*, *affirmareque*, *Apostolum falsa illis affinxisse*. Et multa alia similia late prosequitur magnus ille divinitatis Christi vindex.

329. Id ipsum adhuc apertius constat ex ecclesiastica historia, qua edocemur fuisse anathemate perculsos, & ab Ecclesia ejectos, quotquot de vera Christi divinitate haud recte senserunt. Atque in ipso primo Ecclesiæ nascentis exordio ut hæretici habiti sunt Cerinthus, & Ebion, quorum iste Christum purum, putumque hominem fuisse blasphemabat, Cerinthus vero Jesum separabat a Christo, & Jesum purum hominem fuisse commiscebatur, in quem Christus de cœlo in baptismo descenderit, instante autem passione ab eo recesserit.

330. Sæculo II. Theodotus ὁ σκυτεύς, *Coriarius* dictus, qui pestiferum Ebionitarum dogma exsuscitavit, fuit a Victore Rom. Pontifice ab Ecclesiæ communione remotus, ut testatur Cajus Presbyter apud Eusebium Lib. V. *Hist. Eccl.* cap. 28., ubi etiam celebris illa Natalis Confessoris histo-

(*a*) Dan. Zwickerus Gedano-Borussus in suo *Irenicoirenicorum* 1638., & Natalis Alb. de Versè in libello *Le Protestant pacifique* 1684. hanc Episcopii tolerantiam ambabus ulnis amplexi sunt. Episcopium vero, & Zwickerum copiose refutavit Georgius Bullus; primum quidem in opere, cui titulus: *Judicium Ecclesiæ catholicæ trium primorum sæculorum de necessitate credendi, quod D. N. J. C. sit verus Deus*; alterum autem in libro: *Primitiva & apostolica traditio dogmatis in Ecclesia catholica recepti de J. C. Servat. nostri divinitate*; quamquam jam prius, scilicet ab anno 1663. fuerat Zwickerus a Comenio valide confutatus. Natalis autem Alb. de Versè singulari Dei gratia ad Ecclesiæ Catholicæ sinum anno 1690. revocatus pluribus editis scriptis contra Socinianos priorem errorem emendavit. Hæc absurdissima tolerantia apud heterodoxos, præcipue in Anglis latissime propagata est a Doct. Arcthuro Bury in libro inscripto, *Evangelium nudum* 1690., quod infame opus ab Universitate Oxfordiensi rogo damnatum fuit; non tamen tolerantia sublata; nam Joan. Lockius inter alios in suo opere: *Christianismus rationi consentaneus* omnes intendit nervos, ut ostendat, religionem Christianam in his duobus tantum articulis contineri: unum esse Deum, & Jesum esse Christum, seu Messiam. Jo. etiam Clericus in Hollandia *dans les sentimens de quelques Theologiens d'Hollande* a Locki opinione non admodum recedit; & de multis aliis videri potest *l'Hist. des Ouvrages considerables, & des brochures, qui ont paru de part, & d'autre dans les disputes de la Trinité depuis 1712. jusqu'en 1720.* Londini in 8. 1720. Horum tolerantium doctrinam novissime instaurare conatus est Joan. Salomon Semlerus Universit. Gottingensis Professor in suis *Institutionibus ad doctrinam Christianam*.

storia refertur, qui a discipulis Coriarii deceptus, atque illius hæresis Episcopus factus a sanctis Angelis tota nocte flagris cæsus est; unde ab errore resipiscens ad pedes Zephirini Episcopi Romani provolutus *vix tandem ad communionem admissus est*.

331. Tertio autem sæculo eamdem fortunam expertus est Artemon, sive Artemas Theodotianæ hæreseos instaurator, ut colligitur ex epist. Synodica Patrum Antiochenorum (apud Eusebium Lib. VII. *Hist. Eccl.* cap. 30.). Neque alia de causa damnatus est Paulus Samosatenus in Conciliis Antiochenis (annis 264., & 270.), & ut loquitur Eusebius (Lib. VII. *Hist. Ecc.* cap. 29.), *ab universa, quæ sub cælo est, Ecclesia Catholica eliminatus*.

332. De IV. autem sæculo nihil addendum puto; res enim per se loquitur, cum in Concilio generali Nicæno fuerit Ariana hæresis plenissimo omnium Episcoporum consensu damnata. Nec in hac re dissentiunt adversarii, qui solum contendunt, fuisse tribus prioribus sæculis eos toleratos, qui Christum esse verum Deum inficiabantur; & solum in Concilio Nicæno fuisse contra omne jus Arianos fulguritos.

333. Dices, istos omnes ideo damnatos fuisse, & ab Ecclesia ejectos, quod Christum esse purum hominem impie docerent, eumque ante Mariam ejus matrem extitisse negarent. At vero Ariani negant quidem Christum esse verum Deum, Patrique consubstantialem, non tamen ipsum ut purum hominem habent; sed ut Deum saltem gratia fatentur, naturæque multo excellentioris, quam quælibet alia creatura: tolerabilior itaque est eorum opinio, quam fuerit veterum hæreticorum.

334. Resp., memoratos hæreticos fuisse ex eo etiam damnatos, quod veram Christi divinitatem una cum Ecclesia Catholica fateri, & adorare nollent; quod maxime constat ex historia Dionysii Alexandrini, qui falso accusatur, quod Christum non confiteretur æterno suo Patri ὁμοούσιον, fuisset absque dubio a Rom. Pontifice condemnatus, nisi opportune fidem suam purgasset. Vide supra num. 181.

335. Objic. primo (cum Episcopio L. IV. *Institut. theologic.* Sect. 2. cap. 34.) In vetustis Symbolis, quæ fidei tesseræ erant, dumtaxat proponebatur credendum, Jesum Christum esse filium Dei; nulla autem est in illis expressa mentio de modo, quo filius Dei est, an scilicet per naturam, an vero per gratiam: articulus ergo de vera, consubstantialique Christi divinitate olim non censebatur pertinere ad fidem. Prob. antec. primo, Symbolum omnium antiquissimum, & brevissimum hoc fuit: *Credo in Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum*. Secundo, duo alia Symbola, quæ potius prioris expositiones dici possunt, referuntur a S. Irenæo L. I. cap. 10., & Tertulliano *de Præscript. Hæret.* cap. 13., & *de Velandis Virginibus* c. 1.: at vero hæc nonnisi fidem *in Jesum Christum Filium Dei* necessariam esse significat; inquit enim Tertullianus loco laud.: *regula est fidei .... qua creditur, unum omnino Deum esse, & Verbum filium ejus appellatum*. Tertio, illud ipsum Symbolum, quod Apostolorum dicitur, hac brevi formula contentum est: *Credo in Jesum Christum filium ejus unigenitum dominum nostrum*: ergo &c.

336. Resp. Quamvis in antiquis illis Symbolis expresse non declaretur, quomodo Christus est filius Dei, constat tamen ex S. Patribus, & ex historia ecclesiastica, fuisse ea verba *Filium Dei* de naturali filiatione, ac de vera, consubstantialique divinitate intellecta. Cujus enim antiquissimus scriptor (apud Eusebium Lib. V. *Histor. Eccles.* c. ult.) ait, Artemonitas *primitivæ fidei regulam* (hoc est Symbolum) *rejecisse*, quia scilicet veram Christi divinitatem negabant. Eodemque sensu Patres Synodi Antiochenæ (apud Eusebium Lib. VII. *Histor. Eccles.* cap. 30.) Paulum Samosatenum *a canone, sive regula fidei* (hoc est a Symbolo) *defecisse* dicunt. Ex quibus, aliisque Ecclesiasticis monumentis supra relatis colligere possumus, quonam sensu a fidelibus Christus in Symbolo appellaretur *filius Dei*. Sed præstat expendere singula.

337. Et quidem primo falsum est, vetustissimum Christianorum Symbolum iis verbis fuisse conclusum: *Credo in Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum*, neque Episcopius id ulla ratione confirmat. Ulterius etiamsi id verum esset, haud obscure tamen iis verbis vera Filii, ac Spiritus sancti divinitas explicatur. Illa enim vox Deus non minus de Filio, ac de Spiritu sancto, quam de Patre prædicatur. Quod etiam magis patet ex græcis, qui dicunt: πιστεύω εἰς τὸν Θεὸν πατέρα, τὸν υἱὸν, εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα, ubi clarius apparet, nomen Dei æqualiter tribui Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Hinc Tertullianus in Libro *adversus Praxeam* communem Christianorum fidem exponens, inquiebat cap. 13. *Et Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus Sanctus Deus, & Deus unusquisque*.

338. S. autem Irenæus in ipso loco objecto tam clare veram Filii divinitatem exponit, ut plane nihil videre dicendi sint, qui id non vident. Etenim Jesum vocat *Filium Dei incarnatum pro nostra salute*. Et postea Lib. III. c. 18. alias 20. in compendium redigens, quæ antea latius disseruerat: *Ostendimus*, inquit, *quia non tunc cæpit Filius Dei* (quando in mundo natus est,) *existens semper apud Patrem &c.*, ubi Christum Filium fuisse Dei ab æterno significat, & in tempore ex Maria Virgine natum.

339. Quamquam vero Tertullianus in loco objecto non adeo perspicue loquitur, utpote qui articulos nostræ fidei ibi summatim recensebat, in aliis tamen locis quid per filiationem Dei intelligat, satis luculenter exponit, filiationem nempe naturalem, & consubstantialem. Sed de Tertullia-

nus

ui sententia superiori capite satis copiose a nobis disputatum fuit; ejusque orthodoxia in hoc capitali Religionis nostræ dogmate multis allatis ejusdem testimoniis vindicata. Vid. num. 281. & seq.

540. Tertiæ Episcopii probationi respond. primo, Symbola ex Ecclesiæ sensu, non ex hæreticorum cerebro exponenda esse. Fuisse autem vel ipsis primis sæculis Ecclesiæ sensum de naturali, ac consubstantiali Christi filiatione, supra expositum est. Præterea in veteri Symbolo Ecclesiæ Jerosolymitanæ *matris omnium Ecclesiarum* (a) quod S. Cyrillus ejus urbis antistes recitat *Catechesi* VI. dicitur: *Credo in unum dominum Jesum Christum Dei filium unigenitum, ex Patre genitum ante omnia sæcula, Deum verum, per quem omnia facta sunt.* Ideo autem in Ecclesia Orientali Christi divinitas clarius expressa fuit, quia hæreses Cerinthi, Ebionis, Artemonis, aliarumque hujusmodi pestium magis eam Ecclesiam exercuerunt, in Ecclesia autem Occidentali grassatæ non sunt, nisi sæculo IV. post impium Arium.

541. Obj. 2. S. Justinus martyr in *Dialogo cum Tryphone* n. 48. testis est, in antiquæ Ecclesiæ sinu eos etiam contentos qui Christum purum fuisse hominem docebant. *Sunt quidam*, inquit, *ex genere nostro, qui eum Christum esse confitentur, quamvis hominem ex hominibus genitum pronuntient, quibus ego non assentior, nec assentirer, etiamsi maxima pars, quæ mecum consentit, idem diceret.* Cum autem S. Justinus appellet *ex genere nostro* eos, qui veram Christi divinitatem negabant, manifeste ostendit, non fuisse eos ab Ecclesia segregatos (b).

542. Resp. primo, hoc argumentum, si quid probet, nimium probare, nempe sufficere ad salutem Christum credere purum hominem, ex hominibus more humano genitum; quod nec ipsi Sociniani, & Tolerantes admittunt.

543. Resp. 2. cum Gregorio Bullo, mendosum esse hunc locum & non esse legendum *ex genere nostro*, scilicet Christianorum, sed *ex genere vestro*, nempe Hebræorum, cujusmodi erant Ebionitæ Christi divinitatem negantes. Hoc mendum facile contingere potuit in textu græco ex mutatione unius tantum litteræ, nempe posito ἡμετέρου *nostro* pro ὑμετέρου *vestro*; quemadmodum aliud sphalma in ejusdem pericope initio irrepsit, nempe τοῦτον loco τοῦτο. Et quidem ipse Justinus paulo supra de iisdem Ebionæis loquens, qui in Christum se credere dicentes, alios cogebant legem Moysis servare, eos vocat *ex genere vestro*, scilicet Judæorum, quos in illo Dialogo Justinus alloquebatur.

544. Resp. tertio, posita textus integritate nonnisi latiore sensu potuisse S. Justinum appellare *ex genere nostro* eos, qui Christi divinitatem negabant, nempe quia *Christiani* & ipsi nuncupabantur, tametsi purem, & orthodoxam Christi doctrinam non sequebantur. Antiqua enim consuetudo obtinuit, ut etiam hæretici, quibuscum nulla communio erat, oppositi Ethnicis appellarentur Christiani. Sic Origenes Hom. VI. in *Leviticum* loquens de hæreticis, quos Ethnicis opponit, dicit, *qui nobiscum sunt*; & S. Basilius Lib. I. in Eunomium n. 5. iis, *qui alieni sunt a doctrina nostra*, nempe Ethnicis, eos opponit, *qui ex ipsa Ecclesia contra veritatem insurrexerunt*, scilicet hæreticos. Et, ut extranea omittam, Justinus ipse in *Apologia* I. ad Antoninum Pium Imperat. de Simonis, Menandri, Marcionisque discipulis, *Omnes*, inquit, *qui ab his prodeunt, Christiani vocantur*. Cum igitur S. Justinus in hoc dialogo pugnet cum Tryphone Judæo, ejusque sociis, mirum non est, eum hæreticos etiam, quibuscum nullam habebat communionem, in Christianis numerasse, eosque dixisse *ex genere nostro*.

545. Ceterum in eodem Dialogo n. 35. jam dixeret, *nullum ex his ad communionem admitti*, qui Christianos se quidem profitebantur, non tamen Christi, *sed spiritum erroris doctrinas tenerent*, nempe Marcionitas, Valentinianos, Basilidianos, Saturnilianos, & *alio alios nomine ex cujusque sectæ principe appellatos*. Et rursus n. 28. Judæos alloquens; subdit Justinus: *quemadmodum apud vos, cum isti essent Prophetæ, falsi quoque extiterunt; ita & nunc multi apud nos ejusmodi homines, & falsi doctores versantur* (c).

546. Inst. primo. Justinus se ab istis heterodoxis ita dissentire profitetur, ut nullam eis hæresos notam inurat; tantummodo enim dicit: *quibus ego non assentior*.

547. Resp. hoc leve esse; quidquid enim sit de nomine, satis eos hæreticos esse declarat, cum suum, & maximæ Christianorum partis dissensum, hoc est dissensum totius Ecclesiæ Catholicæ, exprimit; & cum postea etiam Sacr. Scriptu-

(a) Ite eam appellarunt Patres Synodi Constantinopol. apud Theodoretum Lib. V. *Hist. Eccl.* c. 9. Ejusdem autem Symboli antiquitatem luculenter ostendit Georgius Bullus in *Judicio Eccles. Cathol.* &c. cap. 6.

(b) Mirum, quantum in his S. Justini verbis triumphent Remonstrantes, ut apparet ex eorum *Apologia* adv. quatuor Professores Leydenses; & in responsione, quam Simon Episcopius adornavit adv. *Specimen calumniarum* eorumdem quatuor Professorum. Steph. etiam Curcellæus in *Quaternione* Diss. I., Souverainius in *Platonisme devoilé* P. II. cap. 4. aliique passim Tolerantes in hoc potissimum S. Justini loco causæ suæ præsidium ponunt.

(c) Haud me latet, Sanctos Patres aliquando negasse hæreticis Christianorum nomen, ut quando Tertullianus *de Præscript. Hæreticorum* cap. 37. inquiebat: *Si hæretici sunt, Christiani esse non possunt*. Sed hæc, & similia ita debent intelligi, ut hæretici non sint propriæ Ecclesiæ Christi membra, utpote ab ipsa recisi, & separati; non autem ut non possint aliqua ratione vocari Christiani, saltem lato modo, & improprie.

pturarum auctoritatem addit, dicens: *neque enim humanis doctrinis jussi sumus ab ipso Christo credere, sed iis; quæ a beatis Prophetis prædicata, atque ab ipso tradita.*

548. Inst. secundo. Dicit S. Martyr, *sibi maximam partem consentire;* si vero dissentientes putasset hæreticos, & ab Ecclesia separatos, non dixisset sibi maximam fidelium partem, sed totam plane Ecclesiam consentire: ergo &c.

549. Resp. S. Justinum dicere, sibi maximam partem consentire, quia non solum tota Ecclesia catholica, sed etiam pleræque hæreticorum sectæ in Christi divinitate confitenda consentiebant, licet in aliis, præcipue autem in vera ejusdem Christi carne confitenda vehementer errarent. Ebionitæ enim, aliique divinitatis Jesu Christi hostes tribus prioribus sæculis perpauci fuere; & multo major fuit Docetarum secta, qui Jesum Christum ut verum Deum adorantes, ejus veram humanitatem agnoscere recusabant.

550. Inst. tertio. Addit ibidem S. Martyr: *Sed tamen, Trypho, nequaquam irritum, & infectum erit, quod demonstravi, hunc esse Christum Dei, etiamsi demonstrare non possem, illum præextitisse filium creatoris universorum, Deum existentem, & hominem ex Virgine genitum esse:* censet ergo, dogma de vera Christi divinitate non esse connexum cum altero, quod Christus sit verus Messias in lege promissus; de quo uno maxime Justinus sollicitus erat, ut Tryphonem convinceret.

551. Resp., S. Justinum eo loco uti argumento *ad hominem*. Cum enim plurimi Judæi Messiam futurum crederent, non Deum, sed purum putumque hominem, jure concludit Justinus, non posse eos non fateri, Christum esse Messiam; quandoquidem hoc ex oraculis Prophetarum tam luculenter ostenderat, ut Trypho tandem victas dare manus coactus fuerit; etiamsi probare non posset id, quod antea se probaturum promiserat, nempe hunc ipsum Jesum Christum filium Dei esse, & verum Deum. Quod quidem a Justino verissime dictum fuit non ex propria sua mente, sed in sententia eorum, quibuscum disputabat. Nam propriam de vera Christi Jesu divinitate doctrinam postea, qua majori potuit vi & efficacia, demonstrat, & hoc ad plenum Christianæ religionis dogma omnino necessarium esse, probat (*a*).

552. Obj. tertio. S. Hieronymus in epist. 112. alias 89. ad Augustinum num. 13. *Si hoc verum est*, inquit, *in Cerinthi, & Ebionis hæresim dilabimur, qui credentes in Christo propter hoc solum a Patribus anathematizati sunt, quod legis cæremonias Christi evangelio miscuerunt, & sic nova confessi sunt, ut vetera non amitterent.* Si Cerinthiani, & Ebionitæ dumtaxat propter legalium observantiam a Patribus anathematizati sunt, sequitur, alium eorumdem errorem contra Christi divinitatem fuisse toleratum.

553. Respond., Sanct. Hieronymum respicere ad primam illam condemnationem erroris Judæzantium factam ab Apostolis *Actorum XV.* Multi enim nobilissimi interpretes post Sanctos Epiphanium (*b*), & Philastrium (*Hæresi* 36.) arbitrati sunt, eos, qui facta seditione contendebant, gentiles ad fidem conversos non posse æternam salutem consequi, nisi observando legalia, fuisse Cerenthianos, qui tunc temporis, eodem observante S. Epiphanio, nullam videntur litem movisse de vera consubstantialique Jesu Christi divinitate, contra quam postea blasphemare cœperunt. Vere igitur dicere potuit S. Hieronymus, eos propter hoc *solum* fuisse a Patribus anathematizatos, quod legales cæremonias Evangelio miscerent.

554. Neque vero refert, a Sancto Hieronymo Cerinthianis etiam Ebionitas conjungi, quorum in prima illa legalium controversia nulla est mentio; imo ab aliquibus multo tempore post extitisse creduntur (Vid. Tillemontius Tom. II. *Monum. Hist. Eccl.* nota 1.). Non, inquam, id refert; nam S. Hieronymi sensus hic tantummodo esse videtur, hunc errorem de legalibus observandis primo a Cerinthianis excitatum, post autem ab Ebionitis adoptatum, & cujus falso S. Augustinum incusabat, fuisse a Patribus anathematizatum. Hoc enim unum ad S. Hieronymi scopum pertinebat (*c*). Ceterum quis unquam suspicetur, Hieronymum adeo hospitem fuisse in ecclesiastica historia,

(*a*) Nonnulla alia Episcopii argumenta levioris momenti invenientur copiose refutata a Gregorio Bullo in *Judicio Ecclesiæ Catholicæ* &c. append. ad cap. 7. & apud Prud. Maran *Divinitas D. N. J. C.* &c. Lib. IV. cap. 5.

(*b*) In Lib. I. *contra Hæreses* cap. 28. ubi hæc habet: *Cerinthus circumcisorum gregem adversus Petrum revertentem commovit Jerosolymis ... Quod quidem ab eo factum est, antequam suum in Asia dogma prædicaret, seque in exitii sui gurgitem profundius immitteret. Nam cum circumcisus hic esset, ut eos, qui retenta præputio fideles erant, ulcisceretur, occasionem ex circumcisione nactus est.*

(*c*) Orta illi erat cum S. Augustino celebris controversia de Sancti Petri reprehensione propter legalium observantiam, quam S. Paulus refert ad Galatas II. Eam fictam, & simulatam fuisse putabat S. Hieronymus, in sua opinione certe deceptus; veram autem, & ex animo factam, jure contendebat S. Augustinus. Disputationis æstu abreptus Hieronymus arbitratus est, adversarium Augustinum docere, legalia etiam post Christi passionem observari debuisse, quod tamen S. Augustinus ne somniaverat quidem. Ut itaque Hieronymus hanc, quam in adversario suo sibi finxerat, opinionem convelleret, ita Augustino scribebat: *Hæc ergo summa est quæstionis, imo sententiæ, ut post evangelium Christi bene sentiant Judæi credentes, si legis mandata custodiant, hoc est si sacrificia offerant, quæ obtulit Paulus, si filios circumcidant, si sabbatum servent, ut Paulus in Timotheo, & omnes observavere Judæi; si hoc verum est, in Cerinthi, & Ebionis hæresim dilabimur &c.* S. autem Augustinus seipsum clarius

ria, ut ignoraret, non solum Cerinthum, & Ebionem, sed quotquot post ipsos haud recte de vera consubstantialique Jesu Christi divinitate senserunt, fuisse ut blasphemos ab Ecclesia catholica eliminatos? Præsertim cum ipse auctor nobis sit (in *Catalogo scriptorum ecclesiast.* c. 9.) S. Joannem suum evangelium scripsisse *rogatum ab Asiæ Episcopis adversus Cerinthum, aliosque hæreticos, & maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt, Christum ante Mariam non fuisse*.

355. Dices. Duplex erat, ut Theodoretus observat Lib. II. *Hæreticarum fabularum* cap. 1., Ebionæorum genus. Alii blasphemabant, Jesum Christum ex viri cum Maria concubitu, aliorum hominum instar, procreatum; alii vero eumdem ex Maria Virgine, & ex Spiritu sancto conceptum, & natum fatebantur, ipsum tamen ut Deum adorare recusabant; quos Nicephorus Lib. III. *Histor. Ecclesiast.* cap. 13. *minores* appellat. Hujusmodi erant Nazaræi, sive Christiani Jerosolymitani omnium primi, qui usque ad Adriani Imperat. tempora cum omnibus Ecclesiis communionem habuerunt. Cur ergo, concludit Svvickerus (in *Irenico-irenicorum*), qui & nunc similiter sentiunt, erunt a fidelium communione explodendi?

356. Resp. Ebionitas utriusque generis fuisse a primis Christianis Jerosolymitanis toto cœlo distantes. Sane Eusebius Lib. IV. *Hist. Eccles.* cap. 5. primos quindecim Jerosolymorum Episcopos origine quidem Hebræos fuisse scribit, *fidem tamen Christi sincere, atque ex animo suscepisse, & episcopali officio dignissimos judicatos*. At vero non ita certe Eusebius de Ebionæis scripsisset, qui in sua historia Lib. III. cap. 22. utriusque generis Ebionæos *impios* appellat. In hoc solum primi Christiani Jerosolymitani cum Ebionæis conveniebant, quod legalium observantiæ tenacius adhærerent; nam Ecclesia illa fere ex solis Hebræis ad fidem Christi conversis conflabat, usque ad Adriani tempora, sub quo pulsis Hebræis, & ipsa ex Gentilibus conversis postmodum conflata est, & legalium observantia abolita.

557. Audiatur Sulpicius Severus, qui Lib. II. *Hist. Sacræ* postquam narravit, Adrianum jussisse, militum cohortem perpetuo custodias agitare, ad Judæos omnes Jerosolymæ aditu arcendos, subdit: *quod quidem Christianæ fidei proficiebat, quia tum pene omnes Christum Deum sub legis observatione credebant, nimirum id Domino ordinante disposttum, ut legis servitus a libertate fidei, atque Ecclesiæ tolleretur*. Quidquid igitur sit de Nazaræis, certum est, primitivos Christianos Ecclesiæ Jerosolymitanæ *Christum Deum* credidisse; quamquam etiam satis probabile est, & pene certum, Nazaræos quoque Christum, ut Deum coluisse (*b*).

558. Colligitur, frustra esse Jo. Lockium, dum probare contendit, Evangelistas, & Apostolos nihil aliud prædicasse, & fidelibus credendum proposuisse, quam Jesum esse Messiam in lege promissum. Qui enim novi testamenti libros diligenter perlegerit, facile inveniet, Jesum ubique celebrari & tamquam promissum Messiam, & insuper ut filium Dei unigenitum, ac verum Deum, Patri consubstantialem. Et quæ Lockius affert argumenta, adeo levia sunt, ut nec refutari mereantur.

CAPUT X.

De voce ὁμοούσιον, seu consubstantiale.

559. Patres Concilii Nicæni, ad Arianorum hæresim condemnandam, definiendamque veram Jesu Christi divinitatem, nullam aliam aptiorem vocem invenerunt, quam istam, quæ Arianorum jugulum petebat. Unde vix dici potest, quot, & quantas contra eam tragœdias excitarint, & ita quidem, ut nonnulli etiam Catholici eorum clamoribus quasi victi eamdem vocem improbare postea & ipsi inceperint, quod ex historia Conc. Ariminensis inferius patebit. Novi Arianitæ eamdem crambem recoquunt; imo eo audaciæ nonnulli pervenerunt, ut propter hanc vocem, *tritheismi* dicam, Nicænis Patribus impingere non sint veriti. Ita inter alios Christoph. Sandius (in *Nucleo Hist. Eccl.*) Steph. Curcellæus (in *Quaternione* Dissert. I.), & Joann. Clericus (in *Proleg. ad Hist.* Ec-

explicans respondebat, se numquam dixisse, legalium observantiam post Christi mortem fuisse ad salutem necessariam, *tamquam vel ab illa salus esset, vel sine illa esse non posset; quod putaverant hæretici, qui dum volunt & Judæi esse, & Christiani, nec Judæi, nec Christiani esse potuerunt. Quorum sententiam*, concludit Augustinus, *mihi cavendum, quamvis in ea numquam fuerim, tamen benevolentissime me admonere dignatus es*, epist. 116. alias 97.

(*b*) P. Michael Le Quien Dissert. VII. *Damascenica* post Dan. Huetium demonstravit, Nazaræos non fuisse Christi divinitatis hostes. Idipsum gravibus argumentis confirmavit P. Vic. Fassini Ord. Præd. in sua *Origine Apostolica Evangeliorum* §. 25. Quid plura? Vel ipsos Ebionæos non ita pridem purgare conatus est Christ. Alb. Dœderlein in *Comment. de Ebionæis ex numero hostium divinitatis Christi eximendis* in 8. Buzovvii, & Vismariæ 1769. Celebris quidem est locus S. Irenæi Lib. I. cap. 26. ubi dicit, Ebionitas *non similiter* sensisse de Christo, ac Cerinthum, & Carpocratem. Sed Grotius, Cotelerius, Buddeus, & Pearsonius vitiatum fuisse eum locum putarunt, atque legendum *consimiliter*. Sed quidquid sit de Ebionæis, Nazaræos vindicarunt etiam Thomas Mangel confutans impium librum Jo. Tolandi *Le Nazareen, où le Christianisme Judaique, Payen, & Mahometan*, & Laur. Moshemius in *Vindiciis antiquæ Christianorum disciplinæ* Sect. I. c. 6. qui tamen novam sententiam quærens, Nazaræos nonnisi sæculo Ecclesiæ IV. erupisse, putavit, graviter propterea reprehensus a Beausobrio in *Dissert. sur les Nazareens*.

Eccl. in *epist. criticis*, & sæpe alias ((*a*). Contra hos vocis ὁμοούσιον, quam catholici de vera Christi divinitate dogmatis Nicæni Patres tesseram esse voluerunt, vindicias suscipiemus (*b*).

360. Et quidem vera, & genuina hujus vocis significatio ad mentem Patrum Nicænorum non alia fuit, quam Verbum divinum eamdem numero habere sui Patris substantiam, & essentiam; atqui, ut hactenus probatum est, reipsa Jesus Christus eamdem numero habet cum æterno suo Patre substantiam: recte ergo, sapienterque Nicæni Patres ea voce usi sunt ad definiendam veram Jesu Christi divinitatem; & nonnisi per summam calumniam *tritheismi* accusari possunt.

361. Major prob. ex S. Athanasio, totius rei teste, imo & auctore præcipuo. In libro enim *de decretis Synodi Nicænæ* postquam exposuit Arianorum tergiversationes, & dolos, quibus omnia alia verba Symboli pervertebant, ita subdit: *Ubi Episcopi illorum hac in re simulationem animadverterunt .... sententiam rursus ipsi ex Scripturis colligere coacti sunt, & quæ antea dixerant, eadem clarioribus verbis significare, ac denique scribere, Filium Patri esse consubstantialem, ut scilicet significarent, Filium non tantum similem, sed eamdem rem similitudine esse cum Patre*. Synodus ergo Nicæna non aliam putavit esse Patris, aliam Filii substantiam, solis distinctis personis.

362. Porro ita pergit S. Athanasius: *Cum Filii ex Patre generatio alia plane sit a natura hominum, nec solum similis ille sit substantiæ Patris, sed dividi ab ea non queat, cum item ipse, & Pater unum sint, ut idem dixit; semperque Verbum sit in Patre & Pater in Verbo eo modo, quo se habet splendor ad lucem: id enim dictio ipsa significat; idcirco Synodus ea re perspecta eum esse consubstantialem recte scripsit* &c. Quibus verbis apertissimum fit, nullo alio in sensu fuisse a Patribus Nicænis vocem ὁμοούσιον adhibitam, nisi ut una, eademque Patris, ac Filii essentia ostenderetur.

363. Imo, ut S. Ambrosius refert Lib. III. *de Fide* c. 7., cum Eusebius Nicomediensis, magnus Arianorum promachus in quadam epistola scripsisset: *si verum Dei Filium, & increatum dicimus, homousion cum Patre incipimus confiteri*, id advertentes Nicæni Patres, hanc ipsam vocem tamquam fidei tesseram consecrarunt contra Arianos, *ut tamquam evaginato ab ipsis gladio ipsorum nefandæ caput hæresis amputaretur*.

364. Obj. primo. Nova erat hæc vox, cujus nullum habetur in sacris litteris vestigium: non ergo prudenter adhibita fuit.

365. Resp. quamquam hæc vox in sacris litteris non inveniatur, inveniri tamen rem per ipsam significatam; unde S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* XI. *si ita credendum est*, inquiebat, *cur non ita profitendum?* Hanc autem vocem Nicæni Patres, licet in sacris litteris non expressam, adhibere coacti sunt, quia ut S. Athanasius scribit in Libro *de Synodis* num. 45. Ariani insignes simulandi, & dissimulandi artifices omnia alia vocabula in perversum sensum detorquebant. Hæc unica vox quasi divinitus inspirata fuit, quæ eos ad extremas incitas redigeret. *Cum omnia queant*, inquit laud. S. Athanasius, *fucis, lenociniisque sophismatum adulterare, & pro libidine mutare, hanc solam vocem adaperientem ipsorum hæresim reformidant, quam Patres pro munimento, & arce contra illorum impias commentationes in scripta retulerunt*.

366. Inst. Neque apud veteres Ecclesiæ Patres hæc vox reperitur: ergo &c.; vel enim antiqui Patres suam fidem in re tanti momenti aptis verbis non exposuerunt; vel si id dicere absurdum est, Nicæni Patres imprudenter a veteri Majorum nostrorum semita declinarunt.

367. Resp. neg. ant. Neque vero necesse est, ut in evolvendis veterum Ecclesiæ Patrum spissis voluminibus multam insumamus operam; nos enim hoc labore liberare potest Eusebius Cæsariensis eo majore fide dignus, quo initio huic voci refragabatur. Hic igitur insignis scriptor, quo nemo diligentior fuit in omnibus, quæ tunc multo plura erant, antiquorum operibus perlegendis, ita ad suos Cæsarienses scribebat (apud Socratem Lib. I. *Hist. Eccl.* c. 8.): *Nonnullos ex veteribus insignes Episcopos, & disertos scriptores in explicanda Patris, & Filii divinitate hoc vocabu-*

(*a*) Quibus ansam dedisse nollem Petavium, dum Libro IV. *de Trinit.* cap. 13. n. 3. hæc scripsit: *Falsissima hujus opinionis* (Tritheitarum) *quædam apud antiquos jacta semina videri possunt, non illos solum, qui Ariana tempore præcesserunt, quorum de Trinit. non satis accurata vel sentiendi, vel loquendi ratio, ac disciplina fuit; sed eos quoque, qui cum maxime grassantibus Arianis extiterunt, & illorum perfidiam scriptis suis oppugnarunt*. Mirum, quantum his, aliisque similibus doctissimi viri verbis Trinitatis hostes abutantur. Multo autem magis displicet intemperans illa Erasmi censura, qui in *responsionibus ad notat.* Eduardi Lei in ep. ad Philipp. n. 12. Tom. IX. *Operum* pag. 272. postquam multa de vocibus ὑπόστασις & ὁμοούσιος majori, quam Theologum deceret, libertate pronunciavit, ita demum Aristarchi more concludit: *ego si quid habuissem auctoritatis in illis Synodis, in quibus de orbis concordia tractabatur, suasissem prætore, nescire quid sibi vellet homousii, & homæusii verbum in personis divinis, quam tanto rerum tumultu vel tueri, vel impugnare*. Ceterum Erasmum catholice de Trinitate sensisse, ostensum fuit a Matt. Lydio in *Apologia Erasmi* &c. 1606.

(*b*) Joan. Clericus nos vocat *Consubstantiolistas*. Sed nova non est hæc appellatio; nam Ariani, teste S. Basilio epist. 226. alias 73. Catholicos vocabant ὁμοουσιαστάς. Quidam vero eos dicebant *homousianos*, alii *homousiastes*, ut Binghamus observat L. I. *Originum, & antiquit. Eccles.* c. 2. §. 13. & P. Mamachius Tom. I. *Originum, & antiquitatum christianarum* p. 106.

bulo consubstantialis usos *esse cognovimus*. Unde & S. Athanasius in epist. ad Afros hanc vocem *testimonio veterum Episcoporum* comprobatam dicit (*a*).

368. Et sane quamquam multa vetera monumenta ecclesiastica modo desiderautur, ista tamen vox reperitur apud Tertullianum, qui *adversus Praxeam* cap. 2. Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum *unius substantiæ* esse dicit, quod idem sonat, ac ὁμοούσιον. Origenes etiam eamdem vocem usurpavit testibus Ruffino (*de adulteratione librorum Origenis*) & Pamphilo (in *Apologia pro Origene*). Dionysius autem Rom. Pontifex, ut S. Athanasius refert (in epist. *de Sententia Dionysii*) a Dionysio Patriarcha Alexandrino exegit, ut Christum Patri esse *consubstantialem* omnino fateretur, cui mandato Patriarcha Alexandrinus, ut par erat, in sua *apologia* obtemperavit; unde consensus duarum principum Ecclesiarum apparet; scilicet Romanæ, quæ omnium aliarum mater est, & magistra, atque Alexandrinæ, quæ tunc temporis primum post Romanam locum obtinebat. Idem S. Athanasius laudat in hanc rem Theognostum antiquum, & eruditum scriptorem (*b*).

369. Dices. S. Augustinus Tract. 97. in Joann. n. 4. *Adversus*, inquit, *impietatem Arianorum hæreticorum novum nomen Patres homousion condiderunt, sed non rem novam tuli nomine signarunt*. Etiam Vigilius Tapsensis (in *Dialogo coram Probo*) *Quoniam*, inquit, *res antiqua novum nomen accepit homousion, non vocabulo novo novæ rei virtus accepit &c.*

370. Resp. vocari posse novam hanc vocem in aliquo sensu; licet enim antea quoque apud nonnullos in usu fuisset, non erat tamen publica Ecclesiæ auctoritate firmata, ac veluti consecrata; unde idem S. Augustinus Lib. II. *contra Maximinum* cap. 14. n. 3. *Hoc est*, inquit, *illud homousion, quod in Concilio Nicæno adversus hæreticos Arianos a catholicis Patribus veritatis auctoritate, & auctoritatis veritate firmatum est.*

371. Ceterum etsi daretur, novam prorsus fuisse hanc vocem, consequens minime foret, eam non potuisse a Patribus Nicænis adhiberi ad Arianorum fraudes præcavendas, qui alias, atque usitatas voces perverso sensu adulterabant. Hinc S. Hilarius Constantio Augusto, qui hanc vocem tamquam non scriptam adhiberi vetabat, ita respondebat: *Dic prius, si recte dici putas: nolo adversus nova venena novas medicamentorum comparationes: nolo adversus novos hostes nova bella; nolo adversus novas insidias consilia recentia*. Ac tandem illud repeti potest, quod S. Augustinus alicubi habet: *Nihil est contentiosius, quam ubi de re constat, certare de nomine*.

372. Obj. secundo. Synodus Antiochena anno 269., vel 270. hanc vocem condemnaverat: non igitur prudenter a Patribus Nicænis adhibita fuit.

373. Resp. primo, parum id verisimile videri, & quidem pluribus de causis. Nam primo certum est, ante decem circiter annos Dionysium Alexandrinum fuisse apud sibi cognominem Dionysium Rom. Pontif. accusatum, quod Filium non diceret *Patri consubstantialem*, eumdemque Dionysium, ut fidem suam plene purgaret, Christum appellasse Patri æterno *consubstantialem*. Hoc tamquam omnibus exploratum S. Athanasius Arianis sæpius objecit (Vid. ejus epistola *de Sententia Dionysii*). At vero quis credat, Patres Antiochenos aut rem hanc, quæ celebris apud omnes erat, ignorasse, aut honori duarum principum Ecclesiarum, Romanæ scilicet, & Alexandrinæ, minus consultum voluisse, damnando eam vocem, qua Christi divinitas ab iis fuerat declarata? Sane quanto honore Synodus Antiochena has duas Ecclesias prosequeretur, vel ex eo solo liquet, quod epistolam suam Synodicam nominatim eidem Dionysio Romano, quem in vivis adhuc esse putabat (c), & Maximo Dionysii Alexandrini successori inscripserit.

374. Præterea damnationis hujus vocis nulla in Concilio Nicæno ab Arianis facta est mentio, quamquam omnem contra eam moverint lapidem. At vero credibile ne est, eam rem omnes clam fuisse, quæ nonnisi ante 55. annos gesta fuerat? Nam, ut de aliis sileam, quomodo id latere poterat Eusebium historicum, qui certe Concilii Antiocheni Synodicam epistolam viderat, cujus insigne fragmentum nobis exhibet Lib. VII. *Hist. Eccl.* cap. 30.? Quod si hujus vocis damnatio Eusebium non latebat, mirum certe est, eum hoc potissimum argumento contra ὁμοούσιον non pugnasse, cum, teste Socrate Lib. I. *Hist. Eccl.* c. 8. diu, multumque huic voci reluctatus fuerit.

375. Neque vero quis objiciat, S. Athanasium, Hilarium, & Basilium hac responsione usos minime fuisse, quæ tamen si vera est, est etiam facillima; sed potius hoc unum Arianis reposuisse, hanc vocem in pravo Pauli Samosateni sensu fuisse damnatam.

376. Respondeo enim, fuisse eos S. Patres deceptos malis Semiarianorum fraudibus, a quibus pri-

(*a*) Miranda est Sandii impudentia, qui postquam in *Nucleo Hist. Eccl.* Lib. I. probare conatus fuerat, ante Nicæni Concilii tempora hanc vocem numquam auditam fuisse, in libro postea de *Script. Eccl.* p. 121. scribere ausus est, vel ipsum Athanasium fateri, eam vocem primum in Concilio Nicæno fuisse cusam.

(*b*) Eruditissimus Jo. Lamius in Ephemeridibus suis anni 1760. Tom. XXI. pag. 577. laudat opus ineditum Clementis Alexandrini, cui titulus. *ὅροι διάφοροι Definitiones diversæ*, in quo Filius dicitur Patri ὁμοούσιος.

(c) Qui tamen reipsa jam vita functus erat. De ipsius anno emortuali non consentiunt historici. Sandinus in *vitis Rom. Pontificum*, una cum Baronio, & Pagio, Dionysii mortem statuit ad VII. Kal. Jan. ann. 272. Cardinalis autem Orsius in sua *Hist. Eccl.* ad diem 26. Decembris anni 269.

primo in Concilio Ancyrano an. 358., scilicet quasi integro sæculo post Synodum Antiochenam, hujus damnationis mentio facta est. Sane constat, epistolam Synodicam Patrum Antiochenorum ab iis lectam non fuisse. Nam S. Athanasius id aperte fatetur, inquiens in Lib. *de Synodis: Quoniam (ut ipsi dicunt, nam epistola penes me non fuit) qui Samosatensem damnarunt Episcopi, scripto tradidere, Filium non esse consubstantialem Patri &c.* & post pauca iterum: *Quod si epistolæ, quam illos scripsisse dicunt, mihi copia fuisset, existimo plures me deprehensurum fuisse causas, cur beati illi ita scribere coacti sunt.* Præterea iidem S. Patres inter se minime consentiunt in determinanda causa, propter quam fuit hæc vox a Patribus Antiochenis damnata, quod certe indicat, epistolam Synodicam ab ipsis non fuisse lectam (*a*).

377. Resp. secundo. Si verum est, fuisse vocem ὁμοούσιον in Concilio Antiocheno damnatam, certe damnata non fuit in eo sensu, quo fuit ut fidei tessera postea in Concilio Nycæno a 318. Patribus consecrata, sed in pravo alio sensu; scilicet vel quia, ut putat sanctus Hilarius *Lib. de Synodis* num. 68., ea male utebatur Paulus Samosateous, docens cum Sabellio, ita Filium esse consubstantialem Patri, ut nec persona distingueretur; & Patrem, ac Filium nonnisi duo esse ejusdem divinæ essentiæ nomina (*b*). Vel quia, ut alii fortasse melius cum sancto Athanasio (in Libro *de Synodis*), & sancto Basilio (epist. 52. alias 300.) opinantur, Samosatenus ita a catholicis Filium dici Patri consubstantialem comminiscebator, quasi absurdissime ponerent unam distinctam substantiam, cujus Pater, ac Filius æqualiter participes essent; unde consequebatur, tres esse substantias, unam primariam, & duas ex illa derivatas. Utut hæc sint, illud exploratum est, posse unam, eamdemque vocem in diverso sensu modo damnari, & modo consecrari; quod S. Pauli exemplo ibidem S. Athanasius declarat. Paulus enim diversa habita ratione veterem legem modo *sanctam* appellavit, & *justam*, & *bonam*. Rom. VII., modo *imperfectam*, & *inutilem*. Hebr. VII.

378. Inst. Hoc ipso, quod hæc vox *consubstantialis* in perversum sensum traheretur a Paulo Samosateno, præstabat omnino eam reticere; multi enim supererant Paulianistæ, quorum causa canon decimusnonus de Paulianistis ad Ecclesiam revertentibus a Concilio Nycæno conditus fuit: eadem igitur vigebat causa, quæ Antiochenos Patres ad hujus vocis condemnationem movit; adeoque &c.

379. Resp., satis cautum fuisse a Patribus Nicænis, ne vox illa in pravum sensum detorqueretur; quod Eusebius in epistola ad suos Cæsarienses (apud Socratem lib. I. *Hist. Eccl.* cap. 8., & apud Theodoretum lib. I. *Histor. Eccl.* cap. 12.) luculenter declarat, addens, se non consensisse huic voci, nisi cuoi sanus illius sensus expositus, ac determinatus fuit. Profecto nulla sunt vocabula ita divinis mysteriis accommodata, ut nequeant malitia hominum perverso sensu usurpari, quia ut S. Hilarius Lib. IV. *de Trinit.* ajebat, *ad res divinas explicandas neque hominum elocutio, neque humanæ naturæ comparatio sufficere potest.*

380. Inst. 2. Saltem Patres non satis prudenter damnatam vocem usurparunt, cum æque ad rem fuisset alia vox ὁμοίαν, *substantia simile*; qui enim Filium *substantia* Patri similem confitebantur, a Ss. Athanasio, Hilario, aliisque catholici judicati sunt (Vid. Nat. Alexander Dissert. XV. in Sæc. IV.). Addi potest cum Saudio (in *Nucleo Hist. Eccl.*), vocabulum ὁμοούσιον fuisse ab hæreticis fabricatum, scilicet a Valentinianis, ceterisque Gnosticis, a quibus postea illud ipsum acceperunt Montanus, Theodoretus, Sabellius, Paulus Samosatenus, & Manichæi.

381.

(*a*) Commentitiam esse hujus vocis condemnationem credunt inter alios D. Prudentius Maran in opere, cui titulus: *Divinitas D. N. J. C. manifesta in scripturis, & traditione* Lib. IV. c. 29. & in diss. gallice *de Sumiurianis* contra Trevoltienses §. 7., Pluquet *Dict. des heresies* art. *Arianisme* p. 212., & P. Fassionins in Diss. inserta T. III. *Thesauri theologici*.

(*b*) Verba S. Hilarii in Lib. *de Synodis* n. 68. hæc sunt: *Si idcirco unius substantiæ Pater, & Filius dicatur, ut hic subsistens sub significatione licet duorum nominum unus, ac solus sit, confessum namine Filium, conscientia non tenemus, si unam substantiam confitentes ipsum sibi unicum, ac singularem & Patrem esse dicimus, & Filium. Qain etiam & hujus statim erroris occurrit occasio; ut divisus a sese Pater intelligatur, & partem exsecaisse, quæ esset sibi Filius. Id enim hæretici unam substantiam prædicantes contendunt; & his multum piæ confessionis nostræ sermo blanditur, ut dum hoc verbum indefinita brevitate dubium est, proficiat ad errorem. Est præterea error hic tertius, ut cum unius substantiæ Pater, & Filius esse dicatur, significari existimetur substantia prior, quam inter se duo pares habeant: ac sic tres res sermo significet, substantiam unam, & duos unius substantiæ velut cohæredes. Ut enim cohæredes duo sunt, & hæreditas anterior est, cujus duo sunt cohæredes, ita unius substantiæ anterioris duo possunt videri esse consortes. At quia ita una substantia Patris, ac Filii prædicata, aut unum, qui duas nuncupationes habeat, subsi[illegible]em significat, aut divisam unam substantiam duas imperfectas fecisse substantias, aut tertiam priorem substantiam, quæ a duobus usurpata sit, & assumpta, quæ idcirco una dicatur, quia in duas una desecta sit. Et ubi post hæc nativitas? Ubi Pater, ubi Filius intelligitur, si Patrem, & Filium vel defectio potius, vel anterioris substantiæ communio, quam natura nativitas prædicabit?* Et rursum num. 86. *Male intelligitur homousion; quid ad me bene intelligentem? Male homousion Samosatenus confessus est; sed numquid melius Ariani negaverunt (Octoginta Episcopi olim respuerunt: sed trecenti octodecim nuper receperunt ... Illi contra hæreticum improbaverunt: numquid & isti non adversus hæreticum probaverunt?*

381. Resp. certe potuisse etiam voce ὁμοιούσιον veram Jesu Christi divinitatem definiri; multo tamen aptiorem fuisse aliam ὁμοούσιον; ut enim S. Basilius observat ep. 9. alias 41. verbum ὁμοιούσιον *suspectum* erat; *nam in imaginibus etiam obscuris, & quæ plurimum ab exemplaribus dissident, simile concipere non raro solemus*. Quamobrem qui Filium Patri tantummodo ὁμοιούσιον prædicabant, quamvis catholici essent, aliqua tamen hæresis Arianæ suspicionem præbebant; unde eos sic hortabatur S. Hilarius (in *Lib. de Synodis* n. 88. & 91.): *Oro vos, fratres, adimite suspicionem, secludite occasionem, ut probari possit* ὁμοούσιον, *non improbetis* ὁμοιούσιον; & iterum: *Date veniam, fratres, quam frequenter poposci. Ariani non estis: cur negando* ὁμοούσιον *censemini Ariani* (a)?

382. Ad id, quod additum est ex Sandio de prima hujus vocis ὁμοούσιον origine, satis fuerit celebre illud Tertulliani axioma commemorare: *Non ideo non utatur & Veritas vocabulo, quia hæresis utitur. Imo hæresis potius ex veritate accepit, quod ad mendacium suum strueret*, in Lib. *contr. Praxeam* cap. 8.

383. Dices. Socrates in tertio Libro *Hist. Eccl.* cap. 7. narrat, in Concilio Alexandrino agitatam fuisse quæstionem *de substantia, deque hypostasi*; definitum autem fuisse, *eas voces de Deo usurpandas non esse; nam substantiæ quidem vocabulum in sacris litteris nusquam reperiri, hypostaseos autem nomine abusum esse Apostolum ob dogmatum necessitatem*: non ergo censuerunt hi Patres fuisse a Synodo Nicæna ὁμοούσιον prodenter adhibitum.

384. Resp. recte hic fuisse ab Henr. Valesio observatum, nullam hac in re Socrati adhibendam esse fidem: quis enim crediderit, S. Athanasium in sua Synodo passum fuisse id decerni, quod œcumenico Nicæno Concilio e diametro adversabatur? Præterea quis Socrati credat, dum ibidem subdit: *verum Nicæna Synodus de hac quæstione* (scilicet de substantia, deque hypostasi) *ne verbum quidem fecit*: Nempe illa Synodus Nicæna, quæ vocem ὁμοούσιον ut fidei tesseram consecravit? Demum ita Socrates concludit: *Alia autem ratione has voces admittendas esse decreverunt; tum videlicet, cum opinionem refutant Sabellii, ne verborum inopia, Trinitatem rem unam esse putaremus triplici nomine appellatam; sed ut potius unumquemque eorum, qui nominatur in Trinitate, Deum in propria persona esse credamus*. De hoc Socratis errore videri potest Dionys. Petavius Lib. IV. *de Trinit.* cap. 2. n. 15.

385. Instab. tertio. Ea vox inutilis demum erat; eodem enim modo eam eludere poterant Ariani, ac quamcumque aliam; quod patet in Eusebio, qui in sensu prorsus Ariano explicabat (b).

386. Resp., magnam, & perdifficilem esse inter eruditos de Eusebii orthodoxia controversiam. Si Eusebius orthodoxe de Christi divinitate sentit, nulla est in objectione difficultas. Si vero Eusebius Ariano luto adhæsit, & subdole, ac perverso sensu ὁμοούσιον est interpretatus, non inde efficitur, hanc vocem non fuisse omnium aptissimam ad veram Jesu Christi divinitatem definiendam, quanquam posset & ipsa ab acutioribus Arianis a recto sensu deflecti. Certum tamen ex historia est, ceteros Arianos illi nunquam voluisse subscribere, non alia certe de causa, nisi quia videbant, eam non posse cum suo errore ulla ratione componi (c).

387.

(a) Non videtur hoc loco prætermittenda observatio Dion. Petavii Lib. IV. *de Trinit.* c. 5. n. 15. ubi inquit: *quæ de hoc* ὁμοουσίου *vocabulo veteres prædicant, eam vim ejus esse, ut ad Trinitatis explicandum dogma pene unicum sufficiat, & ad Arii confutandum hæresim, nec non Sabellii: quod & unam trium esse substantiam, & tres nihilominus esse distinctos significat, id per se propria sua notione neutiquam illi convenit, sed quatenus in Deo, ac de Deo ista vox usurpatur. Etenim vera illius, & nativa significatio non minus iis in rebus valet, quæ numero discrepantes in eamdem includantur speciem, quam quæ eadem numero constant substantia. Quippe vox ista unam substantiam, sive naturam indicat, quæ in pluribus individuis una esse dicitur*. His adjungenda sunt, quæ idem doctissimus scriptor habet cap. 13. n. 7. scilicet Nicænos Præsules de eo potissimum fuisse sollicitos, *ut æqualem Patri natura, excellentiaque Filium esse defenderent citra expressam singularitatis mentionem... Testatur hoc* ὁμοούσιος *vox ipsa, quæ arx quædam fuit catholici dogmatis*. Hæc porro ansam aliquibus præbuerunt, accusandi Petavium, quasi putaverit, *neque Nicænos Antistites, neque antiquissimos Christianorum Doctores de singularitate illa, quæ eamdem numero essentiam tribus personis attribuit, laborasse*. Ita Rad. Cudvorthus in *Systemate hujus universi intellectuali* c. 4. §. 36. tum Petrus Zornius in dissert. *de vario fortuna vocis* ὁμοούσιος, Jo. Cleric. Petrus Fayditius, Christoph. Psaffius, aliique. Sed injuria hac de re accusari Petavium ostendit D. Prud. Maran in *Divinitate D. N. J. C.* Lib. IV. cap. 29.

(b) Ita enim scribit suis Cæsariensibus apud Socratem Lib. I. *Histor. Ecclesiast.* c. 8.: *Id quod ab illis dictum erat ex substantia Patris, & consubstantialis, non absque examine prætermisimus. Hinc igitur variæ quæstiones ortæ sunt, & responsiones: & quænam esset eorum verborum sententia, accurate expendebatur*. Et postea: *Consubstantialem esse Patri nihil aliud significare, quam Filium Dei nullam cum creaturis ab ipso factis similitudinem habere; sed solius Patris, a quo genitus sit, per omnia similem esse; nec ex alia quadam hypostasi, aut substantia, sed ex Patre esse. Quod quidem cum ita expositum fuisset, jure merito approbandum censuimus: quandoquidem nonnullos ex veteribus insignes Episcopos, & disertos scriptores in explicanda Patris, ac Filii divinitate hoc vocabulo consubstantialis uses esse cognovimus*; cui doctrinæ quilibet astutus Arianus facile subscribet.

(c) Eusebium Arianismi accusant post S. Hieronymum epist. 133. ad Ctesifontem num. 3., aliosque ve-

387. Inst. quarto. Potuisset multo rectius Filius dici Patri μονοούσιος *unius substantiæ*, vel ταυτοούσιος, aut ἑνοούσιος potius, quam ὁμοούσιος.

388. Resp., Nicænos Patres iis verbis abstinuisse, quia multi eo tempore iisdem abuti potuissent ad impium Sabellii errorem renovandum. Ita nos S. Epiphanius docet in *Ancorato* n. 6., & *Hæresi* 76. n. 7. Etiam S. Ambrosius observat (Lib. III. *de fide* cap. 7.), recte Filium dici Patri *homousion*, *quia verbo eo & personarum distinctio*, *& naturæ unitas significatur*. Ceterum non id modo agitur, an Nicæni Patres potuerint aliis verbis catholicum dogma statuere; quis enim hoc neget? Sed an recte, sapienterque, citra ullam tritheismi suspicionem hoc nisi fuerint?

389. Neque vero quis urgeat, vocem ὁμοούσιον apud profanos scriptores non significare aliam substantiæ unitatem, quam *specificam*, non vero *numericam*, cujusmodi in divinis admittenda est. Non inquam; Patres etenim suis explicationibus eam vocem coarctarunt ad designandam unitatem, non *specificam*, sed *numericam*. Eademque difficultas occurrisset in aliis vocibus; cum enim hujus unitatis *numericæ* in substantia nullum habeatur in rebus creatis exemplum, nulla unquam inveniri potuisset vox huic explicando mysterio vel ex natura sua, vel ex profanorum scriptorum usu omnino opportuna. Imo nisi detur isthæc licentia loquendi de mysteriis divinis, prout possumus, & non prout in se sunt, de iis omnino silendum erit. Ita etiam respondebat Arianis magnus Athanasius in Lib. *de Synodis* num. 51., scilicet *recedendum nobis esse a rebus factis*, *ac depositis humanis imaginibus*, *omnibusque omnino sensibus* de Divina Verbi generatione cogitandum.

390. Inst. quinto. Illi Nicæni Patres, qui anno 341. Concilio Antiocheno interfuerunt, ὁμοούσιον reticuerunt; quod etiam postea præstitum est in Conciliis Syrmiensi, Ariminensi, & Seleuciensi; nulla ergo erat novæ hujus vocis cudendæ necessitas.

391. Resp. reipsa Constantii Augusti violentia, vel Arianorum clamoribus, & fraudibus fuisse aliquos, etiam Catholicos, ad hanc vocem prætermittendam permotos, putantes, parum interesse litigare de voce, dummodo fides esset in tuto. Alii tamen, quibus Arianorum doli perspecti erant, exilia, & quidvis durum perpeti maluerunt, quam eam vocem supprimere, quam fidei tesseram merito esse credebant. Ac demum omnes Catholici experientia edocti didicerunt, eam sine magno religionis detrimento omitti non posse; unde postea ὁμοούσιον de hostibus suis ubique terrarum feliciter triumphavit.

392. Nemini etiam negotium facessat, quod neque in fidei professione, quam Marcellus Ancyranus Julio Rom. Pontifici, & Sardicensi Concilio obtulit, neque in pœnitentiæ libello, quem eidem Julio Pontifici Ursacius, & Valens exhibuerunt, vox ὁμοούσιος legatur. Id enim studio pacis tribuendum est, & œconomiæ turbulentissimis illis temporibus necessariæ. Unde etiam S. Basilius ep. 52., alias 300. eos, qui catholice de Trinitate sentientes hanc vocem a nonnullis reprehensam suspectam habebant, atque reticebant, a culpa liberandos esse censebat.

393. Obj. quarto. Eodem modo Christus ab Episcopis Nicænis dicebatur *consubstantialis* Patri secundum divinitatem, quo erat *consubstantialis* matri secundum humanitatem, ut patet ex S. Athanasio in ep. *de sententia S. Dionysii*, ex S. Basilio ep. 38., alias 43., & præcipue ex Synodo Chalcedonensi (apud Baronium ad an. 533.); unde etiam illud Symboli vulgo Athanasiani: *Deus est ex substantia Patris .... & homo est ex substantia matris:* atqui Christus est nobis consubstantialis solum unitate *specifica* naturæ, non autem *numerica:* ergo attenta significatione vocis ὁμοούσιον non esset Christus unius, ejusdemque numero naturæ cum Patre: cum igitur hoc sit falsum, male fuit illa vox a Nicænis Præsulibus adhibita.

394. Resp. hujusmodi phrases non esse rigide, ac

teres non paucos, Natalis Alexander Diss. 17. in Sæc. IV., Petavius Lib. I. *de Trin.* cap. 11., Henr. Norius *de Synodo* V. cap. 13., Bern. Montfauconius in præfat. ad Eusebii *Comment. in Psalmos*, & D. Prud. Maran in *Divin. D. N. J. C. manifesta in script. & tradit.* Libro IV. cap. 27. Aliis autem istorum recentiorum argumentis etiam addi possunt quatuor Eusebii *Ecloga* hactenus ineditæ, quæ asservantur in Cæsarea Vindobonensi Bibliotheca; in iis enim Eusebius minus orthodoxe de Filii divinitate loquitur. Vide sis Tomum I. *Comment.* Lambecii pag. 254. edit. alteræ ab Adamo Franc. Kollario adornatæ. Harum Eclogarum mentionem facit ipse Eusebius Lib. I. *Hist. Eccles.* cap. 2., eas vocans *Commentarios peculiares continentes Prophetarum oracula de D. N. J. C.* Lapsus est autem Henr. Valesius ibidem notans, hos commentarios nihil esse aliud, quam libros *de demonstratione Evangelica*; nam hos quoque libros videtur ibi commemorare, & ab aliis distinguere. Alii tamen nec pauci, nec ignobiles Eusebii vindicias susceperunt post Socratem Lib. II. *Hist. Eccles.* cap. 21. ut D. Matthæus Petitdidier in opere inscripto: *Remarques sur les premiers tomes de la Bibl. Eccl. de M. Dupin*; ex heterodoxis autem Georgius Bullus, & Guillelmus Cave, hic in dissert. III., quæ est ad calcem *Hist. Litter.* & inscribitur *De Eusebii Cæsariensis Arianismo adv. Jo. Clericum*; ille autem in *Defensione fidei Nicænæ* sect. 3. cap. 9. Addi possent & Henr. Valesius in præfat. ad *Hist. Eccles.* Eusebii, & Montacutius in præfat. *Analect. exercit. in Baronium*; quanquam hi duo nonnisi molliori brachio rem pertractant. Sed inter omnes Eusebii defensores legi meretur D. Remigius Ceillier *Histor. des auteurs Eccles.* Tomo IV. cap. 3. art. 20. Nonnulli animo dubii hærere maluerunt, quam aliquod de tanto viro judicium temere pronunciare, ut Card. Witassius, & Laur. Berti.

ac presse sumendas, ita ut omnimoda fiat utriusque generationis similitudo, quæ esse non potest; sed id dictum nonnunquam fuisse ad explicandam veram Christi divinitatem, veramque ejusdem humanitatem, quam pro nostra redemptione assumere dignatus est. Porro ut vera sit Christi humanitas, necesse non est, ut eadem *numero* sit ejus natura cum nostra, sed sufficit, ut sit eadem *specie*. Vera autem in Christo divinitas esse non posset, nisi eadem *numero* esset cum Patre, quia plures *numero* essentiæ divinæ repugnant.

395. Inst. Constantinus Imperator, qui Synodo Nicænæ interfuit, imo, ut Eusebius videtur innuere (apud Socratem Lib. I. *Histor. Eccl.* c. 8.) vocem ipsam ὁμοούσιον invenit, Patrem a Filio essentia distinguebat. Etenim in *Orat. ad Sanctorum cœtum* c. 9. Platonem recte sensisse statuit, qui *primum quidem Deum supra omnem substantiam esse docuit .... Huic alterum subjecit, & duas substantias numero distinxit; quum una sit utriusque perfectio, & secundi Dei substantia ex primo proficiscatur Deo*. Nonnulli alii Patres Platonis doctrinæ de Trinitate laudes non denegarunt. Cum ergo Plato nonnisi tres Deos natura distinctos in sua Trinitate cognoverit, si veram Trinitatem cognovit, sequitur, hoc quoque Patres &c., adeoque non alio sensu voce ὁμοούσιον fuisse usos, quam ad denotandam unitatem essentiæ specificam.

396. Resp. a Constantino fuisse usurpatum nomen οὐσίας loco ὑποστάσεως, ad designandam scilicet non substantiam divinam, quæ nonnisi una esse potest, sed personas, quæ tres sunt, & distinctæ. Hæc vocis οὐσίας usurpatio ad designandam non substantiam, sed personam, non insolens fuit apud Veteres, ut videri potest apud Petavium Lib. IV. *de Trin.* cap. 1. & alibi. Ceterum unam esse Patris, ac Filii *numeralem* substantiam, satis indicavit idem Constantinus iis verbis: *cum una sit utriusque perfectio;* neque enim una esse potest Patris, & Filii perfectio, si duplex esset utriusque natura. Ulterius quo sensu Constantinus acceperit vocem ὁμοούσιον, indicat Eusebius in sæpius allegata sua ep. ad Cæsarienses, inquiens: *quam quidem vocem ipse* (Imperator) *quoque interpretatus est, asserens consubstantiale a se dici, non juxta corporis affectiones, neque per divisionem, aut per sectionem quamdam Filium ex Patre subsistere*. Sed de unitate numerica in cap. seq.

397. Quod vero Constantinus putaverit, Platonem recte de Trinitate sensisse, nostra parum interest. Id piissimo Augusto visum est, studio catholicæ fidei magis propagandæ; reipsa enim Ethnici Platonicæ philosophiæ studiosi facilius ad nostram religionem adducebantur, cum viderent, eam a placitis Philosophorum non esse omnino alienam. Ceterum plerique sanct. Patrum putarunt, Platonem quæ de Trinitate disseruit, fuisse ab Hebræis suffuratum, quod etiam supra notavimus Diss. I. c. 1. n. 54.

398. Quæres, an Christus Dominus dici possit αὐτόθεος, vel αὐτοούσιος, nempe *Deus a se*, vel *essentia a se?*

399. Quæstio hæc excitata fuit occasione Socinianæ impietatis; cum enim ex novis Unitariis contra veram Christi Jesu divinitatem objicerent, quod Filius a seipso non sit, sed a Patre, Dei autem character sit esse a seipso, αὐτόθεον, αὐτοούσιον aliqui Calviniani responderunt, Christum reipsa esse *a se* αὐτόθεον. Sed rursus insurgebant Sociniani, contendentes, tunc esse Deum ingenitum, sicuti est Pater; & res eo devenit, ut aliqui ad vim argumenti devitandam dicerent, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum habere *collateraliter* essentiam divinam, non autem ex vi divinarum processionum, seu ut ajebat Trelcatius, essentiam divinam esse *communem* tribus Personis, sed non *communicatam* (a).

400. Et quidem negari non potest, veteres Ecclesiæ Patres aliquoties affirmasse, Christum Dominum esse Deum a se. Sic Epiphanius Hæresi LXXVII. *Deus Verbum*, inquit, *in seipso omnem habens perfectionem per se perfectum existens, per se Deus existens, per se potentia, per se mens, per se lux:* αὐτοτέλειος ὤν, αὐτόθεος ὤν, αὐτοδύναμις, αὐτονοῦς, αὐτοφῶς. Sic Eusebius Lib. X. *Hist. Eccl.* c. 4. refert orationem panegyricam dictam Paulino Tyriorum Episcopo *de ædificatione Templorum*, in qua Servator noster Jesus Christus dicitur adorandus, non ut Rex vulgaris ex hominibus factus, *sed tanquam summi omnium Dei naturalis Filius ac per se Deus* αὐτόθεος.

401. Alia nonnulla hujus generis ex sacra antiquitate afferri possunt; quæ tamen benigne explicari oportet, ut nemo credat Filium ita esse αὐτόθεον ex se Deum, ut ingenitus sit, quomodo Pater est ingenitus; sed ita ut per originem a Patre illam divinam essentiam accipiat, quæ æterna est, improducta, & a seipsa existens. Non itaque sine ulla explicatione admitti debet ea propositio: *Filius est ex se, seu a seipso Deus*, ne occasio præbeatur negandi secundæ Personæ originem a prima. Ceterum Synodus Nicæna in Symbolo con-

tra

(a) Id narrat Jac. Arminius in epist. quadam ad Jo. Vytembogardum inter *epistolas ecclesiasticas, & theologicas præstantium, ac eruditorum virorum* pag. mihi 214. item alia epist. ad Cor. Vorstium pag. 56. Hac in re a Petavio Lib. VI. *de Trinit.* cap. 12. culpantur etiam Calvinus, ejusque discipuli Theod. Beza, & Lamb. Danæus, quod ita locuti sint de Verbo, perinde ac si haberet essentiam a seipso, non autem a Patre communicatam. Certe Calvinus in *Admonitione ad Fratres Polonos*, in *Explicatione perfidiæ Valentini Gentilis*, & alibi non semel asserit, *Filium esse a se, & a se habere divinitatem, & essentiam*.

tra Arianos definivit, Dominum nostrum Jesum Christum esse *Deum de Deo*, *Deum verum de Deo vero*; quæ definitio non potest cum hac propositione conciliari: *Jesus Christus est Deus a se*, nisi addita illa declaratione, quam dixi: sumendo scilicet hoc nomen Deus, prout significat *naturam divinam*, *ut in habente*, quemadmodum loquitur S. Thomas I. P. q. 13. art. 9. ad 2. & alibi.

402. At enim inquiebat Theod. Beza in Lib. *de Unitate essentiæ divinæ*, aliqua major perfectio in eo relucet, qui habet esse a seipso, quam in eo, qui habet ab alio; hic enim videtur quasi precario Deus esse. Rursus Persona divina ab alia procedens, quemadmodum essentiam, ita etiam omnipotentiam, omniscientiam, aliaque divina attributa alieno beneficio, non proprio jure possidebit, eadam non habitura, nisi alius hæc illi gratuito donasset.

403. Verum hæc, aliaque id genus plene explicata sunt in Diss. II. capit. 1. *de divinis processionibus*; ubi ostendimus, nullum propria loquendo esse perfectionis defectum in persona, quæ ab alia procedit, quia persona procedens eamdem numero divinam essentiam accipit, in qua omnes omnino perfectiones inveniuntur. Unde S. Thomas I. P. q. 33. art. 1. ad 2. „ Licet, inquit, „ attribuamus Patri aliquid auctoritatis ratione „ principii, nihil tamen ad subjectionem, vel „ minorationem *quocumque modo* pertinens attribuimus Filio, vel Spiritui sancto, ut vitetur „ omnis erroris occasio: secundum quem modum „ Hilarius dicit IX. *de Trinit. Donantis auctoritate Pater major est; sed minor non est* „ *Filius, cui unum esse donatur.* "

404. Nihil vero magis absurdum, aut magis falsum, quam Personam procedentem *precario* Deum esse; cum enim procedat *non libere*, sed necessario, divinam essentiam suo jure, non alterius voluntate habet, & est vere Deus, alteri Personæ consubstantialis. Fortassis autem tota hæc quæstio est de nomine; sed in mysterio tam sublimi maxima cautione opus est etiam in verborum delectu, ut in II. Diss. cap. postr. ostensum est.

CAPUT XI.

De sanctæ, & individuæ Trinitatis unitate numerica.

405. Duplex communiter a Philosophis, & Theologis distinguitur unitas: altera *specifica*, altera *numerica*. Prima est, in qua plura individua conveniunt; sic dicitur natura humana *specifice* una, sub qua infiniti homines comprehenduntur; qui tamen quibusdam peculiaribus proprietatibus numero inter se distinguuntur, & sola mentis nostræ cogitatione simul colliguntur ad unam speciem constituendam, quæ reipsa non existit nisi in individuis, nostro intelligendi modo quasi multiplicata. Unitas autem *numerica*, quæ & *singularitas* vocari potest, omnem prorsus pluralitatem excludit; & hæc numerica unitas divinæ essentiæ tribuitur; quæ unica est in tribus divinis personis; ut proinde totum sanctissimæ Trinitatis mysterium recte in Symbolo Athanasiano his paucis verbis concludatur: *Ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneramur.*

406. Hanc divinæ essentiæ simplicissimam unitatem, & singularitatem substularunt non solum *Polytheistæ*, qui plures Deos specie, & natura diversos stulte adorabant, sed etiam *Tritheitæ* qui, ut Sabellianis se opponerent, simul cum tribus distinctis divinis personis tres etiam divinas essentias distinguebant, quæ tamen sibi perfecte similes essent, & æquales, ac veluti unius speciei; quemadmodum tres homines inter se numero divisi, in eadem tamen humana natura conveniunt. Vide quæ de Jo. Philopono hujus sectæ auctore supra diximus Tom. II. Diss. II. n. 63. (a).

407. Hunc jam obsoletum Tritheitarum errorem nuper suscitare visus est D. Placidus Sturmac aperte negans, unam & singularem esse in tribus divinis personis essentiam; sed unicuique suam propriam, & distinctam tribuens, omnino tamen similem, & æqualem. Quam quidem suam opinionem fatetur esse a communi Scholasticorum doctrina alienam, vult tamen eam esse sanct. Patrum traditioni omnino consonam, atque ad arcanum sanctæ, & individuæ Trinitatis mysterium explicandum aptissimam, ut e *densissimis*, quibus hactenus involutum fuit, *tenebris*, & *obscu-*

ris-

(a) Eum Photius non tam φιλόπονον, quam ματαιόπονον *frustra laborantem* appellandum censuit Cod. 55., qui etiam alio in loco eum non solum impium, & blasphemum, sed etiam *putidum*, atque *imbecillem* disputatorem vocat. Contra vero ejus ingenium extollit Nicephorus Lib. XVIII. *Hist. Eccl.* cap. 47. Hæresi Eutychianæ pertinaciter adhæsit. Nonnulla tamen pro Christiana religione contra Proclum, & Jamblicum scripsit minime contemnenda. Barhebræus autem apud Jos. Simonium Assemannum *Bibl. Orient.* T. II. p. 326. & seq. Tritheitarum originem non ad Jo. Philoponum refert, sed ad Joannem alterum cognomento *Ascusnagum*, vel *Ascusnaghera*, cujus errorem Philoponus defendendum suscepit. Qui etiam subdit, hac de causa fuisse coram Patriarcha Chalcedonensi quatriduo disputatum; ac demum Tritheitarum hæresim damnatam. Eamdem postea suscitavit Sæc. XI. Roscelinus in Concilio Suessionensi anno 1092. ad palinodiam coactus, & a S. Anselmo in Lib. *de fide Trinitatis .... contra blasphemias Ruzelini, sive Roscelini* acriter confutatus. Vid. S. Anselmi opera a P. Gabr. Gerberonio edita.

rissimis, implicatissimisque difficultatibus magnam in lucem vindicetur (a).

408. At vero unicam, singularem, ac *numericam* esse in divinis personis essentiam, vel naturam (b) pluribus evincitur argumentis; quorum primum, & efficacissimum ducitur cum S. Thoma I. P. q. 39. art. 2. ad 2. ex iis S. Scripturæ locis, in quibus Christus Dominus ut suam divinitatem ostenderet, dixit, se *unum* esse cum Patre: *Ego, & Pater unum sumus* Jo. X. 30.; quod testimonium de unitate essentiæ ab omnibus Catholicis contra Arianos semper intellectum fuit. Esse autem intelligendum non de unitate *specifica*, sed *de numerica*, demonstrant alia verba ejusdem nostri Servatoris Jo. XVI. 15. *Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt*; quæ verba non essent omnino vera, si Pater non suam propriam essentiam Filio communicaret. Item alia Jo. X. 38. *Ut cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre*; & XVI. 9. *Qui videt me, videt & Patrem .... Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* Nempe per mutuam divinarum personarum *circuminsessionem*, quam nullo modo intelligere possumus, sublata numerica essentiæ unitate. *Non potuit expressius*, inquit S. Bernard. Serm. V. de *verbis Isaiæ, substantiæ unitas commendari. Ubi enim uterque in altero, nihil quasi exterius licet, nihil interius cogitari. Simplicissimam magis credi necesse est in ambobus substantiæ unitatem*. Et S. Fulgentius *de Fide ad Petrum* cap. 1. *Per hanc unitatem naturalem*, inquit, *totus Pater in Filio, & Spiritu sancto est; totus quoque Spiritus sanctus in Patre, & Filio* (c).

409. Prob. 2. numerica divinæ essentiæ unitas ex sanctis Patribus, quorum communis, ac sæpius repetita illa vox est, *individuam, incompositam, simplicissimam monadem, & henadem* esse Dei essentiam, Filium esse *consubstantialem* Patri, nec ab eo dividi ulla ratione posse, sicut splendor non potest a sole dividi, aut fluvius a fonte; quibus verbis, ac similitudinibus pleni sunt S. Hilarii, Athanasii, Basilii, Gregorii Nazianzeni, atque Augustini libri contra Arianorum perfidiam conscripti. „ Ut enim, inquit S. Athanasius Orat. II. *cont. Arianos* n. 2. ab igne lux „ oritur, ita Verbum a Deo est, sapientia ex sapiente, & ex Patre Filius; *hac enim ratione unitas integra, & individua manet*." Et num. 10. *Humano, si placet, utamur exemplo. Ignis, & splendor ex eo ortus duo quidem sunt, quatenus existunt, & cernuntur; unum vero sunt,* quatenus

(a) Ediderat anno 1760. furtivis typis (quanquam Parisina impressio fingebatur) opusculum ita inscriptum: *Anonymi O. S. B. dogma Scholasticorum de unitate in Trinitate collatum cum Patrum eadem de re doctrina*: in quo *numeralem* divinæ essentiæ unitatem, tanquam inane Scholasticorum commentum, sanct. Patrum doctrinæ oppositum explodens, contendit, trinam esse, & distinctam in tribus divinis personis naturam; hanc tamen triplicem naturæ distinctionem summæ ejus simplicitati minime obesse. Porro cum hanc suam sententiam multis argumentis in Wiceburgensi Universitate oppugnatam fuisse cognovisset, novam, ac multo auctiorem ejusdem opusculi editionem curavit, apposito proprio nomine, sed iterum ementito impressionis loco, nempe Venetiis 1773. Primus tamen hujus sententiæ auctor dici nequit: facem enim ei prætulerat Petrus Faydittus in opere supra memorato Diss. II. num. 1. de quo hæc scribit P. Graveson *Hist. Eccl.* sæc. XVII. colloquio V.: *Dum Theologos Scholasticos impugnat, lapsus est in Tritheitarum errorem, tresque distinctas essentias seu naturas admisit in tribus personis divinis*. Præiverat etiam Rad. Cudvvorthus in *System. intellectuali hujus Universi* cap. 4. §. 36. fidenter asserens, Patres, qui contra Arianos pugnarunt, hac fuisse imbutos opinione. *Tres personas, seu hypostases divinæ Trinitatis, non modo generali præditas esse, & universali divinitatis essentia... verum etiam tres esse circumscriptas, & singulares essentias, uni speciei, seu uni divinitati, essentiæ, ac substantiæ subjectae: similiter ut tres homines, Thomas, Petrus & Joannes, sub unam generalem speciem, hominem nimirum, seu essentiam humanitatis, referuntur, nec nisi numero inter se differant*. Quam absurdam suam opinionem, quibus potuit, veterum Patrum testimoniis communire sategit: quanquam postea non tam suo, quam fictitii nescio cujus Christiani *Platonici* nomine locutum se esse profiteatur.

(b) S. Thomas I. P. q. 39. art. 2. ad 3. docet, magis exprimi unitatem divinam, dicendo, tres personas esse *unius essentiæ*, quam dicendo esse *unius naturæ*; quia *natura designat principium actus, essentia vero ab essendo dicitur*. Deus autem est ipsum esse, seu plenitudo entis. S. August. Lib. VII. *de Trin.* cap. 5. n. 10. observat „ Deum abusive *substantiam* vocari, „ ut nomine usitatiori intelligatur *essentia*, quod vere ac propria dicitur: ita ut fortasse solum Deum „ dici oporteat *essentiam*." Communi tamen loquendi usu a Theologis promiscue adhibentur nomina *essentiæ, naturæ, substantiæ*.

(c) S. Thomas Lib. IV. *cont. Gent.* cap. 9. ex quo in sacris litteris Pater in Filio, & Filius in Patre esse dicatur, recte infert, contra Sabellium quidem duas esse personas Patris, & Filii; & contra alios unam esse utriusque essentiam; & sic concludit: *Unde cum essentia Patris sit in Filio, & essentia Filii in Patre, eo quod una est essentia utriusque, ut fides catholica docet, sequitur manifeste, quod Pater sit in Filio, & Filius sit in Patre*. Vide, quæ de *circuminsessione* dicta sunt Diss. II. c. 8. Nimis autem longum foret, omnia veterum Patrum testimonia afferre, quibus hanc mutuam divinarum personarum in seipsis coexistentiam ex unitate essentiæ repetunt; atque inter alios S. Athanasius in Orat. IV. contra Arianos multa habet de hac re lectu dignissima. In Orat. quidem præcedenti n. 5. usus fuerat exemplo imaginis Imperatoris, quæ si perfecte illi similis sit, qui eam videt, Imperatorem videt, *& si quis post imaginem vellet Imperatorem videre, recte illi imago diceret: ego, & Imperator unum sumus: ego enim in illo sum, & ille in me*. Sed hac rudi explicatione minime contentus Athanasius veram illorum verborum postea tradit ex unitate naturæ depromptam; quia *hoc, quod est Filius, plenitudo est divinitatis Patris; & quia Filii divinitas, & species, sive forma nullius alius est, quam Patris*. Qui plura cupit,

quatenus splendor ab igne est, *nec ab eo dividi potest* (a).

410. Quod autem hæc non de *specifica* nescio qua unitate, sed de *numerica*, & singulari intelligi debeant, liquet etiam ex calumnia Arianorum, qui orthodoxos Patres Sabellianismi accusabant, quasi unicam Dei essentiam prædicantes unicam etiam admitterent trinominem personam. *Quin etiam id adjiciunt*, inquit Hilarius de Arianis in Lib. *de Synodis*, *cum unius substantiæ Patrem*, *& Filium esse audiunt ... verbi hujus significationem ... hoc sensu usurpare*, *atque eloqui*, *tanquam ipse sit Pater*, *qui & Filius*. Cui amentissimæ calumniæ nullus certe fuisset locus, si Catholici *specificam* duntaxat unitatem confitentes, non solum tres personas, sed etiam tres distinctas in Deo essentias posuissent. Quis enim, amabo, suspicabitur unquam, tres homines non esse nisi tria nomina ejusdem rei, quia una eorumdem est specifica unitas?

411. Tertio accedit, quod positis tribus divinis personis, quarum quælibet propria, distinctaque essentia prædita sit, manifeste incidimus in damnatam Tritheitarum, & Cononitarum (b) hæresim, ut scilicet tres Deos confiteri debeamus. Ut enim Leontius Byzantius testatur in Lib. de *Sectis* act. 5., Philoponus illius hæresis auctor Aristotelica philosophia deceptus, ut tres hypostases, ita enim *tres naturas in sacrosancta Trinitate profitebatur*; unde consequens erat, tres esse Deos. Sane, ut profunde S. Thomas I. P. q. 39. art. 3. advertit, *hæc est ratio*, *quare Socratem*, *Platonem*, *& Ciceronem dicimus tres homines*, *Patrem autem*, *& Filium*, *& Spiritum sanctum non dicimus tres Deos*, *sed unum Deum*, *quia in tribus suppositis humanæ naturæ sunt tres humanitates*, *in tribus autem personis est una divina essentia*.

412. Hinc S. Patres, ut ab hujus hæresis contagione procul essent, non solum negarunt, dici posse *tres Deos*, sed etiam noluerunt dici *tres essentias*. Ita S. Augustinus Lib. VII. *de Trin.* cap. 4., addens hanc rationem, *ne intelligatur in illa summa æqualitate* (trium personarum) *ulla diversitas*. Et S. Gregorius Naz. in laud. Orat. XXXI. n. 16. nostram de Trinitate doctrinam a polytheismo longe alienam esse dicit, propter divinarum personarum *essentiæ*, *& potentiæ identitatem*. Et S. Leo Papa in Serm. III. *de Nativ.* cap. 2. *Non tres Dii*, inquit, *sed unus Deus*, *quia vera & inseparabilis est unitas*, *ubi nulla potest esse diversitas*.

413. Porro nuperus triplicis divinæ essentiæ assertor, ut hanc *tritheismi* notam, quam *spectrum inane* vocat, a se amoliatur, contendit, Philoponum cum paucis suis asseclis errasse, quia tres divinas naturas, non solum *distinctas*, sed etiam *diversas* ponebat, sicuti nedum distinctæ, sed diversæ quoque, & a se invicem independentes sunt trium hominum naturæ; unde tria diversa operationum principia exurgunt, se autem procul esse ab hoc errore profitetur, cum tres naturas divinas, *distinctas* quidem, nullatenus autem *diversas*, imo perfecte similes, & æquales esse doceat, quarum proinde una sit voluntas, & una potentia, atque illam constituant *monarchiam*, quam S. Patres contra Arianos perpetuo prædicabant. Ita Sturmer pag. 233.

414. At vero frustra laborat, ut subtili hac distinctione a Tritheismi criminatione se liberet. Etenim contra eum valet illud solidum ratiocinium, quo Sophronius Patriarcha Jerosolymit. Tritheitas urgebat, relatum Act. XI. Synodi VI. inquiens: *Unitas* ipsius substantiæ, & naturæ „ (divinæ) „ numerari omnino respuit, ne *differentia Deitatis inducat*, adeoque substantiæ, & naturæ, „ & ex *monarchia*, *idest unius principatu Deorum multitudinem efficiat*. *Omnis namque* „ *numerus* (ratio bene notanda) *differentiam* „ *habet adjunctam*; & omnis differentia, atque „ distinctio congenitum una secum infert numerum. Numeratur ergo beata Trinitas, *non essentiis*, *ac naturis*, nec diversis deitatibus, „ ternisve dominationibus. *Absit*, sicut insaniunt „ Ariani, & novi Tritheitæ &c."

415. Sane perquam difficilis est intellectu illa triplex divina essentia, quæ *distincta* sit, sed non *diversa*: neque enim alia de causa personæ divinæ sunt quidem distinctæ, non tamen *diversæ*, nec *dissimiles*, aut *inæquales*, nisi quia unam eamdemque numero habent essentiam; diversitas enim nascitur ex distinctione substantiæ, seu essentiæ, ut sapienter docet S. Thom. I. P. q. 31. art. 2. ad 2., & ante eum Boetius in libro inscripto: *Quomodo Trinitas est unus Deus*, *& non tres Dii?* inquiens: *Principium pluralitatis alteritas est*; *præter alteritatem enim nec pluralitas quid sit*, *intelligi potest* (c).

416. Postremo ad confirmandam numericam divinarum personarum unitatem præsto sunt definitio-

adeat Petavium Lib. IV. de *Trin.* cap. 16. ubi fusius, ex latinorum, græcorumque Patrum verbis ostendit, hanc divinarum personarum περιχώρησιν sine numerica unitate essentiæ explicari non posse.

(a) Sapienter S. Augustinus *Contra Sermonem Arianorum* cap. 16. Tomo VIII. ita nos monitos voluit: *Quatenus sint ista similia*, *& rursus quantum dissimilia illi incommutabili Trinitati*, *quæ Deus est*, *longum est enucleatissime disputare*. Et S. Gregorius Nazianz. Orat. XXXI. al. 37. num. 31. postquam varias attulit ex rebus creatis similitudines, fatetur tamen, nullam se potuisse imaginem invenire, *cui divina illa natura comparanda sit*.

(b) Cononitæ hæretici fuerunt VI. sæculi, ita dicti a Conone Archiep. Alexandrino, si vera refert Nicephorus Callixti Lib. XVIII. cap. 50.

(c) P. Sturmer nullam claram suæ novæ doctrinæ expositionem exhibere unquam potuit. Speciminis lo-

tiones Ecclesiæ. Nam in Concilio V. c. 1. hæc habentur: *Si quis non confitetur Patris, & Filii, & Spiritus Sancti unam esse naturam, sive essentiam, unam virtutem, & potestatem, Trinitatem consubstantialem, unam deitatem in tribus subsistentiis, sive personis adorandam, anathema sit.* Et complures afferri possent similes Ecclesiæ definitiones.

417. Sed ne istæ eludantur effugio unitatis *specificæ*, satis erit solemnis illa Concilii IV. Lateranensis anno 1215., in cujus c. 1. ita fuit definitum contra celebrem Abb. Joachimum: *Firmiter credimus, quod unus solus est verus Deus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: tres quidem personæ, sed una essentia, natura simplex omnino.* Et adhuc clarius loquitur Innocentius III. cap. 2. inquiens: *Nos, approbante sacro Concilio, credimus & confitemur cum Petro Lombardo, quod una quædam summa res est, incomprehensibilis quidem, & ineffabilis, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus... Patet ergo, quod sine ulla diminutione Filius nascendo substantiam Patris accipit, & ita Pater, & Filius habent eamdem substantiam, & sic eadem res est Pater, & Filius, necnon & Spiritus sanctus ab utroque procedens.* In eodem etiam decreto definitum fuit, quod divina substantia, essentia, vel natura *non est generans, neque genita, nec procedens; sed est Pater, qui generat, & Filius, qui gignitur, & Spiritus Sanctus, qui procedit, ut distinctiones sint in personis, & unitas in natura.* Cui definitioni, quæ controversiam omnem de hac re terminare inter Catholicos deberet, consensere Patres Synodi Florentinæ Sess. XIX. §. *ut exemplum*, negantes, *essentiam generari:* quod omnino dicendum foret, si tres essent in tribus personis essentiæ. Hæc talia sunt, ut Guill. Estius in Lib. I. *Sent.* Dist. 5. §. 1. non dubitaverit sententiam eorum, qui volunt plures esse numero divinas essentias, appellare *absurdam, & catholicæ fidei contrariam*.

418. Frustra autem excipitur, fuisse ex Lateranensi decreto damnatam doctrinam Joachimi Abbatis, qui volebat, tres in Deo esse essentias *diversas:* non autem doctrinam, quæ vult, tres quidem esse essentias *distinctas*, sed non *diversas*. Frustra inquam; primo enim Innocentius sacro approbante Concilio ita proscripsit erroneam Joachimi doctrinam, ut oppositam confirmaret Petri Lombardi, qui una cum ceteris Theologis *numericam* in divinis personis essentiam esse docebat. Ulterius sapientissimus ille Pontifex ita explicat unitatem naturæ divinæ, ut sit omnino simplex, eamque opponit personarum *distinctioni*, addens: *Hæc S. Trinitas secundum communem essentiam individua, & secundum personales proprietates discreta;* quibus verbis non solum *diversitas*, sed etiam quæcumque *distinctio* excluditur. Tertio negat, essentiam in Filio *generari:* quod tamen omnino necesse foret, si in generatione divina multiplicaretur essentia (a).

419. Objectio prima, & potissima petitur ex frequenti S. Patrum loquendi usu, dicentium, *naturam Filii esse genitam*, vel *natam;* Filium esse *Deum ante sæcula genitum*, esse *ex substantia Patris;* ac denique Patrem esse *fontem deitatis*, non alio certe sensu, nisi quia deitas, seu essentia Filii ab ipso Patre generatione procedit. Ita sæpissime Athanasius, Hilarius, Basilius,

co sint, quæ habet p. 245.: „ Cum Deus nec genus „ sit, nec species, sicut animal, & homo, ut Augustinus recte observat, Lib. VII. *de Trin.* c. 6., hinc „ nec in Deo talis potest *specifica unitas* esse, cui „ tria sint subjecta, ceu totidem dii, ut in humana „ fit specie, quæ Petrum, & Paulum, & Andream „ sub se continet. Dum itaque dicimus, Dei esse na„ turam *specie unam*, eo sensu dicimus, ut excluda„ *tur numerica unitas* & distinctæ *numero* intelligantur „ naturæ: quamquam a ratione speciei stricto Philo„ sophorum sensu, qui ex humanis sua unice sumpse„ runt, acceptæ deficiat. “ Quis porro intelligat, „ hanc naturam, quæ *sit specie una*, ita ut *numericam unitatem excludat*, a ratione tamen speciei proprie sumptæ deficere? Sed hæc, & alia obscuriora in quæ delabuntur, ut claram arcani, & ineffabilis mysterii nobis notionem suppeditet, auctor ipse viderit.

(a) De Joachimo Abbate Monasterii Florensis in Diœcesi Cosentina, cui Bollandiatæ titulum *Beati* tribuunt ad diem 29. Maii Tom. VI. nonnulla diximus T. II. Diss. II. n. 37. in not. Nunc tantum addimus, sententiam Petri Lombardi, quam ut orthodoxam approbavit Innocentius Papa, fuisse his verbis expressam Lib. I. Diss. 5.: *Catholicis tractatoribus consentientes dicimus, quod nec Pater divinus essentiam genuit, nec divina essentia genuit Filium, nec divina essentia genuit essentiam. Hic autem nomine essentiæ intelligimus divinam naturam, quæ communis est tribus personis, & tota in singulis.* Abbas vero Joachimus Petrum appellans *hæreticum*, & *insanum*, non aliam admisit in Trinitate unitatem, seu potius *unionem*, quam *similitudinariam, moralem, & collectivam*, qualis est in una civitate, in uno populo, in una Ecclesia; unde etiam ad eam confirmandam abutebatur iis verbis Actorum IV.: *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una;* tum iis 1. ad Corinth. VI., *Qui plantat, & qui rigat, unum sunt;* aliisque similibus. Vid. Nat. Alexander in Sæc. XIII. cap. 3. art. 3. Ceterum S. Thomas Opusc. 24. in *Decret.* celeberrimum hunc Florensis Monasterii in Calabria Institutorem ob hæresi excusat, quia non fuit pertinax, *& scripta sua Apostolicæ sedis judicio subjecit*, ut patet ex protestatione ejusdem operibus præfixa. Unde etiam Innocentius Joachimi, ejusque Monasterii honoribus nihil derogatum voluit; quod postea ampliori diplomate confirmavit Honorius III. Innocentii successor. Conati quidem sunt aliqui Joachimum ab errore etiam purgare, sed parum feliciter, ut ostendit laud. Nat. Alexander in Dissert. II. Putarunt alii, venerabilem hunc Scriptorem sententiam de distinctione divinæ essentiæ, quam junior incaute docuerat, seniorem revocasse, & in suo *Decachordo psalterio*, quod extremis vitæ suæ annis composuit, numericam divinæ essentiæ unitatem non obscure indigitasse.

lius, Gregorius Nazianz., aliique, qui contra Arianos mysterium Trinitatis feliciter defenderunt, atque explicarunt. Imo S. Augustinus Lib. VII. *de Trinit.* cap. 2. non dubitavit Filium appellare *essentiam de essentia*, ac dicere *divinitatem Filii de natura Patris esse natam*. Dionysius etiam vulgo Areopagita *de div. nom.* cap. 2. Filium, & Spiritum sanctum vocavit *essentiatos*. His, aliisque id genus testimoniis innixus Richardus a Sancto Victore VI. *de Trinit.* cap. 22. & 23. omnino vult, esse dicendum, quod *substantia genuit substantiam*. Hoc autem posito, sequitur manifeste tres esse divinas essentias; aliam generantem, aliam genitam, tertiam procedentem.

420. Respondet S. Thomas I. P. q. 39. articul. 5. ad 1. „ quod ad exprimendam unitatem essen„ tiæ, & personæ S. Doctores *aliquando expres„ sius* locuti sunt, quam proprietas locutionis pa„ tiatur; unde hujusmodi locutiones non sunt ex„ tendendæ, sed exponendæ; ut scilicet nomina „ abstracta exponantur per concreta, vel etiam „ per nomina personalia; ut cum dicitur *essen„ tia de essentia*, vel *sapientia de sapientia*, „ sit sensus: Filius, qui est *essentia, & sapien„ tia*, est de Patre, qui est *essentia, & sa„ pientia*. “

421. Aliquando etiam veteres Ecclesiæ Doctores, cum dicunt, Patrem *gignere naturam* Filii, nomine generationis intelligunt communicationem identicam propriæ naturæ Patris. Et rursus dicentes Patrem gignere Filium *ex sua substantia*, nihil aliud volunt, quam Patrem Filio suam ipsam substantiam communicare. *Filius*, inquit S. Thomas I. P. q. 41. art. 3. ad 2. *est genitus de essentia Patris*, *inquantum essentia Patris Filio per generationem communicata in eo subsistit*. Ac denique nihil prohibet, Filium, & Spiritum sanctum vocari *essentiatos*, prout nempe omnes habent unam, eamdemque essentiam, quam Pater, dictus *essentiator*, Filio communicat, & Pater, ac Filius tanquam unum principium communicant Spiritui sancto.

422. Quod autem S. Augustinus dicit Lib. IV. *de Trinit.* cap. 20., *Patrem totius divinitatis, vel si melius dicitur, Deitatis, principium esse*, explicatur a S. Thoma art. cit. ad 6., ut in hujusmodi locutionibus debeat sumi Deitas pro *universitate personarum*, inquantum scilicet in omnibus personis divinis Pater est principium. *Vel potest dici*, subdit Angelicus, *quod est principium totius Deitatis, non quia eam generat, sed quia eam generando, & spirando communicat*. Vide supra Diss. II. numero 247.

423. Auctoritas demum Richardi a S. Victore nos movere non debet; neque enim tanta est, ut integro Theologorum Choro præponi debeat; maxime cum scripserit ante Concilium Lateranense, cui sine dubio pius ille Theologus fasces submisisset (a).

424. Inst. Divinæ generationis, sicuti etiam activæ spirationis, aliquis terminus esse debet; non potest autem hic terminus esse solus, & diversus subsistendi modus: debet ergo esse substantia, vel essentia; ut proinde hæc ipsa dicatur genita, vel spirata, & ita non una, sed trina sit divina essentia.

425. Resp., terminum divinarum processionum esse relationes, ut subsistentes; quæ relationes a divina essentia minime distinguuntur, quamvis distinguantur inter se propter mutuam oppositionem. Dici etiam potest, terminum divinarum processionum esse ipsam divinam essentiam, non quasi generetur in Filio, & spiretur in Spiritu sancto; sed quatenus utrique communicatur sub diverso subsistendi modo. *Quod procedit ad intra*, inquit S. Thomas I. P. q. 27. art. 1. ad 2. *processu intelligibili, non oportet esse diversum, imo quanto perfectius procedit, tanto magis est unum cum eo, a quo procedit; manifestum est enim, quod quanto aliquid magis intelligitur, tanto conceptio intellectualis est magis intima intelligenti, & magis unum; nam intellectus secundum hoc, quod actu intelligit, secundum hoc fit unum cum intellecto. Unde cum divinum intelligere sit in fine perfectionis, necesse est, quod Verbum divinum sit perfecte unum cum eo, a quo procedit, absque omni diversitate.*

426. Inst. 2. Dici potest: *essentia divina est ingenita, essentia est genita, essentia est procedens*: cur ergo dici etiam non poterit: *tres sunt essentiæ divinæ, quarum una est ingenita, alia genita, tertia procedit?*

427. Respond. Cum dicitur: *essentia est ingenita &c.*, significatur una, eademque essentia divina, quæ ut subsistit in Patre, non habet originem, quia Pater a nullo procedit, prout subsistit in Filio, dicitur quodam sensu *genita*, non quasi ipsa per se generetur, sed quia Filii persona, quæ idem est cum essentia, a Patre generatione procedit. Et similiter dicitur de Spiritu sancto, qui a Patre Filioque procedit. Hac autem ratione non multiplicatur essentia, sed solum multiplicantur personæ eamdem unicam infinitam essentiam mirabiliter terminantes.

428. Ceterum quod in Concilio Lateran. Innocentius solemniter definivit, *essentiam nec generare, nec generari*, etiam sana ratio confirmat; commune enim est Scholarum effatum, *Actiones esse suppositorum*; quanquam enim etiam naturæ tribuatur operatio, utpote quæ est *principium actus*; quia tamen natura non operatur, nisi qua-te-

(a) Richardus natione Scotus, & Canonicus Regularis in celebri Abbatia Parisiensi Sancti Victoris sæculo XII. floruit magna theologicæ scientiæ lauda, anno autem 1171. diem clausit extremum.

tenus actu subsistit; natura autem actu subsistens dicitur *suppositum*, proinde supposito proprie operationes tribuuntur. *Actiones*, inquit S. Thom. 2. 2. q. 58. articul. 2. *sunt suppositorum, & totorum, non autem proprie loquendo partium, & formarum, seu potentiarum: non enim proprie dicitur, quod manus percutiat, sed homo per manum; neque proprie dicitur, quod calor calefaciat, sed ignis per calorem.* Sic ergo Patris persona generat Filium, ipsi non aliam, quam propriam essentiam communicando; & persona Filii generatur, accipiens ipsissimam numero essentiam Patris, modo ineffabili, & a generatione humana infinite distanti (*a*).

429. Obj. secundo. Ipsa vox ὁμοούσιον, qua Nicæni Episcopi contra Arianos usi sunt, tanquam tessera fidei, non aliam exprimit divinarum personarum unitatem, quam specificam. Nam Marius Victorinus Libro IV. adv. Arium ita hanc vocem explicat: *Hoc enim est ὁμοούσιον simul substantiam habens, paremque existendi vim atque virtutem, eamdemque substantiæ naturam, nullo tempore præeunte, quod nos consubstantiale dicimus.*

430. Resp. Quanquam ex sola grammaticali hujus vocis ὁμοούσιον significatione nequeat unitas numerica divinæ naturæ demonstrari, in sensu tamen Nicænorum Patrum non aliam hæc vox unitatem significabat, quam numericam; ipsis enim persuasum omnino erat, non posse divinam essentiam multiplicari, quin etiam Dii multiplicarentur (V. sup. n. 412.). Reipsa hæc erat perpetua, & molestior Sabellianorum objectio, quod si tres essent divinæ personæ inter se distinctæ, tres pariter Dii essent adorandi. Cui objectioni refellendæ illud a catholicis responsum fuit, non esse tres Deos, quia tres personæ unam, eamdemque individuam essentiam habent; quæ proinde non multiplicatur multiplicatis personis. Hanc omnium veterum doctrinam paucis complexus est S. Bernardus Libro V. *de Consideratione* cap. 7. inquiens: *Cum tres illæ personæ illa substantia sint, & illa una substantia tres personæ, quis numerum neget? Nam vere tres sunt. Quis numeret tamen? Nam vere unum sunt.*

431. Inst. 1. Patres orthodoxi aliquando permiserunt Arianis, ut suppressa voce ὁμοούσιον, alia uterentur ὁμοιούσιον, quæ significat Jesum Christum esse æternum Patri *similem in natura*, ac perfecte *æqualem;* atqui hæc similitudo, & æqualitas esse non potest, nisi inter duas distinctas essentias; ut enim inquit S. August. Lib. IX. *de Trinit.* cap. 4. *omnis similis alicui similis est*, & S. Gregorius Nazianz. in sæpius laud. Orat. XXXI. *Idem, ut seipso majus sit, sibique ipsi æquale, qui fieri potest?* ergo &c.

432. Resp., id fuisse Samaritanis ex quadam indulgentia aliquando permissum, quia perfecta æqualitas, & similitudo Filii cum Patre nec intelligi, nec esse poterat, nisi una eademque numero esset utriusque essentia. *Si ergo* (Pater), inquit S. Hilarius in Lib. *de Synodis*, *naturam non dissimilem ei, quem impassibiliter generabat, dedit, non potest aliam dedisse, quam suam.* Et S. Augustinus Lib. II. contra Maximinum cap. 15. ita Arianos convincebat: *Quomodo Filium Patris similem dicitis, cui Patris substantiam dare non vultis?* Quia nempe perfecta, & omnimoda similitudo Patrem inter & Filium esse non poterat, sublata identitate essentiæ.

433. Inst. 2. S. Augustinus cit. mox Lib. II. contr. *Maxim.* capit. 15. ad explicandam summam & individuam Sanctæ Trinitatis unitatem, affert exemplum humanæ naturæ, quæ una est, & individua in pluribus hominibus, inquiens: *Nam duo veri homines ... unius sunt, & ejusdem substantiæ.* Alii etiam Patres sæpe eodem usi sunt exemplo. Nonnunquam vero usi sunt similitudine auri, quod idem est in pluribus statuis, vel monetis; idem, inquam, non numero, sed specie: non ergo veteres Patres aliam agnoverunt in Trinitate unitatem, quam specificam.

434. Resp., veteres Patres fuisse opportune his similitudinibus usos, quia hæ satis erant ad refutandam Arianorum perfidiam, qui non solum distinctam, sed toto plane genere diversam Patris, ac Filii naturam esse blasphemabant. Nec erat semper necesse subtilius ostendere, hanc essentiæ divinæ unitatem esse multo sublimiorem, quam in hominibus, aliisque rebus creatis; quod postea aliis in locis fecerunt. Imo S. Augustinus in loco ipso objecto hanc majorem unitatem in divinis personis notavit, ne forte aliqui inde erroris occasionem caperent. *Neque enim*, ait, *sicut contingit in filiis hominum, vel quorumcumque animalium, ita fas est dicere, verum Dei Filium substantiæ quidem unius esse cum Patre, sed non per omnia similem Patri.* Quænam porro est ista unitas, quæ efficiat divinas personas *per omnia* similes inter se, nisi unitas numerica (*b*)?

435.

(*a*) Quanquam etiam in humanis id aliqua ratione verum esse observabat Aristoteles in primo libro *de anima*, ubi ait: *Dicere, animam irasci, perinde est, ac si quis dicat, animam texere, vel ædificare: ac forte melius est, non ita loqui, ut dicamus, animam misereri, vel discere, sed hominem anima.* Sic etiam S. Thomas I. Part. quæst. 41. art. 5. dicit, naturam divinam esse id, *quo* Pater generat. Et in resp. ad 1. ex hoc ipso, quod natura divina sit principium *quo* generandi, colligit, unam numero esse naturam in Patre, & Filio. „ Id *quo* generans generat, est commu„ ne genito, & generanti, & tanto perfectius, quanto „ perfectior fuerit generatio. Unde cum divina gene„ ratio sit perfectissima, id *quo* generans generat, est „ commune genito, & generanti, *& idem numero, non* „ *solum specie*, sicut in rebus creatis. “ Vide, quæ diximus Dissert. II. cap. 2. num. 49. seq.

(*b*) Haud difficile esset multa congerere aliorum ve-

435. Inst. 3. Iidem Sancti Patres Arianis importune objicientibus, quod si Filius ejusdem sit substantiæ cum Patre, & similiter Spiritus sanctus, jam non unus, sed tres essent Dii, fidenter respondebant, hoc non sequi, quia etiam Petrus, & Paulus, & Joannes, quia eamdem habent naturam humanam, proprie tres homines non sunt, sed unus homo. Ita S. Gregorius Naziazn. in Libro ad Ablabium, cujus titulus est: *Cur non sint tres Dii?* hac similitudine perpetuo utitur, contendens, nonnisi *improprie* plures dici homines, & *si accuratius loqui velimus*, tota hominum multitudo nonnisi *unus homo* appellari deberet. Quod repetit aliis in locis suorum operum. Eademque similitudine, & phrasi utitur S. Cyrillus Alexandr., & nonnulli alii post ipsum.

436. Resp. veteres Patres potissimum sollicitos, ut omnium pessimam Arianam hæresim prostrarent, libentissime fuisse usos similitudine hominum, quorum filii sunt ejusdem naturæ, ac parentes, iisque consubstantiales; non ita vero fuisse semper, & ubique sollicitos de explicanda numerica divinæ essentiæ unitate, de qua tunc quæstio non erat. Quamquam postea cum iidem Ariani molestius objicerent, ex nostra doctrina consequi, tres esse Deos, tunc quasi necessitate iidem Patres adacti, ut suam similitudinem humanæ generationis tuerentur, dixerunt, etiam totam hominum multitudinem *proprie* loquendo non esse nisi unum hominem; quod etsi rectæ philosophiæ consentaneum minime sit, aliquo tamen sensu dici poterat, & satis erat, ut importunis Arianis os obstruerent. In aliis autem locis veram rationem, cur tres divinæ personæ non sint tres Dii, ex numerica earum unitate essentiæ desumpta non prætermiserunt. Vide supra num. 411. seq.

437. Ne autem hæc responsio omni carere fundamento putetur, optimum primum erit eam testimonio S. Joann. Damasceni communire, qui Lib. III. *de fide Orthod.* cap. 6. explicans ea Apostoli verba *Ephes. II. 5. Convivificavit nos in Christo ... & conresuscitavit, & consedere fecit in cœlestibus*, inquit: „ Non ut omnes hominum „ hypostases surrexerint, & consederint a dextris „ Patris, sed quatenus *tota nostra natura in* „ *Christi* erat hypostasi. “ Vid. Petavius Lib. IV. *de Trinit.* cap. 9.

438. Inst. 4. Aliquando Patres non aliam reddunt rationem summæ, & individuæ unitatis in tribus divinis personis, quam perfectam inter eas concordiam; quomodo *si tres Imperatores in uno regno, in una concordia, in una sede, in una suavitate, in uno amoris affectu, in una potestate regnarent*. Exemplum est Arnobii in *Dial. cum Serapione Eutychiano* Tomo VIII. Biblioth. S. Patrum.

439. Resp. Si hæc exempla sive ulla diversitate valerent, *unio* potius in Trinitate, quam vera *unitas* esset: sicuti civitas una est, exercitus unus, populus unus. At certe talis non est Sanctissimæ Trinitatis individua unitas, quam Sancti Patres tanquam ineffabile mysterium professi sunt (a). Arnobius autem, (& cum eo fortasse nonnulli alii) hac similitudine explicare rudioribus aliquo modo voluit perfectam divinarum personarum æqualitatem, quarum una non est prior, aut major altera. Voluerunt etiam S. Patres ordinem primi, secundi, tertii a Trinitate excludere, quamvis numerum ternarium in personis admitterent. Ceterum cum accuratius hoc mysterium explicare voluerunt, non solum concordiam, æqualitatem, amorem, sed etiam, imo potissimum unitatem essentiæ commemorarunt. „ Colamus, inquiebat S. „ Gregorius Naz. Orat. XXXI., alias XXXVII. „ num. 28., Deum Patrem, Deum Filium, Deum „ Spiritum Sanctum, tres proprietates, *unam di-* „ *vinitatem*, nec gloria, nec honore, nec *essen-* „ *tia*, nec regno divisam. “

DIS-

terum testimonia, qui utentes hac hominum, vel aliarum rerum similitudine simul declararunt, unitatem divinæ essentiæ iisdem adumbrari quidem, non autem perfecte expliceri. Laud. S. Augustinus Lib. VII. *de Trinit.* cap. postr. admonebat, has similitudines multum deficere, *quia non tantum est unus homo, quantum tres homines simul ... & in statuis æqualibus plus auri est tres simul, quam singulæ ... At in Deo non ita est; non enim major essentia est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus simul, quam solus Pater, aut solus Filius &c.* S. etiam Athanasius epist. 1. ad Serapionem num. 16. *Nec enim*, ait, *hominum similis est Deus, nec divisam habet naturam.* Multa hujus generis sæpe in Sanctis Patribus occurrunt.

(a) Vid. S. Gregorius Nazienz. Orat. XXV. alias XXIII. num. 17., ubi reprehendens *inexplicabilem* quorumdam curiositatem, sufficere dicebat, ut hoc *duntaxat sciamus, Trinitatem in unitate, & unitatem in Trinitate adorandam esse, cujus & divisio, & conjunctio plane admirabilis est.* Et S. Basilius epist. 43. *ænigmati similem* esse dicebat *trium istorum* (nempe Patris, & Filii, & Spiritus Sancti) *discretam conjunctionem, & conjunctam discretionem.* Non igitur Sancti Patres arbitrati sunt, *hoc præcipuum, ac primarium Religionis nostræ dogma velut e densissimis tenebris, & obscurissimis, implicatissimisque difficultatibus magnam satis vindicari in lucem posse*, quemadmodum sua nova doctrina sibi Pater Placidus Sturmer blanditus est pag. 16. Accusat ille quidem Scholasticos, quod Aristotelis philosophiæ, dialecticisque ratiociniis plus nimio indulgentes, ab avita S. Patrum doctrina recesserint: sed ex hactenus dictis potius ita cum doctissimo P. Prud. Maran pronunciendum esse censeo: *Si quis solam specificam essentiæ unitatem in controversiam (cum Arianis) venisse suspicetur, eum nulla antiquitatis Ecclesiasticæ aura perflatum fuisse patet*, in Lib. inscripto, *Divinitas Jesu Christi Domini Nostri &c.* Lib. IV. cap. 30. num. 3. Vid. totum illud cap. cum seq.

DISSERTATIO IV.

De nonnullis spectantibus ad Historiam Arianorum.

CAPUT I.

De Synodi Nicænæ convocatione.

1. Ad Romanum Pontificem ratione primatus jurisdictionis, quo præest universæ Ecclesiæ, pertinere jus convocandi concilia generalia, dubitari minime potest; ut enim inquiebat Pelagius II. in epist. VIII. *generalium Synodorum convocandarum auctoritas Apostolicæ Sedi Beati Petri singulari privilegio tradita est, & nulla unquam Synodus rata legitur, quæ Apostolica auctoritate non fuerit fulta.* Et paulo post: *Multis apostolicis, & canonicis, atque ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis concilia celebrari.* (Vid. nova Collectio Concil. Mansiana Tomo IX. pag. 900.) Sed de hoc inconcusso Roman. Pontificum jure modo disputare necesse non est. Solum de facto historico quæstio instituitur; an scilicet Nicæna Synodus fuerit a Rom. Pontifice Sylvestro convocata. Launojus id negat, cui etiam nonnulli alii ex catholicis assentiuntur (a). Negant multo magis Heterodoxi, ac præcipue Samuel Basnagius in *Annalibus politico-ecclesiasticis* ad ann. 325. num. 10. Contra hos sit

PROPOSITIO.

Nullo certo argumento evinci potest, Concilium I. Nicænum fuisse a Constantino Augusto congregatum inconsulto Romano Pontifice Sylvestro.

2. Prob. primo. Licet nullus ex Scriptoribus coævis aperte tradat, Constantinum Augustum, priusquam Episcopos ex universo orbe ad Synodum Nicænam convocaret, S. Sylvestrum Rom. Pontificem consuluisse: non est tamen credibile, id fuisse a religiosissimo Principe prætermissum, cum in longe minore causa judicium ad Melchiadem Rom. Pontificem transmiserit.

3. Sed præterea contrarium innuit non obscure Ruffinus, auctor fere coævus in sua *Hist. Eccl.* capit. 1. ubi de Constantino loquens ait: *Tum ille ex Sacerdotum sententia apud Urbem Nicæam Episcopale Concilium convocat.* Porro verisimile non est, fuisse a Constantino requisitam aliorum Episcoporum sententiam, non autem illorum Principis, totiusque Ecclesiæ Primatis Rom. Pontificis.

4. Clarius autem, & sine ulla dubitatione id testati sunt Patres Synodi IV. generalis in Sermone *prosphonetico*, seu in acclamatione, inquientes: *Arius divisor, & partitor Trinitatis insurgebat, & continuo Constantinus semper Augustus, & Sylvester laudabilis magnam, atque insignem in Nicæa synodum congregabant.* Et quamvis hoc ab illo solum dictum sit, qui orationem recitabat, ut acute Launojus objicit, non est tamen verisimile, oratorem illum in amplissimo tot, ac tantorum Ecclesiæ Præsidum consessu voluisse tam apertum mendacium obtrudere.

5. Demum Gregorius Papa ita olim Leoni Isaurico Græcorum Imperatori scribebat; *Constantinus magnus, Theodosius magnus ... cum Pontificibus uno consilio ac sententia synodos congregantes, atque veritatem dogmatum perquirentes sanctas ecclesias constituerunt, & ornarunt.*

6. Obj. 1. Euseb. (Lib. III. *de vita Constantini* cap. 6.), Socrates (Lib. I. *Hist. Eccl.* c. 8. & *de vita Jacobi Nisibeni*), Theodoretus (Lib. I. *Hist. Eccl.* cap. 7.); Gelasius Cizicenus (Lib. II. *de Actis Nicæn.*), Nicephorus (Lib. VIII. cap. 14.), S. Epiphanius (*Hæresi* 69.), aliique quamplurimi, imo pene omnes antiqui scriptores Concilium Nicænum a Constantino Augusto convocatum scribunt, nulla Rom. Pontificis Sylvestri facta mentione. Patres ipsi Nicæni in epist. Synodica ad Ecclesiam Alexandrinam (apud Theodoretum Lib. I. *Hist. Eccl.* cap. 9.) ita loquuntur: *Quoniam Deo Opt. Max., eique carissimo Principe Constantino nos ex diversis civitatibus ac provinciis congregante, sacra, & magna Synodus Nicææ celebrata est* &c. Si autem Rom. Pontifex Sylvester nutu suo concilium celebrandum decrevisset, cur historici altum habent de eo silentium? Cur saltem Patres non dixerunt: *Sylvestri voluntate* &c.

7. Resp. Non inepte a Scriptoribus ecclesiasticis, imo ab ipsis Episcopis Synodum Nicænam a Constantino Augusto congregatam dici, non quasi eam auctoritate propria indixerit, aut indicere potuerit, Sylvestro Romano Pontifice inconsulto; sed pluribus aliis de causis. Primo, quia, ut Eusebius narrat, Episcopos undique per litteras honorificas ad Concilium invitandos curavit. Secundo, quia multum subsidii eis contulit, dum nonnullis fecit potestatem equis publice ad iter celeriter peragendum dispositis utendi, aliis autem instrata jumenta, quibus veherentur, suppeditavit. Tertio, Nicænam urbem, quæ commodissima erat, ad concilium concessit. Quarto, omnibus annonam copiosam quotidie præberi mandavit. Demum omni

(a) Ita Launojus Lib. VI. *Epistol.* epist. 1. ad Lud. Habertum Molmorinum. Natalis etiam Alexander consentit Dissert. XI. in Sæc. IV., ubi tamen addit, *inferri ex hoc non posse, auctoritatem convocandi concilia œcumenica non pertinere ad Rom. Pontificem.*

mni modo concilii celebrationem promovit, quod absque regio sumptu vix, ac ne vix quidem celebrari potuisset.

8. Quod vero laudati scriptores solius Imperatoris Constantini, nullatenus vero Romani Pontificis meminerint, non probat, absque hujus nutu fuisse Concilium convocatum. Exemplum simile habemus in Synodo Sardicensi, quæ profitetur, *se a religiosissimis Principibus* (Constante, & Constantio) *convocatam* (in epistol. Synod.); & tamen ex historicis monumentis constat, eam fuisse a Julio Romano Pontifice indictam. *Scripsit Julius*, inquit Sanct. Athanasius in epist. *ad Solitarios*, *oportere fieri Synodum*. Alterum exemplum etiam luculentius habetur in Synodo VIII. œcumenica (anno 869.) Constantinopoli celebrata. In ea enim Vicarii Orientalium Sedium dixerunt: *Scitis, quod in præteritis temporibus erant Imperatores, qui congregabant Synodos ... quorum more & Dei cultor Imperator noster* (Basilius) *universalem hanc Synodum fecit*. At vero certo certius est, eam nonnisi jubente Adriano II. Romano Pontif. fuisse coactam. Habetur in Collect. Conciliorum (Tom. VIII. pag. 982.) exemplar epistolæ ipsius Adriani ad Basilium Imperat., quæ etiam lecta fuit Actione I. ejusdem Synodi, in qua sic Pontifex pro sua auctoritate loquitur: *Volumus ergo per vestram pietatis industriam illic* (Constantinopoli) *numerosum celebrari concilium*. Et Legati apostolici ejusdem Concilii præsides Donatus Ostiensis, & Stephanus Nepesinus Episcopi ita pariter loquuntur: *Pissimus, & Christianissimus Imperator prædecessorum suorum secutus exempla, transmisit Legatos suos nobilissimos viros Romam, ut Synodum postularent*. Non absimili itaque modo dum Constantinus Synodum Nicænam coegisse dicitur, non est credendum, id absque Rom. Pontificis nutu fuisse factum.

9. Cur autem veteres Scriptores nullam Rom. Pontificis fecerint mentionem, nostrum non est divinare: fortasse quod omnibus jam notum esset, nonnisi Rom. Pontificis auctoritate posse generales Synodos celebrari; ut enim ajebat Pelagius II. (epist. VIII. ad Episcopos Synodi Constantinopol.), *generalium Synodorum convocandarum auctoritas apostolicæ Sedi B. Petri singulari privilegio tradita est*; & omnibus pariter notum erat, quotquot usque ad ea tempora celebrata fuerant Concilia, omnia Ecclesiastica Episcoporum auctoritate fuisse celebrata. Supervacaneum igitur fortasse existimatum est, ejus rei mentionem fieri, quæ omnibus compertissima esse debebat. Non autem omnibus notum erat, qua pietate, & libertate Constantinus Augustus Synodi celebrationem procuraverit; unde necesse fuit, tum præsentibus, tum etiam posteris id expresse significare.

10. Ceterum, sin minus aperte, aliqua saltem ratione a nonnullis indicatum fuit, Constantinum, non sua, sed Ecclesiæ auctoritate Concilium indixisse. Ruffinus enim supra memoratus numer. 3. inquit de Constantino: *tum ille ex Sacerdotum sententia apud urbem Nicæam episcopale Concilium convocat*. Cumque omnibus Sacerdotibus longe superemineret Roman. Pontifex, quis non intelligat, hujus sententiam primo expetitam, atque auditam fuisse? Gelasius etiam Cizicenus Lib. II. cap. 12. inquit: *Sancta, & magna, & generalis Synodus Sanctorum Patrum Nicææ congregatorum per beatum & sanctum Osium congregata est*. Osius autem, ut infra probabimus, erat Sancti Sylvestri Romani Pontificis legatus; ut proinde inconsulto Rom. Pontifice id ab Osio fieri nullatenus potuerit.

11. Instat Sam. Basnagius. Ruffini verba intelligenda sunt non de Romano Pontifice, sed de aliis Episcopis, qui Constantino persuaserunt, ut ad restituendam Ecclesiæ pacem per Arianos turbatam Generale Concilium congregaret. Id luculenter indicavit S. Epiphanius Lib. II. *contra hæreses* cap. 68. inquiens, Constantinum Alexandri Sanctissimi Alexandrini Episcopi *studio & hortatu* synodum convocasse.

12. Resp. quomodocumque verba illa intelligantur, semper sequi, nonnisi annuentibus primis Sacerdotibus, & præcipue Rom. Pontifice, omnium principe, & capite, fuisse synodum convocatam. Nec certe credibile est, Osium, Alexandrum, ceterosque Ecclesiæ Præsules, qui Constantinum ad Synodum convocandam hortabantur, voluisse ei suadere, ut propria auctoritate, & inconsulto Rom. Pontifice in causa omnium gravissima universale Concilium cogeret. Præcipue cum notum sit, statim ac erumpere cœpit Ariana hæresis, Alexandrum pro debita reverentia erga Apostolicam Sedem, de tota re certiorem fecisse S. Sylvestrum Rom. Pontificem. *Manent Litteræ*, inquiebat Liberius S. Sylvestri successor in epist. ad Constantium, *Alexandri Episcopi olim ad Sylvestrum sanctæ memoriæ destinatæ, quibus significat, undecim tam presbyteros, quam etiam diaconos, quod Arii hæresim sequerentur, se Ecclesia ejecisse*.

13. Sed adhuc moleste inquirit Basnagius, quare Sylvester ipse epistolas convocatorias ad Episcopos non misit; & quare saltem in epistolis Constantini indigitatum non fuit, hanc convocationem nomine atque auctoritate Roman. Pontificis fieri.

14. Resp. haud facile esse, veras reddere caussas eorum, quæ antiquitus gesta sunt: nihil tamen refert, epistolas ab Imperatore fuisse ad convocandos Episcopos transmissas, dummodo id non absque consensu Romani Pontificis factum sit. Fortasse id negotii Imperatori permissum est, tum quod facilius illi fuerit publicis tabellariis Episcopos invitare; tum potissimum ut Augusti pietas, ex qua maximum religioni Christianæ decus, atque emolumentum accedebat, omnibus innotesceret. Quid vero in iis litteris contineretur, adver-

sa-

sariis divinandum relinquimus. Nos ex Eusebio tantummodo discimus, eas fuisse *perhonorificas*.

15. Obj. ult. ex Basnagio. Constantino satis temporis non fuit, ad consulendum Romanum Pontificem de Synodi Nicænæ convocatione. Neque enim Constantinus de Synodo celebranda cogitare cœpit, nisi postquam Osius, qui ad Arii hæresim supprimendam Alexandriam missus fuerat, re infecta reversus est, ut Sozomenus refert Lib. I. *Hist. Eccl.* cap. 17. Porro Osius nonnisi mense Sept. anni 324. dimissus fuit cum litteris Constantini ad Arium, & Alexandrum. Aliquid temporis insumendum illi fuit in hoc negotio pertractando, atque in Alexandrina Synodo celebranda. Cum itaque Nicæna Synodus indicta fuerit ad XIII. Kal. Junias anni 325. tempus certe Constantino non suppetebat, Romanum Pontificem prius consulendi, deinde epistolas ad omnes Episcopos mittendi.

16. Resp. haud certo definiri posse tempus, quo Osius cum litteris ad Alexandrum, & Arium a Constantino Augusto dimissus est, & Alexandrinam Synodum celebravit. Epistolam a Constantino scriptam fuisse anno 325. jam labente, vel 324. vix incepto, & eum ea Osium dimissum putat cl. Tillemontius (Tom. VI. art. 10. de Sancto Alexandro pag. 229.); ac proinde Synodi Alexandrinæ celebrationem non esse differendam ultra medietatem anni 324.; qua posita celeberrimi viri sententia, totum ruit a fundamentis adversariorum argumentum.

17. Sed dices, hanc Tillemontii sententiam minus esse verosimilem. Siquidem certo scimus, nonnisi anno 324. Licinianum bellum fuisse profligatum, victoria a Constantino reportata die 18. Septembris. Cum itaque litteræ ab Imperat. Constantino ad Alexandrum ex Urbe Nicomedia scriptæ sint, ut patet ex Eusebio Lib. II. *de Vita Constantini* c. 72., non potuerunt ante hoc tempus scribi: Nicomedia enim erat in ditione Licinii. Bellum autem Licinianum confectum fuisse anno 324., probatur ex Idatio scriptore Sæculi V., Gregorio Cedreno Monacho, qui floruit Sæc. XI., & aliis.

18. Resp. Hic rursus novam occurrere quæstionem chronologicam, quæ non ita facile definiri potest, cum variæ, & discrepantes sint cum veterum, tum recentiorum sententiæ. Baronius putat jam anno 318. fuisse bellum Licinianum confectum. Chronicon Alexandrinum, cui adhæret anonymus Valesianus, innuit, nonnisi anno 325. fuisse Licinium purpura exutum, quæ duæ sententiæ nimis a vero aberrant. Tillemontius vero (Tom. IV. *Hist. des Empereurs* nota 43. in Constantinum) se probasse confidit, anno 323. mense Septembri postremam, & fatalem Licinii cladem prope Chalcedonem contigisse.

19. Hujus autem suæ opinionis hæc affert Tillemontius argumenta. Primo Aurelius Victor de Cæsaribus dicit, rupta pace Licinium apud Thraeas pulsum Chalcedonem concessisse, sexennio postquam Constantini, & Licinii mutuo consensu Crispus, Constantinus, & Licinianus communes filii Cæsares creati fuerant. Cum itaque id contigerit anno 317., patet in annum 323. incidere decretoriam pugnam apud Chalcedonem. Secundo Victor junior in *Epitome* Licinio tribuit quindecim annos, & aliquot menses imperii; cum itaque anno 307. imperare cœperit, evincitur, anno 323. fuisse eum exutum imperio. Tertio nullus invenitur Licinii nummus, qui decimumquintum ejus imperii annum egrediatur. Quarto Sanctus Hieronymus in *Chronico* & eladem, & mortem Licinii collocat in anno 323. Demum in codice Theodosiano XI. Titulo XVI. lege 3. invenitur lex Constantini ad Chalcedonenses data die 24. Aprilis Crispo tertio Consule, hoc est anno 324.: ergo jam tunc Constantinus imperabat Chalcedone; quod fieri non posset, nisi anno superiore victus fuisset Licinius. Mitto aliam legem datam a Constantino die 16. Maji anno 324., in qua Licinium vocat *tyrannum*, ejusque leges scindit (*Cod. Th.* XV. tit. 14. pag. 404.); quare hæc nostra sententia doctissimo Gothofredo probata fuit. Papebrockius autem, in vita Sancti Athanasii cap. 2. num. 36., & Card. Norisius (*de numismate Liciniani Augusti* cap. 1.), eam se demonstrasse gloriantur.

20. Quæ autem ab adversariis afferuntur momenta ad probandum, anno 324. Liciniano bello fuisse finem impositum, non adeo gravia sunt, cum innitantur Cedreno, qui contra omnium fidem bellum inter Licinium, & Constantinum octodecim mensibus perdurasse scribit; & Idatio, qui teste cl. Pagio, res anno non suo nonnunquam refert (licet hac in causa Pagius ipsi Idatio adhæreat). Cum itaque incertissimum sit, sin minus aperte falsum, nonnisi anno 324. mense Septembri potuisse Osium cum litteris ad Alexandrum, atque Arium dimitti, non video quomodo adversarii quasi confecto negotio se demonstrasse glorientur, tempus non suppetiisse Constantino, ad consulendum Sylvestrum Rom. Pontif. de Synodo generali convocanda.

21. Ad hæc laud. doctissimus Pagius (ad annum 318. num. 6.) existimat, etiamsi veredarii nonnisi mense Martio anni 325. per omnes provincias missi fuissent ad Episcopos convocandos, potuisse tamen eos ab ultimis tum Orientis, tum Occidentis partibus ante mensem Julium in Bythiniam non incommode pervenire. Quare licet nonnisi in autumno anni 324. Synodus Alexandrina celebrata fuisset, tempus adhuc suppetebat Constantino, quo commodissime posset Roman. Pontificem consulere de Synodo celebranda, eamque pro mense Junio anni 325. indicere; præcipue cum referente Eusebio, Episcopis facta fuerit potestas, equis publice dispositis ad iter celerius peragendum utendi.

22. Tandem a vero non abhorret sententia Baronii putantis, Osium tamquam Apostolicæ Sedis le-

legatum fuisse apud Imperatorem commoratum; ut res ad religionem spectantes cum eodem curaret. Quod si verum est, potuit etiam Osius nomine Pontificis cum Imperatore agere de Concilio Generali in causa Arii convocando. Sane Osium Nicaenae Synodo nomine Pontificis praefuisse novimus; nec tamen constat, fuisse ante Synodi celebrationem hanc illi provinciam demandatam. Non est itaque inverisimile hac legationis dignitate ornatum in aula Imperatoris fuisse commoratum.

CAPUT II.

De Nicaenae Synodi Praesidibus.

23. Perdifficilem ingredimur quaestionem, in qua cum iisdem fere hostibus conferendae sunt manus, quibuscum superiori capite pugnavimus, & praesertim cum Joanne Launojo Lib. VIII. *Epist.* 1. & sequ., cum Edmundo Richerio, aliisque negantibus, aliquem nomine Romani Pontificis Synodo Nicaenae praefuisse. Digladiantur tamen ii ipsi inter se, ubi determinandus est illius Concilii Praeses. Aliqui Eustathio Antiocheno Episcopo primas deferunt, ut Basnagius (in *Annal.* ad ann. 325.), & Blondellus (*de la primauté de l'Eglise* p. 1195.). Alii Alexandro Episcopo Alexandrino. Quidam Osio Cordubensi, non tamen nomine Rom. Pontificis, sed sorte, vel electione, ut loquitor auctor Gallicus, *Vitarum Pontificum* (in Sylvestro Tom. I.), vel, ut non ita pridem Jo. Petrus Gibert (in *Prolegom. ad Corpus Juris Canon.* P. I. tit. 15. Sect. 27.), *per electionem Concilii cum beneplacito Imperatoris*. Hornius, & Richerius (in *Hist. Conc. Gener.* Lib. I. num. 2.) Constantino ipsi Augusto hanc dignitatem conferunt. Etiam Christ. Wilhelmus Walchius (in sua *Histor. Concil.* Germanice edita Lipsiae 1759.) definiri certo non posse censet, quis Concilio illi praefuerit; probabilius tamen putat, neminem praefuisse praeter ipsum Imperatorem.

24. Nos sin minus inconcussis momentis, probabilius saltem conjectnris innixi credimus, Nicaenae Synodo nomine S. Sylvestri Rom. Pontificis praefuisse Osium Cordubensem Episcopum, & duos Presbyteros Vitonem, & Vincentium; nullatenus vero Alexandrum Alexandrinum, aut Eustathium Antiochenum, multoque minus ipsum Constantinum Imperatorem.

25. Et primo aliquem nomine Rom. Pontificis Nicaenae Synodo praefuisse, apertissime liquet ex testimonio Patrum Synodi Constantinopolitanae II. seu quintae oecumenicae celebratae an. 552. qui fassi sunt, primis quatuor Conciliis Romanos Pontifices per suos Legatos praefuisse. Ita enim Roman. Pontificem Vigilium alloquuntur in fidei professione: *Quatuor Sanctas Synodos, Nicaenam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam .... & Chalcedonensem suscipimus ... in quibus juxta tempora sua Praedecessores Sanctitatis vestrae Beatissimi Papae Seniores Romae ipsis Synodis praesederunt*. Hoc idem testantur Gelasius Cizicenus (Lib. II. *Histor. Concil. Nicaeni* cap. 5.), Adrianus Papa (in *Epitome*, vel *Collectione Canonum* oblata Carolo Magno), Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis (in *Opusc.* contra Hincmarum Laudunensem cap. 20.), Gregorius VII. (in *Apologetic.* c. 3.), aliique apud Natalem Alexandrum (in Dissert. XII. in Saec. IV.).

26. Neque deest hujus rei antiquius testimonium, quo ostendatur, Osium Cordubensem, & Vitum, ac Vincentium Synodo praesedisse. Nam in fragmento *libelli Synodici* S. Athanasii, quod nobis conservavit Socrates (Lib. I. *Hist. Eccl.* cap. 13.) nomina praecipuorum Antistitum, qui Niceno Concilio interfuerunt, hoc ordine recensentur: *Osius Episcopus Cordubae Hispaniae, ita credo, ut superius scriptum est, Vitus, & Vincentius Presbyteri Urbis Romae, Alexander Episcopus Aegypti, Eustathius magnae Antiochiae, Jerosolymarum Macarius, Harpocratio Cynopoleos, & reliqui, quorum nomina in libro Athanasii Episcopi Alexandrini, qui Synodicus inscribitur, plenissime digesta sunt*. Jam vero quaenam alia ratio esse poterat, ut Osius non insignis sedis antistes, & duo Romani Presbyteri ceteris anteponerentur, nisi quia toti Synodo praesidebant? Et si praesidebant, non utique eorum personis, sed solum personae, quam gerebant, Romani Pontificis id tribui potuit.

27. Objic. primo contra praesidentiam Osii. In subscriptione Osii nullum est vestigium Pontificiae ejus legationis; cum tamen Vitus, & Vincentius ita subscripserint: *Victor* (seu Vito), *& Vincentius Presbyteri Urbis Romae pro Venerabili viro Papa, & Episcopo nostro Sancto Sylvestro ita subscripsimus* (Tomo II. *novae Concil. Collectionis* pag. 64.). Secundo Libellus Synodicus Osium non memorat, nisi sexto loco. *Praesederunt*, inquit, *Vito, & Vincentius Presbyteri, Alexander, Macarius, Eustathius vice Merophanis Constantinopolitani, Alexander Presbyter, Osius &c.* Tertio Julius, qui Sylvestro post Marcum in Sede Apostolica successit, in epistola ad Orientales de Marcelli Ancyrani fide haec habet: *Eadem cum pietate, qua Ecclesia, de Domino, ac Salvatore sentire se confirmabat, uti & nostri Presbyteri, qui tunc in Concilio Nicaeno aderant, de ipsius recta fide contestabantur*. Certe non praetermisisset Julius testimonium Osii, quod venerabilius erat, si ipse tamquam Pontificiae Sedis Legatus Concilio praefuisset. Quarto primus, qui Osii praesidentiae meminit, est Gelasius Cizicenus Saeculi V. auctor. Sed nullam is fidem meretur; tum quod id se ex Eusebio hausisse scribat, quod tamen in Eusebio minime reperitur; tum quod in crassissimos alios errores impegerit; ut cum Ruffinum Presbyterum Romanum facit,

&

& unum ex Nicæni Concilii Patribus; cum tamen extra dubium sit, fuisse eum Aquilejensem, & in cunis vagisse tempore Concilii Nicæni.

28. Resp., tria priora argumenta esse negativa, nec silentium eorum, qui Osium ut Synodi Nicænæ præsidem non memorant, aliorum fidem elevare posse, qui Osium Synodo illi nomine Romani Pontificis præfuisse asserunt. Et sane quo titulo ille præsidere poterat? Quod enim aliqui dicunt, sorte, vel electione id factum fuisse, merum commentum est, quod nullo prorsus fulcitur antiquitatis monumento. Quod autem Launojus addit, ob meritorum præstantiam fuisse Osio hanc dignitatem collatam, pura est divinatio, & parum etiam credibilis, cum plurimi alii Concilio adessent, sive laboribus exantlatis, sive etiam confessionis gloria certe Osio non secundi, Sedis vero dignitate multo superiores. Nec facile alii Episcopi Orientales Hispanum sibi præferri passi essent: & præcipue Eusebius Nicomediensis hinc ansam arripere novas turbas excitandi non prætermisisset; de quibus tamen altum est apud Auctores coævos silentium.

29. Quod vero Osius in subscriptione non explicet, se Romani Pontificis legatione fungi, parum interest: nam ipsa subscriptio primo loco, & ante omnes alios facta id satis indicat. Neque obest exemplum Vitonis, & Vincentii; isti enim cum non essent Episcopi, sed tantum Presbyteri, rationem exprimere debebant, cur inter Episcopos, imo ante alios Episcopos suum nomen apponerent.

30. Libellus Synodicus non multæ est apud eruditos auctoritatis, nec potest aliis certioribus monumentis vim detrahere.

31. Julius tandem Roman. Pontifex potius testimonium duorum Presbyterorum suæ Ecclesiæ laudavit, quia erant in Urbe præsentes: Osium qui longe aberat, prætermittere potuit.

32. Postremæ objectionis parti resp., falli eos, qui cum Tillemontio putant, Gelasium Cizicenum primum esse, qui prostasiæ Osii mentionem fecerit; nam S. Athanasius, ut mox vidimus, satis luculenter eam indigitat, dum Osio primum inter Nicænos Patres locum tribuit. Licet autem in plerisque offenderit Gelasius, non est tamen ejus auctoritas omnino contemnenda, etiam quando vetustioribus fide dignis testimoniis corroboratur.

33. Quantum vero ad id, quod Gelasius testatur, se hanc historiam ex Eusebio hausisse, fatendum est, diversam esse utriusque scriptoris narrationem, ut patet conferenti Gelasii testimonium (Lib. II. cap. 5.) cum iis, quæ habet Eusebius Lib. III. *de Vita Constantini* cap. 7. Verum illustrissim. Petrus de Marca (Lib. V. *de Concordia Sacerdotii*, & *Imperii* cap. 2.), & ante ipsum Petrus Morinus (Lib. I. exercit. 20.) suspicatus est, textum Eusebii, quem nunc habemus, esse corruptum, & mutilum, ac legendum esse, quemadmodum a Gelasio refertur, scilicet: *ipse ex Hispania valde celebratus Osius obtinens locum magnæ Romæ Episcopi Sylvestri, cum Presbyteris Romæ Vitone, & Vincentio cum pluribus aliis considebat*. Certe periocha Eusebii, quæ modo legitur, nonnihil implexa videtur: *Ab ipsa quoque Hispania vir ille multo omnium sermone celebratus una cum reliquis aliis consedit. Aberat quidem regiæ urbis antistes ob senilem ætatem, sed præsto erant Presbyteri, qui vices ejus implerent*; ubi primo verisimile non est, omissum fuisse ab Eusebio nomen Osii celebratissimi etiam apud græcos Episcopi: deinde absentiam regiæ urbis Antistitis ita obscure ab eodem Eusebio indicatam, ut incompertum sit apud eruditos, an nomine *regiæ urbis* Roma, vel Bysantium intelligatur (a). Verum utut hæc sint, parum sumus de Gelasii auctoritate solliciti, qua etiam ruente non ruit nostra sententia, quæ firmioribus nititur fundamentis.

34. Objic. secundo contra aliam propositionis partem. Vitonem, & Vincentium Synodo interfuisse, omnes Historici tradunt; præfuisse, nemo memorat, non Eusebius, non Theodoretus, non Socrates, non Sozomenus; sed neque etiam Julius Romanus Pontifex in testimonio superius num. 27. laudato. Præterea Sozomenus recensens primarum Sedium antistites ultimo loco Romanum Pontificem nominat, qui per Vitonem, & Vincentium Concilio adfuit; ultimum ergo locum isti occuparunt.

35. Resp. Quando Historici testantur, Vitonem, & Vincentium nomine Romani Pontificis interfuisse, ut Eusebius Lib. III. *de Vita Constantini* cap. 7., & Theodoretus Lib. I. *Hist. Eccles.* cap. 7., hoc ipso satis innuunt, eosdem locum Romani Pontificis tenuisse, adeoque Synodo præfuisse. Nam S. Leo in epist. 72. ad Synodum Chalcedon. scribens, cum dixisset, se non posse eidem Synodo præsentiam suam exhibere, ita subdit: *tamen in his fratribus Paschasino, & Lucentio Episcopis, Bonifacio, & Basilio Presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo vestra fraternitas existimet præsidere*. Quinimo id in quatuor primis œcumenicis Conciliis servatum fuisse, inquit Justinianus in *Novella* 131. inquiens: *Ut secundum quatuor Sancta Concilia Papa antiquæ Romæ sit omnium primus*. Et sexcenta alia proferri possunt hujus generis testimonia, ut evincatur, a primis usque Ecclesiæ temporibus, fuisse Legatis Rom. Pontificis primum præsidendi locum in Conciliis concessum.

36.

(a) Valesius quidem putat, nullo modo potuisse iis verbis Bysantium designari, cum tempore Concilii Nicæni nondum fuerit *regiæ urbis* titulo decoratum. Sed Baluzius in observation. ad laud. superius locum Petri de Marca Valesio reponit, vitam Constantini fuisse ab Eusebio post imperatoris mortem, & post dedicatam Constantinopolim conscriptam.

36. Sozomenus autem nobis potius favet; nam ordine inverso primarias Sedes ibi recenset, scilicet primo Jerosolymitanam, deinde Antiochenam, postea Alexandrinam, postremo Romanam, hoc ipso indigitans, Romæ primum locum deberi.

37. Obj. tertio probando, Eustathium Antiochenum præfuisse Concilio Nicæno. Primo Theodoretus Lib. I. *Histor. Eccles.* cap. 7. hæc habet: *Statim magnus Eustathius primum omnium Imperatori panegyricum dixit;* quod utique Præsidis munus erat. Secundo Synodus Orientis Proclo Constantinopolitano pro Theodoro scribens, & Eustathium memorans ait: *qui S. Patrum, qui apud Nicæam congregati sunt, primus existens, fidem orthodoxam confirmavit*. Tertio Felix III. (in epist. V. ad Zenonem Imperator.) *Eustathii*, inquit, *Confessoris, & præsidis* 318. *Patrum, qui in Nicæa convenerant*. Quarto Facundus Hermianensis (Lib. XI. cap. 1.) Eustathium vocat *primum* in Concilio Nicæno. Quinto S. Hieronymus (epist. 63. ad Evagrium seu potius ad Evangelum) dicit, Eustathium *primum contra Arium clarissima tuba bellum cecinisse;* quod non alia ratione potest intelligi, nisi quia Concilio Nicæno præsedit. Sexto Nicephorus (in *Chronologia*) eum appellat *caput* Episcoporum Nicææ congregatorum. Postremo Eusebius (Lib. III. *de vita Constantini* cap. 11.) refert, eum, qui in dextro ordine primam sedem occupabat, perbrevi oratione Imperatorem fuisse allocutum; hic autem, ut ex Theodoreto colligitur (Lib. I. *Hist. Eccl.* cap. 7.) Eustathius erat, qui proinde primum, ut Concilii præses, occupabat locum.

38. Respond. primo, haud immerito dubitari posse, an Eustathius panegyricum Imperatori dixerit. Nicætas enim (in *Thesauro orthodoxæ fidei* Lib. V. cap. 7.) hanc orationem panegyricam Alexandro tribuit; Sozomenus autem (Lib. I. *Hist. Eccl.* cap. 19.) Eusebio. Sed quicumque fuerit panegyrista Imperatoris, non potest propter hoc munus vocari Concilii præses.

39. Majus certe negotium prima fronte facessunt testimonia Synodi Orientis, Felicis III., Facundi, Hieronymi, & Nicephori; quibus tamen respondemus, Eustathium minus *proprie* fuisse appellatum omnium Episcoporum *primum*, *caput*, aut *præsidem;* scilicet non jure primæ sedis, nec auctoritate præsidis, sed doctrinæ profunditate, sententiarum gravitate, verborum eloquentia, & mira in rebus explicandis venustate; quibus dotibus, ut inquit Sozomenus (Lib. II. *Hist. Eccl.* cap. 19.), aliis præeminebat. Ampliore etiam significatione nedum ipse, sed etiam Episcopi Jerosolymitanus, & Alexandrinus *Concilii præsides* appellati sunt, quatenus isti omnes digniorem occupabant locum, ceterisque Episcopis, sin minus auctoritate, saltem dignitate suarum sedium præcellebant.

40. Quod vero spectat ad locum Eustathii, quidam putant, primis temporibus lævam partem dextera honorabiliorem fuisse; quorum tamen sententiam doctissimus P. Thomas Mamachius (in Tomo V. *Originum*, & *antiquitat. Christian.* Lib. IV. cap. 2. §. 3.) multa eruditione refellit. Melius itaque videtur respondendum, Eustathium fuisse primum in dextro ordine, habita ratione ingredientium in aulam; quo fit, ut Constantino postea in medio Episcoporum sedente, non amplius in nobiliore loco, sed ad lævam ejusdem Imperatoris remaneret. Hoc eodem modo Joannes Pontifex Romanus a Theodorico Rege Ariano Constantinopolim missus sinistram partem templi occupavit, & in Concilio Ferrariensi Pontifici data est ea templi pars, quæ ingredientibus læva esset, Imperatori vero dextera. Et tandem, ut plurima alia exempla omittam, in Concilio Chalcedonensi Actione I. habetur, eadem ratione in læva sedisse Vicarios Leonis Papæ, ad dexteram Dioscorum Episcopum Alexandrinum, qui proxime damnandus erat.

41. Obj. quarto. Præses Concilii Nicæni fuit Alexander Constantinopolitanus, vel alter Alexander Episcopus Alexandrinus. De primo id testatur Photius (*De septem Synodis œcumenicis ad Mich. Bulgariæ Principem*). De secundo autem in epist. Synodica ad Ecclesiam Alexandrinam dicitur: *qui rebus decisis cum præfuerit, ac communicaverit* &c.

42. Resp. ad primum. Photium auctorem Sæculi IX. in historia Concilii Nicæni se plane hospitem ostendere, cum illud usque ad tempora Julii Pontificis proroget, omnibus enim certum, exploratumque est, illud sub Sylvestro anno 325. mense sextili fuisse absolutum. Addo, incertum esse, num Alexander Constantinopolit. Episcopus Concilio adfuerit. (Vide Baluzium supra laud. in not. ad num. 33.)

43. Ad secundum resp. primo, si textus græcus consulatur, nihil inveniri, unde probetur, Alexandrum Concilio præfuisse; ita enim appellatur Alexander κύριος, ᾗ κοινωνὸς τῶν γεγενημένων τυγχάνων (apud Socratem Lib. I. *Hist. Eccl.* c. 9.) hoc est, ut Simundus, & Valesius græce doctissimi vertunt: *qui gestorum auctor, & particeps existens*. Sed etiamsi Christophori versio admittatur, nonnisi in latiori sensu intelligi poterit, Alexandrum præsidem Concilii fuisse; namque constat, in eadem epistola Synodica a Patribus Nicænis vocari Alexandrum, non præsidem, sed collegam. *Si quid autem*, inquiunt, *præterea præsente Domino, & carissimo collega, & fratre nostro Alexandro sancitum, & definitum est, id ipse nobis accuratius refert*.

44. Obj. ultimo pro Constantino & Hornio. Episcopi omnes Constantino controversias suas definiendas obtulerunt. Præterea gravem ad Patres ipse allocutionem habuit, normam præscribens eorum, quæ disputanda erant. Tertio Accesium Nova-

vatianum Episcopum de sua fide examinavit, eumque ad Ecclesiæ sinum revocare curavit. Quarto epistolas ad Alexandrinam Ecclesiam, atque ad universum orbis populum transmisit, omnibus ea nota faciens, quæ in Concilio gesta, & definita fuerant. Quinto ab Ario suæ confessionis libellum accepit. Sexto (addit Richerius) Constantinus vocatur ab Eusebio veluti *communis Episcopus*, qui, ut pacem Ecclesiis redderet, ac disciplinam ecclesiasticam sanciret, Episcopos convocavit, & in eorum consessu sententiam dixit; tum *confirmans*, *& sanciens*, *quæ a Synodo decreta* fuerant, aliaque præstans, quæ nonnisi a Concilii præside fieri decebat; ut videre est apud Eusebium Lib. III. *de vita Constantini*. Demum hoc totum confirmatur ex Gratiano II. P. *Decreti* Causa XI. quæst. 1. cap. 5., & Causa XII. q. 1. cap. 15., ubi duæ leges afferuntur, in quibus dicitur: *Constantinus Imperator præsidens in sancta Nicæna Synodo*.

45. Resp. primo negari haud posse, Constantinum, plusquam fortasse Imperatorem decebat, se rebus ecclesiasticis immiscuisse; atque in hoc multo laudabiliorem se præbuisse Valentinianum seniorem, qui catholicis Episcopis orantibus, ut sibi conveniendi in unum, ad decernendam doctrinam fidei potestas fieret, benigne annuens ita respondit: *Mihi quidem in Laicorum ordine constituto fas non est, hujusmodi negotia curiosius scrutari. Sacerdotes vero*, *quibus id curæ est*, *seorsim ubicumque voluerint*, *conveniant* (apud Sozomenum Lib. VI. *Hist. Eccl.* c. 7.) Sed id primis illis temporibus dandum est, in quibus ex quadam œconomia, *Ecclesiæ negotia ex Imperatorum nutu pendere videbantur*, ut inquit Socrates in proœmio Libri V. *Hist. Eccl.* Ceterum utut fortasse Constantinus nimio religionis zelo abreptus laicalis potestatis confinia nonnunquam prætergressus sit, non tamen se Concilii Nicæni præsidem fecit.

46. Ac primo quidem Constantinus ipse falsus est, sibi minime datum fuisse da causis Episcoporum judicare; quamobrem Ruffino teste Lib. I. *Hist. Eccl.* cap. 2. omnes eorum libellos sibi oblatos comburi jussit, dicens: *Deus constituit vos Sacerdotes*, *& potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi*; *& ideo nos a vobis judicamur*, *vos autem non potestis ab hominibus judicari*.

47. Ad secundum dico, Constantinum fuisse Episcopos allocutum non præsidis auctoritate, sed reverentia filii; quare etiam referentibus Eusebio (Lib. III. *de vita Constantini* cap. 10.), & Theodoreto (Lib. I. *Hist. Eccl.* capit. 7.), non prius resedit, quam hoc sibi permitti ab Episcopis postulasset. Neque verum est, normam rerum tractandarum fuisse ab Imperatore præscriptam. Sed ille tantummodo omnes Ecclesiæ Præsules ad pacem, & concordiam majorem in modum cohortatus est.

48. Ad tertium. Falsum pariter est, quod Hornius asserit, fuisse a Constantino Acesium Novatianum publice de sua fide examinatum, sed, ut Socrates refert (Libro I. *Hist. Eccl.* cap. 10.), privatim ipsum est allocutus, post evulgatum jam Nicænum Symbolum, eumque ad communionem cum Catholicis ineundam maximopere est exhortatus. Quod ille renueret, causatus in Ecclesia esse peccatores, peracute Constantinus respondit: *Sume tibi scalam*, *Ascesi*, *& solus in cœlum ascende*.

49. Quæ quarto, & quinto loco objecta sunt, solum demonstrant sedulam Constantini curam, ut executioni ea mandarentur, quæ fuerant in Concilio sancita. Quare & impios Arii libros flammis addixit, & contumacem hæresiarcham una cum paucis ipsi adhærentibus Episcopis exilio mulctavit, ac demum omnibus negotiis confectis Episcopos cum muneribus ad suas Ecclesias dimisit. Quod si Arius confessionem suam Constantino obtulit, id fecit, ejusdem patrocinium implorans, non judicium; quamvis eam non tam Constantino, quam toti Concilio oblatam a nonnullis Episcopis Ario patrocinantibus, aperte Theodoretus innuit Libro I. *Histor. Eccles.* cap. 7.

50. Ad sextum resp., longe alium esse sensum verborum Eusebii ab eo, quem illi affingit Richerius. Nempe Eusebius Constantinum appellat *Episcopum communem*, eo sensu, quo Imperator ipse loquitor in epistola ad Ecclesias (apud Eusebium Lib. III. *de vita Constant.* cap. 17.) inquiens: *Me quoque*, *tanquam uno ex vobis præsente*, *neque enim negaverim id*, *quo maxime exulto*, *conservum me vestrum esse*. Sententiam autem dixit, non ut judex, sed tanquam arbiter. *Sententiam quoque*, inquit ibid. Eusebius cap. 23., *quam arbiter dixerat*, *per epistolam significavit* Ægyptiis, quorum discordias ut arbiter composuerat. Si autem verum est, sigillo suo confirmasse acta Concilii, id intelligi debet de cura, quam pro eorum, quæ decreta fuerant, executione suscepit; non quasi iisdem decretis necessariæ auctoritatis pondus addiderit. *Quandonam*, recte ajebat S. Athanasius in *Hist. Arianorum ad Monachos* n. 52., *Ecclesiæ decretum ab Imperatore accepit auctoritatem?*

51. Quæ postremo loco ex Gratiano Richerius affert, parum nos movent. Si enim eæ leges genuinæ sunt, intelligi debent non de præsidentia proprie sumpta, sed in lato sensu. Dixi: *Si genuinæ sunt*; nam secunda lex dicitur lata a Melchiade Papa, qui undecim jam annis obierat, antequam Nicæna Synodus celebraretur.

52. Antequam finem huic capiti imponamus, nonnulla observanda sunt. Primo *Chartam Niliacam*, quæ Nilo Episcopo Rhodiensi tribuitur, & in qua omnes Patriarchæ Orientales præsides Concilii fuisse dicuntur, exiguæ esse auctoritatis; in ea enim inter Patres Concilii Nicæni nonnulli Epi-

piscopi numerantur, qui nonnisi Sæculo VI. floruerunt (*a*).

53. Secundo epistolam Synodi ad Sylvestrum Rom. Pontificem pro ejusdem Concilii confirmatione esse supposititiam, ut Tillemontius demonstrat nota 4. in Conc. Nicænum.

54. Tertio Acta Concilii esse temporis injuria deperdita. Aliqui ea nec scripta fuisse putant, præter Symbolum. Vid. Tillemontius nota 24.

55. Quarto canones Nicænos non ubivis fuisse notos. Nam S. Augustinus epist. 213. alias 110. num. 4. dolet, se, vivente adhuc Valerio Episcopo Hipponensi, *fuisse ejusdem Ecclesiæ Episcopum ordinatum; quod Concilio Nicæno* (can. 8.) *prohibitum fuisse nesciebat, nec ipse* (Valerius) *sciebat*. Noluit propterea Eraclium in Episcopum, se vivente, ordinari, *nolens*, inquit, *quod in ipso reprehensum fuerat, in ejus filio reprehendi:* curavit ergo ipsum tantummodo pro successore suo designari.

CAPUT III.

De Synodo Sardicensi.

56. S. Athanasius Arianorum persecutionibus diu, multumque jactatus Romam se contulit, innocentiæ suæ patrocinium a Julio Romano Pontifice quæsiturus; ad quem etiam confugerant Asclepas Gazensis, & Marcellus Ancyranus. Nec frustra; Julius enim synodo in urbe habita Athanasii, aliorumque innocentiam probavit, atque irritas habuit Orientalium sententias contra eos, Rom. Pontifice inconsulto, latas. *An ignoratis*, inquiebat Pontifex in ep. ad Orientales, *hanc consuetudinem, ut primum nobis scribatur, ut hinc quod justum esset, definiri posset?*

57. Synodo Romanæ, utpote ex solis Occidentalibus conflatæ, Orientales parere recusarunt; quamobrem ab eodem Pontifice, & duobus Imperatoribus Constante, & Constantio, Synodus Sardicæ, quæ urbs est in Illyrio, congregata est anno 347. (*b*). Præsidebant nomine Rom. Pontificis Osius Cordubensis, Archidamus, & Philoxenus Presbyteri. Aderant Episcopi circiter 170. dummodo tamen in hoc numero, quem apud S. Athanasium invenimus, nullum sit mendum. Ex his fere 70. Orientales facto divortio se a reliquis separarunt, & Philippopoli pseudosynodum celebrarunt. Reliqui Sardicæ permanentes Athanasii, Marcelli, Asclepæ, & nonnullorum aliorum innocentiam solemni judicio declararunt.

58. Quæstio exoritur, num Synodus hæc Sardicensis œcumenica fuerit. Negat Sam. Basnagius in *Annalibus politico-ecclesiasticis* ad annum 347. cui passim assentiuntur Protestantes, fortasse quia canonibus tertio, quarto, & septimo jus appellationum ad Rom. Pontificem solemniter confirmatum fuit. Nonnullis tamen etiam Catholicis hoc concilium, celebratione, & exitu minime œcumenicum visum est, ut Petrus de Marca Lib. VII. *de Concordia Sacerd. & Imp.* c. 3. Baronius contra ad annos 347. & 414., Nat. Alexander Diss. XXVII. in sæc. IV. art. 3. aliique multi illud pro œcumenico habent.

59. Horum sententiam & nos adoptamus, atque ita probamus. Primo Concilium Sardicense fuisse œcumenicum convocatione, a nemine, ut puto, negari potest, cum & Romani Pontificis auctoritate, & jubentibus duobus Augustis Constante, & Constantio, inter quos tunc totum erat Romanum imperium divisum, ex omnibus mundi partibus fuerint Episcopi vocati.

60. Tota igitur difficultas, si qua est, oritur ex Orientalium Episcoporum discessione, antequam Concilio initium fieret. Verum secessio illa Episcoporum numero circiter 70. utpote illegitime facta, non potuit reddere Synodum non œcumenicam. Primo enim quamcumque Orientales prætexerent causam discedendi, non alia tamen reipsa fuit, nisi timor imminentis damnationis. Nam; ut S. Athanasius refert, in *Hist. Arianorum ad Monachos* num. 15., dicebant: *causa comminiscamur secedendum, ne hic manentes damnemur. Satius est, fugientes erubescere, quam sycophantas deprehensos affici pudore*. Præterea non

(*a*) Jo. Sambucus in Libro *de Panauthentia* hanc chartam ad Synodum Trullanam pertinere putavit. Labbeus in Tomo II. *Concil.* ad Synodum Nicænam. Sed fallitur uterque; pertinet enim ad Concilium VI. generale Constantinopoli celebratum. Tantum autem abest, ut ex hac Charta aliquid contra jus Roman. Pontificum conciliis generalibus præsidendi eruatur, ut potius illud confirmetur; nam primo loco leguntur subscriptiones Theodori, & Georgii S. R. Ecclesiæ Presbyterorum, cum Joan. ejusdem Ecclesiæ Diacono, quorum quilibet ita subscribit: *locum occupans Agatonis beatissimi, & universalis Papæ urbis Romæ*. Joannes autem Atheniensis, qui Roma ablegatus, ut Seldenus observat, non primo, sed vigesimo secundo loco subscripsit, nonnisi honoraria quadam legatione ornatus esse debuit. Confer Franc. Kollarium Tomo I. *Commentar. Lambecii* pag. 593. &. seq.

(*b*) Jo. Dom. Mansius ex Congregat. Matris Dei ad Lucensem Archiepiscopatum assumptus, deceptus anonymo quodam opusculo a March. Scipione Maffejo evulgato in Tomo III. *della Osservazioni letterarie*, putavit, Synodum Sardicensem celebratam fuisse anno 344.; quod si verum esset, nedum Socratis, & Sozomeni chronologia rueret, sed tota plane Athanasianorum temporum ratio perturbaretur. Eruditissimus P. Thomas Maria Mamachius editis Romæ quatuor epistolis an. 1748. invictis argumentis fidem anonymi Maffejani labefactavit, veteremque, ac communem rationem temporum Athanasianorum restituit. In epist. autem tertia Synodi Sardicensis epocham anno 347. figendam esse demonstrat.

non omnes Orientales secesserunt, sed Thraciæ, Palæstinæ, Arabiæ, Ægypti, & Constantinopoli vicini Episcopi, qui certe Orientales erant, Concilio suffragati sunt, ut constat ex epistola Synodica ejusdem Concilii, quod etiam confessi sunt Ariani ipsi transfugæ in epist. pseudo-Synodi Philippopolitanæ (apud S. Hilarium in *Fragmentis*) dicentes: *immensa multitudo Episcoporum adventantium de Constantinopoli, & Alexandria confluxit Sardicam, & eos omnes secum collectos habuerunt Osius, & Protogenes*, qui scilicet Athanasio, aliisque patrocinabantur.

61. Obj. primo, Episcopi Orientales numero circiter 80. non absque causa a Synodo discesserunt; conquerebantur enim, ab aliis fuisse in communionem receptos Athanasium, Marcellum, ac ceteros Episcopos jam in alia Synodo exauctoratos. Æquas autem fuisse hasce querimonias, ex eo liquet, quod mos erat in Ecclesia, ne Episcopi in synodo dejecti ab aliis reciperentur. Ulterius impossibile erat, causam Athanasii Sardicæ retractari, deficientibus monumentis, quæ ex Ecclesia Alexandrina peti debebant; quamobrem quinque Episcopi Synodo proposuerunt, se paratos esse, tanquam calumniæ reos e gradu dejici, si Athanasii crimina non probassent, dummodo eis permitteretur, Episcopos aliquot utriusque partis mitti in Ægyptum, ut ibi causa Athanasii plenius cognosceretur. Cum igitur hæc tam justa postulata fuerint a Patribus Sardicensibus rejecta, æqua suberat Episcopis Orientalibus conquerendi, & discedendi causa.

62. Resp. utramque querimoniam injustam fuisse; & primam quidem; quia licet fuisset Athanasius una cum aliis catholicis Episcopis in Synodis Eusebianorum e gradu dejectus, fuerat tamen in Synodo Romana sub Julio summo Pontifice, ejus innocentia probata, restitutus. Cumque major certe non fuisset Synodorum ab Eusebianis habitarum, quam Romani Concilii auctoritas, æquum omnino erat, ut quoniam hæc causa in Concilio Œcumenico retractabatur, Athanasius, aliique Episcopi in Synodo Tyria damnati, & in Romana restituti, in eodem omnino statu haberentur, in quo anteá erant, quousque de ipsis novo examine instituto plene judicaretur.

63. Neque minus injusta erat altera Orientalium querimonia; aderant enim in Concilio Athanasius, aliique Episcopi accusati, ut interrogari possent; aderat Ischyras accusator; aderant quinque Episcopi, qui in Mareotide causam Athanasii jam cognoverant, & unus duntaxat deerat; & quod maxime considerandum videtur, fuerant ad generale concilium Episcopi omnes invitati, ut de hac celebri causa eorum omnibus plenissime judicaretur: injusta igitur erat quæcumque dilatio; nec æquitatis ratio sinebat, ut evitato plenarii Concilii judicio, res paucis Episcopis committeretur judicanda.

64. Sed vera discessionis causa jam superius a nobis allegata fuit. Quod adeo certum est, ut cum allati Orientalium prætextus jam confutati a Catholicis fuissent, dixerunt tandem, sibi alio migrandum esse, ad celebrandam victoriam, quam Constantinus Augustus de Persis reportaverat. Vid. Athanasius in *Histor. Arianorum ad Monachos*.

65. Inst. Discedentibus 70. vel, ut alii dicunt, 80. Episcopis, nonnisi 90., aut 100. Sardicæ remanebant, qui numerus Synodo œcumenicæ constituendæ sufficiens non videtur: omnes enim simul nonnisi 170. erant, ut discimus ex ipso Athanasio in *Hist. Arian.* n. 15.

66. Resp. haud certo definiri posse numerum Episcoporum, qui Sardicæ ad Concilium convenerant, dissentientibus inter se antiquis Scriptoribus. Theodoretus Lib. II. *Hist. Eccl.* cap. 7. eos dicit fuisse numero 250., Socrates vero Lib. II. *Hist. Eccl.* cap. 20. & Sozomenus Lib. III. cap. 12. eos adaugent usque ad 376.; fortasse autem mendum cubat in numeris, qui apud Athanasium leguntur, exscriptorum oscitantiæ tribuendum; fortasse etiam Athanasius nonnisi catholicos recensuit, omissis 70. vel 80. Eusebianis, qui a Synodo recesserunt. Sane tum ex Athanasio (in *Apologia contra Arianos* n. 17.), tum ex Theodoreto (Lib. II. *Hist. Eccl.* c. 8.) novimus, ex 36. & amplius provinciis, quæ distincte recensentur, Episcopos Sardicam convenisse. Tum ibidem Athanasius subdit, plusquam 300. Episcopos sibi suffragatos fuisse. Ulterius idem Athanasius ait, suam innocentiam probatam jam fuisse, primum quidem in sua provincia ab Episcopis prope centum in unum congregatis, deinde Romæ ab Episcopis plusquam quinquaginta, & tandem in *magna* Synodo Sardicæ coacta. Inepte prorsus *magnam* Synodum Sardicensem appellasset Athanasius relate ad Alexandrinam, nisi multo plures illi, quam isti interfuissent.

67. Ceterum utcumque hæc sint, etiamsi nonnisi 170. Episcopi Synodo Sardicensi interfuissent, atque ex iis ipsis 70. discessissent, non propterea Synodus illa œcumenica esse desiit, tum quia isti Episcopi ex omnibus mundi partibus ad Synodum convenerant; tum etiam quia illorum sententia confirmata postea fuit ab aliis multo pluribus, quos numero 344. S. Athanasius enumerat in *Apol. contra Arianos* num. 50.

68. Obj. secundo. Sardicensis Synodus ab Hilario in Lib. *adv. Constantium*, ab Epiphanio *Hæresi* XXI.; & Sozomeno Lib. III. *Hist. Eccl.* cap. 12. vocatur Synodus *occidentalis*: non ergo est œcumenica. Neque refert, quod alii eam *generalem* dicant; constat enim etiam hoc nomine fuisse nuncupatas Synodos Provinciales. Nam S. Athanasius in eadem *Apologia* synodum Alexandrinam, in qua fuit Colluthus damnatus, *generalem* dixit; & in Carthaginensi III. Concilio cap. 7. dicitur, *celebrari anniversarium Concilium generale*. Arelatensis etiam Synodus in causa Donatistarum *generalis*, & *plenaria* dicta fuit.

69.

69. Resp. duplici de causa fuisse a nonnullis Sardicensem Synodum appellatam *occidentalem*; primo ut distingueretur a Philippopolitana pseudo-Synodo Orientalium: secundo quia Sardica urbs erat ad imperium occidentale pertinens. Ceterum characteribus Synodi œcumenicæ insignita fuit; nam S. Athanasius eam vocat *magnam Synodum*; Sulpitius Severus (Lib. II. *Hist.*) eam ex toto orbe convocatam scribit: Vigilius Tapsensis (Lib. V. *Cont. Eutychetem*) testatur, Episcopos ex omnibus provinciis Sardicam convenisse; Socrates (Libro II. *Hist. Eccl.* cap. 20.) hoc Concilium diserte ut œcumenicum describit: *edicitur*, inquit, *Concilium generale*, *ut omnes Sardicam commeent*. Justinianus tandem Imperator in *Edicto fidei* ipsum *œcumenicum* vocat.

70. Verum non ex his solum nominibus nos colligimus, Sardicensem Synodum fuisse œcumenicam; novimus enim, observante Baronio, aliisque, etiam Concilia, quæ ex pluribus provinciis sub uno Primate congregabantur, appellari antiquitus consuevisse *generalia*, *magna*, & *plenaria*. Sed potius Sardicense Concilium dicimus œcumenicum, quod probe sciamus, fuisse ad illud Episcopos totius orbis Christiani invitatos, atque ad ipsum plurimos ex multis, variisque cum Orientis, tum Occidentis provinciis convenisse. Tandem ex eo, quod communi totius Ecclesiæ catholicæ consensu confirmata fuerint Sardicensis Synodi decreta.

71. Obj. tertio. S. Gregorius Magnus (Lib. II. epist. 10.); Isidorus Hispalensis (Lib. *de temp.* cap. 65.), Zonaras (de *Conc. Constantinopol.* I. cap. 5.), Harmenopolus (in *Epist. Concil.*), & nonnulli alii posteriores Græci hoc Concilium Sardicense minime numerant in Conciliis generalibus. Hinc etiam est, quod communiter Concilium Constantinopolitanum I. habetur pro secundo Concilio œcumenico; quo satis ostenditur, Sardicense esse a numero Conciliorum œcumenicorum expungendum. Demum apud Gratianum I. P. *Decreti* Dist. XVI. c. 11. Sardicensis Synodus inter synodos particulares recensetur.

72. Resp. Quidquid sit de nonnullorum Græcorum opinione, Concilium hoc esse œcumenicum, satis ex dictis constat. Verisimilior autem causa, ob quam ab aliquibus inter Concilia generalia minime recenseatur, hæc esse creditur, quod veluti appendix Concilii Nicæni haberetur; utpote quia nihil novi circa fidem in eo definitum sit, sed duntaxat Episcoporum causæ discussæ, & canones quidam de ecclesiastica disciplina sanciti (*a*).

73. Tillemontius aliam etiam affert hujus rei causam, quod Arianis omnia turbantibus in ambiguo olim positum fuerit, utrum hoc Concilium in œcumenicis numerandum esset; neque statim omnibus liquido constiterit, hanc Synodum esse œcumenicam, nisi sæculo VI., quo jam Concilia generalia numerari cœperant, scilicet post Concilium Chalcedonense, quod communi jam omnium consensu quartum nominabatur, & quatuor priora Concilia tanquam quatuor Evangelia a catholicis recipiebantur. Ne itaque hic ordo jam constitutus turbaretur, Constantinopolitanum contra Pneumatomachos dictum est secundum generale, tertium Ephesinum, quartum vero Chalcedonense.

74. Quantum ad Gratiani *Decretum* spectat, dico nullum illud habere auctoritatis pondus, cum in paucis verbis multa peccet. Primo enim dicit, 60. Episcopos huic Concilio interfuisse. Secundo Canonum auctores fuisse Osium Cordubensem, Vincentium Capuanum Episcopum, Januarium Beneventanum, & Calepodium Neapolitanum S. Rom. Ecclesiæ Legatos: cum tamen certum sit, Episcopos multo plures fuisse, & nomine Romani Pontificis præfuisse Philoxenum, & Archidamum Rom. Ecclesiæ Presbyteros.

75. Obj. ult. Synodi hujus Canones non fuere ubique recepti; quin etiam alicubi, ut in Africâ, ignorati: non itaque habebatur ut œcumenica.

76. Resp. omisso antec. neg. conseq.; & ne prolixam nimis, & difficilem controversiam dirimere cogamur, ab hujusmodi Canonum receptione modo præscindimus. Cum enim illi Canones ad disciplinam tantummodo spectarent, quæ varia in diversis locis, & temporibus salva fidei integritate esse potest, minime efficeretur, Concilium Sardicense non fuisse œcumenicum, etiamsi ejus Canones fuissent ignorati, aut non ubique recepti. Doctissimus Card. Norisius (I. P. *Hist. Donatistarum* cap. 10.) rationem reddit, ob quam post Concilium Nicænum sine dubio œcumenicum, aliqui adhuc anabaptismum admitterent; quia nimirum putabant, hoc fuisse statutum, non ut regulam dogmatis, sed ut morum disciplinam, quæ varia pro temporum, locorumque ratione esse potest. Sardicenses tamen Canones fuisse ubique etiam in Ecclesia græca receptos, probant Natalis Alexander Diss. XXVII. in Sæculum IV. art. 4., & Card. Du Perronius in *Replica ad respons. Britanniæ Regis* cap. 53.

77. Quæres primo, *a quonam convocatum fuerit Concilium Sardicense*, & *quinam illi præfuerint?*

78. Primæ quæstionis parti resp. certo certius fuisse convocatum a duobus Augustis Constante, & Constantio, quod multis veterum testimoniis probat Natalis Alexander Dissert. supra laud. art. primo; non tamen inscio, sed potius curante Rom. Pontifice Julio. Cum enim ipse Rom. Pontifex anno

(*a*) Græci eos numerant 20., Latini vero 21., quia tertium canonem in duas partes dividunt, quarum prima prohibet Episcopis in alienam provinciam migrare, altera autem jus appellandi ad R. P., Episcopis accusatis in aliquo Concilio confirmat, quemadmodum fecerant antea S. Athanasius, Marcellus, aliique.

no 341. Synodum Romæ congregasset, etiam Orientales vocavit, qui tamen venire detrectarunt; unde Imperatoris potestate opus fuit ad ipsos compellendos. Quapropter Julius Imperatores sollicitavit, ut eorum auctoritate pax in Ecclesia restitueretur.

79. Secundæ autem parti quæstionis resp. certum esse, Præsides Concilii Sardicensis fuisse Osium Episcopum Cordubensem, & Archidamum, ac Philoxenum, Presbyteros Ecclesiæ Romanæ. De primo nos certos facit S. Athanasius eum appellans Concilii *Præsidem*, & *Patrem*; tum Theodoretus dicens, eum fuisse *Primum*. De aliis etiam id certum est ex eodem Athanasio, qui eos statim post Osium nominat. Unde superest inquirendum, an Osium nomine Romani Pontificis Concilio præfuerit? Verum cum non appareat, quo alio titulo potuerit Synodo præsidere, satis probabiliter concluditur, eum vices Romani Pontificis etiam in hoc Concilio gessisse, quemadmodum gesserat in Concilio Nicæno. De his consuli potest Natalis Alexander in Dissert. supra laud.

80. Quæres II. *an Sardicense Concilium aliquam ediderit fidei professionem?*

81. Ratio dubitandi desumitur primo ex epistola Synodica Patrum Sardicensium ad Julium Pontificem maximum, in qua dicitur: *Permiserunt religiosissimi Imperatores, ut de integro universa discussa disputarentur; & ante omnia de sancta fide, & de integritate veritatis, quam violaverunt*. Nicæna ergo fides retractata fuit, adeoque &c. Præterea Socrates (Lib. II. *Hist. Eccl.* cap. 20.), Sozomenus (Lib. III. *Hist. Eccl.* cap. 12.), & Theodoretus (Lib. II. *Hist. Eccl.* cap. 8.) testantur, aliquam fidei formulam fuisse in hoc Concilio causam, eamque ex integro refert Theodoretus laud. in loco. Demum Vigilius Tapsensis (Lib. V. *contra Eutychetem*) asserit, septem capitula ad fidem spectantia professioni fidei fuisse addita: ergo &c. Ita opinati sunt Sam. Basnagius in *Annalibus politico-ecclesiasticis*, Franc. Buddeus in *Isagoge ad Theologiam* pag. 409. aliique pauci.

82. Verum quæcumque afferuntur ad probandum, aliquod fidei decretum fuisse in Concilio Sardicensi cusum, statim corruunt, si legatur epistola Synodica Concilii Alexandrini anno 362. celebrati præside S. Athanasio, qui etiam Synodo Sardicensi interfuit. Ita autem habet ea epistola (apud S. Athanasium in *epist. ad Antiochenos*): *Tabellas, quas nonnulli jactant quasi ex Sardicensi Synodo de fide conscriptas, ne legi quidem semel, aut proferri sinatis; nihil enim tale Concilium definivit. Quamvis enim certi homines nonnulla, quasi quæ deessent Concilio Nicæno, adscribere vellent, idque acriter contenderent, sancta tamen Synodus, quæ Sardicæ convenit, indigne id tulit, decretoque sancivit, ne quid ulterius de fide scriberetur; & sese contentos esse Nicæna fide declaraverunt, ut cui nihil deesset, & in qua integra & sola fides contineretur: neque edendam esse aliam professionem fidei, ne illa quæ Nicææ scripta est, suos numeros non habere videretur*.

83. Id ipsum confirmatur ex subscriptione Eusebii Vercellensis eidem epistolæ subjecta. *Quia*, inquit, *fama apud exteros increbuit de tabella Sardicensis Concilii, ne ea ultra Nicænam fidem decreta esse putetur, meo suffragio denuntio, quo nihil luxamenti, aut noxii Nicænæ fidei suboriatur inde, neque ea de causa proferendam censeo*.

84. Quæ cum ita sint, quis non videt, deceptos fuisse Socratem, Sozomenum, Theodoretum, & Vigilium posteriores scriptores, quibus contraria placuit sententia? Porro Theodoretum deceptum fuisse, vel ex hoc solo liquet, quod referat in eadem fidei professione Ursacium, & Valentem Arianos asseruisse, *Verbum Dei, & Spiritum sanctum crucifixos esse*. Hic autem error Sabellianorum fuit, qui unam divinam admittebant personam, quæ modo Pater, modo Filius, modo Spiritus sanctus diceretur; non vero Arianorum, qui tres divinas personas non solum numero, sed etiam substantia distinguebant. Inde autem laudati scriptores decepti sunt, quod professionem fidei in pseudo-Synodo Sardicensi ab Orientalibus cusam pro fœtu veræ Synodi Sardicensis acceperint.

85. Quod autem ajunt Patres Sardicenses in sua epist. Synodica ad Julium Rom. Pont.: *permiserunt religiosissimi Imperatores, ut de integro universa disputarentur, & ante omnia de sancta fide &c.* non significat, retractatam fuisse in Concilio Sardicensi Nicænam fidem, aut novam fidei professionem exaratam, sed solum examinatam fuisse fidem Eusebianorum, an scilicet Nicæni Symboli integritatem violassent, hæreticique forent, ut vulgo audiebant; quæ vulgi opinio ex iis etiam confirmabatur, quæ in Episcopos, Presbyteros, aliosque Clericos catholicos crudeliter intentaverant. Nihil vero omnino de fide Nicæna innovatum est, ut ii testantur, qui præsentes Concilio aderant.

CAPUT IV.

De Concilio Ariminensi.

86. Constantius Augustus, qui post fratrum suorum mortem solus totum tenebat imperium, turbis, quibus ipse in Ecclesia occasionem dederat, finem imponere cupiens, duas Synodos generales eodem tempore convocandas curavit an. 359. alteram Occidentalium Arimini in Italia, alteram Orientalium Seleuciæ in Isauria.

87. Convenerunt Arimini Episcopi 400. & aliquando amplius, majorem partem catholici, qui in ipso Synodi exordio fidei formulam a Marco Arethusio Sirmii dictatam proscripserunt, Nicænum-

numque Symbolum confirmarunt. Cum hac de causa Arianorum factio maximas tragœdias excitaret, decem legati ex utraque parte ad Constantinum missi sunt, sed is fraudibus Arianorum præoccupatus catholicos Legatos Adrianopoli suum reditum a barbarica expeditione præstolari jussit, post autem eosdem transtulit Nicæam Thraciæ oppidum, ubi partim tædio diuturnæ moræ, partim dolis, & violentia Arianorum tandem victi, formulam fidei prius Arimini improbatam receperunt.

88. Constantius re, ut sibi videbatur, prospere gesta, Legatos ad Synodum Ariminensem remisit; sperans eorum exemplo & ceteros Episcopos esse seducendos. Nec eum fefellit eventus; nam initio quidem Catholici Legatis prævaricatoribus communionem denegarunt; sed postea longioris moræ pertæsi (Taurus enim urbis præfectus Synodum relaxare nolebat, donec Episcopi inter se convenirent) vacillare cœperunt, factaque semel animorum inclinatione catervatim in partes Semiarianorum concessere, donec tandem omnes ad unum (mirum dictu!) primæ formulæ, quam initio tam constanter rejecerant, subscripserunt. In ea autem expuncto ὁμοούσιον fides catholica ambiguis verbis exponebatur. Tristis hic fuit Synodi Ariminensis exitus.

89. Porro Orientales, qui Seleuciæ convenerant n. 180., in tres classes divisi erant. Non multi puri, putique Ariani, quorum signifer erat Acacius Cæsareæ in Palæstina Episcopus. Major pars erat *Homæusianorum* seu Semiarianorum, qui catholicam Nicæni Concilii fidem de vera J. Christi divinitate recipere se profitebantur, solamque vocem ὁμοούσιον respuebant, Filium dicentes esse Patri ὁμοιούσιον *similem in substantia*. Et pauci demum erant omnino orthodoxi Nicænæ fidei tenaces (a).

90. Tot autem, tantæque fuerunt in eo Concilio contentiones, ut Leonas Præfectus actis conciliaribus, ut jussus erat, non amplius interesse voluerit. Sed etiam in eo Concilio *pauci*, ut inquit S. Hilarius, *plurium dominati sunt*, & Concilii Ariminensis exemplo omnes demum in eamdem fidei formulam a Marco Arethusio dictam conspirarunt.

91. Vix dici potest, quot ex hac duarum Conciliorum prævaricatione triumphos agant Protestantes, gloriantes, totam Ecclesiam eo tempore defecisse; quod etiam ætate S. Augustini Donatistæ contendebant, & Pelagiani, ut videri potest in apist. 94. alias 48. ad Vincentium, & Libro I. contra Julianum cap. 7. Perperam tamen.

92. Nam facile probatur, Ariminenses Patres deceptos quidem fuisse ab Arianis; non tamen fuisse hæreticos, seu hæresi cognitæ ut tali subscripsisse. Quod constat primo ex totius rei gestæ narratione, qualem S. Hieronymus nobis exhibet in *Dialogo adv. Luciferianos*, ubi tamen ea considerare oportet, quæ in Concilio peracta sunt, quam quæ ipsum Concilium sunt consecuta. Et in Concilio quidem primo fidei professio Patribus exhibita fuit, cujus obvius atque exterior sensus erat plane orthodoxus & catholicus, licet interius lateret virus Arianum. Secundo reticebatur quidem vox ὁμοούσιος; sed probabilis afferebatur hujus omissionis causa, quia in sacris litteris minime inveniebatur, & multi ejus novitate offendebantur. Tertio si qua erat de auctoribus illius formulæ suspicio, tolli videbatur ex anathematismis postea adjectis coram Tauro præfecto. Ut enim Sulpitius Severus Lib. II. *Hist. Sacræ* narrat, Valens, & Ursacius affirmabant, formulam catholica ratione conceptam esse, sed *si quid minus plene præsenti fide editum videretur, ipsi adderent, quæ addenda putarent*. Favorabilis hæc propositio visa est, & pronis omnium animis accepta, & tunc publice lecti sunt anathematismi, quibus Arius, totaque ejus perfidia damnabatur. Et hæc quidem in Concilio peracta sunt; atque *ita*, concludit Sulpitius, *neutra pars vicisse se penitus, aut victam putare poterat; quia fides ipsa pro Arianis, professiones vero postea adjectæ pro nostris erant*.

93. Sed veram, atque orthodoxam Patrum Ariminensium mentem adhuc magis ea declarant, quæ Concilium postea subsecuta sunt. „ His ita gestis, „ *pergit S. Hieronymus*, concilium solvitur: læ„ti omnes ad provincias revertuntur... Sed diu „ scelera non latent, & cicatrix male obducta in„ cocto pure disrumpitur: cœperunt postea Valens „ & Ursacius, cæterique nequitiæ eorum socii, „ egregii videlicet Sacerdotes, palmas suas jacti„ tare, dicentes, se Filium creaturam non negas„ se, sed similem ceteris creaturis. *Et paulo post:* „ Concurrebant Episcopi, qui Ariminensibus do„ lis irretiti sine conscientia hæretici ferebantur, „ contestantes corpus Domini, & quidquid in Ec„ clesia sanctum est, se nihil mali in sua fide „ suspicatos. Putavimus, inquiebant, sensum con„ gruere verbis, nec in Ecclesia Dei, ubi sim„ plicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde „ clausum esse, aliud labiis proferri timuimus.... „ Decepit nos bona de malis existimatio; multa„ que alia, quæ bravitatis studio prætereo, flen„ tes asserebant, parati & subscriptionem pristi„ nam,

(a) S. Hilarius contra Constantium num. 12. *Assisto*, inquit, *Orientalium in Seleucia Synodo, ubi reperi tantum blasphemorum, quantum Constantio placebat. Num prima secessione in ea deprehendi*, ut n. 105. *Episcopi homœusion, idest similis substantiæ prædicarent*, & 19. *anomœusion, idest dissimilis essentiæ profiterentur; & soli Ægyptii, præter Alexandrinum hæreticum* (Georgium) *homousion constantissime obtinerent*.

„ nam, & omnes Arianorum blasphemias condemnare. “

94. Hæc certe tanti ponderis esse videntur, ut vel sola valeant Ariminenses Patres, sin minus ab imprudentia, ab omni saltem hæresis suspicione liberare. Plura tamen ibidem S. Hieronymus subnectit, ut Ariminensium fidem ab omni Arianæ hæreseos suspicione eximat. Cui consonat quoque S. Augustinus epist. 93. alias 48. ad Vincentium cap. 9., de Patribus Ariminensibus inquiens: *Quis enim nescit, illo tempore obscuris verbis multos fuisse delusos, ut putarent, hoc credi ab Arianis, quod etiam ipsi credebant?*

95. Sed præterea etiam Liberio Rom. Pontifici (a), & Synodo Alexandrinæ præside S. Athanasio anno 362. celebratæ perfecta, atque probata fuit Ariminensium Patrum recta fides; quamobrem omnium consensu in suis sedibus Episcopalibus conservati fuere, uno dissentiente Lucifero Calaritano, qui certe non religionis zelo a reliquorum sententia recessit, sed quia ab eodem Synodo ordinatio Paulini a se facta in Episcopum Antiochenum minime probata fuit. Ex his igitur omnibus aperte evincitur, rectam fuisse Patrum Ariminensium fidem, quanquam ab omni imprudentiæ labe purgari minime possint.

96. Obj. primo (cum Basnagio ad ann. 359. num. 12.). Concedi quidem potest, Patres Ariminenses Arianum virus animo minime imbibisse, certum tamen videtur, eosdem metu, vel tædio victos hæresi Arianæ saltem exterius, & scienter subscripsisse. Nam eamdem Confessionem fidei, dictatam a Marco Arethusio, quam initio ut hæreticam merito rejecerant, postea non ignorantia veritatis, sed humanis affectibus superati admiserunt. Hoc indicare videtur ipse Sulpitius Severus inquiens: *Nec ultra nostri repugnare ausi, jam quoquo modo finem rebus imponere cupientes*: hoc est se libenter decipi passi sunt, ut tandem ad patrias sedes remeare possent.

97. Resp., quamvis eadem plane esset fidei formula, quam Patres initio rejecerant, nova tamen quædam acciderant, quorum causa in errorem facile induci poterant. Scilicet, ut superius exposuimus, Ariani fraudulenter professi sunt, se ea omnia damnare, quæ Catholici exhorrebant, cum nostris plane re consentire, & solum verbis differre; atque id unum duntaxat exponere, ut vox ὁμοούσιος tanquam nova, in Scripturis non contenta, & quæ scandalo nonnullis erat, reticeretur. Hinc decepti sunt nostri imprudentia quidem peccantes, quando eam vocem supprimi passi sunt, non autem in hæresim consentientes, cum formulæ externa specie catholicæ subscripserint.

98. Verba autem Sulpitii Severi sunt intelligenda ad sensum proprium, quibus connectuntur. *Valens*, inquit, *& Ursacius affirmabant, præsentem fidem catholica ratione conceptam .... Si quid minus plene præsenti fide editum videretur, ipsi adderent, quæ addenda putarent, præbituros se in his, quæ essent adjecta, consensum. Favorabilis professio pronis omnium animis excepta; nec ultra repugnare ausi, jam quoquo modo finem rebus imponere cupientes.* Sunt item hæc verba cum iis conjungenda, quæ paullo post sequuntur: *Ita neutra pars vicisse se penitus, aut victam putare poterat, quia fides ipsa pro Arianis, professiones postea adjectæ pro nostris erant, præter illam, quam Valens subjunxerat, quæ tum intellecta, sero demum animadversa est.* Nimirum Valens aliis anathematismis hunc etiam subdole immiscuit: *Si quis dixerit creaturam Filium Dei, ut sunt ceteræ creaturæ, anathema sit;* quo non negabatur, Filium Dei esse creaturam, sed solum ejusdem rationis, ac ceteræ creaturæ sunt. Verba itaque illa Sulpitii: *jam quoquo modo* &c. nihil aliud significant nisi suppressionem vocis ὁμοούσιον, cui suppressioni inviti consenserunt, ut rebus tandem finem imponerent.

99. Inst. Supprimere vocem ὁμοούσιον idem plane erat, ac Concilium Nicænum damnare, a quo hæc vox, tamquam fidei tessera, adversus Arianos fuerat consecrata.

100. Resp. re quidem ita fuisse, sed non ita Patribus Ariminensibus visum. Cum enim fidei professionem specie omnino catholicam & sanam exhiberent Ariani; & cum ulterius in suis anathematismis execrarentur blasphemias Arii, atque Photini, omniaque recto atque orthodoxo sensu se recipere prædicarent, censuerunt nostri, tantummodo de voce quæstionem institui, non autem de sensu, & vi ipsius vocis. Quamobrem arbitrati sunt, nullam inferri Concilio Nicæno injuriam, si ὁμοούσιον supprimeretur, dummodo incolumis servaretur ejusdem Concilii fides. Audiatur S. Hieronymus in supra laud. *Dialogo*: *De usiæ vero nomine abjiciendo verisimilis ratio præbebatur ... placuit auferri: non erat cura Episcopis de vocabulo, cum sensus esset in tuto.* Audiatur etiam S. Athanasius in Libro *de Synodis*, ubi inquit: *Viros, qui alia quidem omnia Nicææ scripta recipiunt, de solo autem consubstantialis vocabulo ambigunt, non ut inimicos spectari par est; non enim ut Ariomanitas adversarios homines aggreditur, sed disputamus veluti fratres cum fratribus, qui eadem, qua nos, sunt sententia, solo nomine in controversiam adducto.* Hinc etiam Julius Rom. Pontifex ex prudenti œconomia Ursacium, & Valentem externe resipientes ad Ecclesiæ communionem recepit, quamvis in libello supplici (qui habetur in Apologia S. Athanasii) vocem ὁμοούσιον prætermiserint. Vide-sis Nat. Alexandrum in Dissert. XV. in Sæc. IV.

(a) Vide S. Hilarium in *Fragmentis* num. XII. & notam (b) Editoris Maurini.

101. Obj. secundo. Si perpendantur verba epistolæ synodicæ Concilii Ariminensis ad Constantium (apud S. Hilarium *Fragmento* IX.), dubitari non potest, eos Patres hæresi scienter subscripsisse. In ea enim primo vocem ὁμοούσιον Deo indignam vocant; secundo rogant, se ad suas plebes dimitti, *ne cum eis*, *qui perversa doctrina infecti sunt*, *diutius detineantur*, scilicet cum catholicis, qui Nicænam fidem profitebantur.

102. Resp., primo suspectam esse hanc epistolam erutam ex *Fragmentis* S. Hilarii, quod opus, ut videbimus infra, fœdissime interpolatum fuisse, nemo eruditus ignorat. Baronius suspicatus est, eam fuisse ab Arianis conscriptam, antequam Catholici iisdem consensissent.

103. Sed doctissimi Editores *Fragmentorum* in notis observant, eam non fuisse scriptam a tota synodo, sed a paucis solum, qui erant Ariana lue alte infecti. Nam primo hoc indicare videtur Hilarius ipse; cum enim caput epistolæ ita inscriptum sit: *Domino merito gloriosissimo*, *victoriosissimo*, *Augusto Constantio Synodus Ariminensis Orientalibus consentiens*, Hilarius negans hanc epistolam esse synodicam ita subdit: *idest Magdonius*, *Megasius*, *Valens*, *Epitectus*, *& ceteri*, *qui hæresi consenserunt*; non itaque epistolam illam esse synodicam, idest scriptam nomine omnium putavit ipse S. Hilarius, qui nobis eam servavit. Secundo nedum admodum inverosimile, sed plane incredibile videtur, Patres Ariminenses Arianis adeo consensisse, ut *usiæ* vocem non solum reticerent, sed plane damnarent, & a Catholicis Nicænam fidem profitentibus, tanquam ab hostibus abhorruerint, cum potius compertum sit, eos non alia ratione Arianorum votis cessisse, nisi quia isti se fidem Nicænam recipere, Catholicis omnino consentire, & solum de voce ὁμοούσιον reticenda sollicitos esse simularent.

104. Obj. ultimo plura sanct. Patrum testimonia, qui Ariminensis Concilii Episcopis hæreseos notam inurunt. Primo S. Hilarius in *Fragmento* VIII. dicit, Episcopos Ariminenses *prævaricatos esse a fide vera*. Secundo S. Basilius epist. 69. ad Athanasium ait, *Arimini omnia per vim esse gesta*. Tertio S. Ambrosius in cap. IV. Lucæ exponens ea verba: *Væ vobis*, *cum benedixerint vobis omnes homines &c.* hæc habet: *Nonne tibi videtur his dicere*, *qui dudum in Ariminensi Concilio perfidæ prævaricationis auctores*, *dum Imperatoris gratiam sequuntur*, *Dei gratiam perdiderunt? Qui cum placere potentibus aucupantur*, *maledicto se perpetuo subdidere*. Quarto sanct. Aug. ep. 185., alias 50. cap. 10. n. 47. loquens de Ariminensibus Episcopis dicit, *eos veneno Ariano periisse*. Quinto Facundus Hermianensis lib. V. cap. 3. non semel dicit, Ariminenses Præsules *in Arianum dogma fuisse subactos*, opprimente eos Constantio. Sexto his omnibus altius inclamat sanct. Hieronymus in *Dial. adv. Luciferianos* dicens: *Tunc usiæ nomen abolitum est; tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata est. Ingemuit totus orbis*, *& se esse Arianum miratus est*. Demum Faustinus, Marcellinus, Lucifer Calaritanus, aliique cum omnibus iis Episcopis, qui Arimini prævaricati sunt, non amplius communicare voluerunt; quod eosdem hæretica labe pollutos existimarent.

105. Resp. hæc omnia potuisse aliqua ratione dici de Ariminensibus Episcopis spectata fidei formula, quam acceptarunt, quæque intrinsecus Ariana lue infecta erat, licet externo verborum cortice videretur catholica. *Sonabant verba pietatem*, inquit S. Hieronymus, *& inter tanta mella præconii nemo venenum insertum putabat*; non autem dici potuisse spectata intentione Patrum, qui eam formulam acceptarunt, Arianorum dolis decepti; atque hoc sensu, & non alio accipi debent verba sancti Hilarii, dum eos dicit *fuisse prævaricatos a fide vera*; quia formula illa Ariminensis *fidem veram* non continebat, quamvis sanum, & orthodoxum sensum exterius præseferret.

106. Ad secundum. Sanct. Basilius verissime dicit, Arimini omnia *per vim* gesta fuisse. Initio enim, quando Patribus liberum erat de fide decernere, antiquam fidem Nicænam religiose retinuerunt, ac confirmarunt; postea vero minis Imperatoris, ac diuturnioris moræ tædio victi ὁμοούσιον suppressioni consenserunt, quanquam non consenserint Arianis blasphemiis.

107. Ad tertium. Etiam sanct. Ambrosius de hac eadem prævaricatione loquitur, scilicet suppressionis vocis ὁμοούσιον, cui gratiam Imperatoris aucupantes imprudenter consenserunt. Ceterum Patres Ariminenses fidem catholicam nunquam deseruisse, tradit idem sanct. Mediolanensis Antistes ep. 21., alias 32. scribens, *majorem partem Arimini Nicæni Concilii fidem approbasse*, *Ariana decreta damnasse*.

108. Ad quartum. Nec alio sensu locutum fuisse sanct. August. ex iis liquet, quæ habet in ep. 93., alias 48., ubi dolet, *Ariminenses Patres delusos fuisse obscuris verbis*, *ut putarent*, *hoc credi ab Arianis*, *quod ipsi credebant*. Et in lib. II. *contra Maximinum* c. 14. *multos*, dicit, *in Concilio Ariminensi paucorum fraude fuisse deceptos*.

109. Ad quintum. Verba Facundi Hermianensis explicanda sunt juxta regulam ab eodem traditam lib. XII. c. 1. ubi inquit: *Scire debemus*, *quod hæreticum non facit ignorantia*, *quæ doctrinæ veritatis contumax non est*, *sed potius obstinata defensio falsitatis*. Cum autem luculenter appareat, Ariminenses quidem Patres ex ignorantia, & quadam fragilitate Arianis cessisse, nullatenus vero eorumdem falsitates defendisse, aut etiam approbasse; hinc ad mentem ejusdem Facundi proprie dici non potuerunt *in Arianum dogma subacti*.

110. Ad sextum. Exaggeratam, & emphaticam es-

esse sancti Hieronymi locutionem, nemo non videt. Etiamsi enim concederetur, Arimineuses Patres Arianæ hæresi consensisse, non tamen dici merito posset, totum mundum factum fuisse Arianum. Nam præterquamquod Ecclesiæ visibile caput Liberius Rom. Pontifex Concilio illi nequaquam suffragatus fuit, multi etiam alii erant toto orbe Episcopi, qui fidem Nicæuam sancte, & incontaminate servabant. Id testatus est sanct. Damasus in Synodica ep. ad Episcopos Illyrici (apud Theodoretum lib. II. *Hist. Eccl.* c. 22.) inquiens: *Neque enim præjudicium aliquod nasci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerant, cum constet, neque Rom. Episcopum, cujus ante omnes fuit expectanda sententia, neque Vincentium, qui tot annos sacerdotium illibate servavit, neque alios hujusmodi statutis consensum aliquem commodasse.* Imo Siricius Papa in ep. ad Himerium Tarraconensem fidem facit, acta Ariminensis Concilii fuisse a Liberio Pontifice rescissa.

111. Ulterius numerus Patrum Ariminensium, aut Seleuciensium minime comparari potest cum numero Episcoporum totius orbis catholici. Labbeus enim mille tunc cognitas in occidente Episcopales sedes recenset, in Oriente autem octingentas. Aliquanto plures memorat Carolus a sancto Paulo in *Notitia antiquorum Episcopatuum*. At vero sanctus Athanasius in epist. ad Jovianum Imperatorem scripta non multo post, scilicet an. 363. fidenter ajebat, *universas totius orbis Ecclesias suffragio suo comprobare Nicœnam fidem; nec tametsi pauci quidam huic fidei adversentur, præjudicium facere posse, cum orbis universus apostolicam fidem retineat.* Hyperbolica igitur est sancti Hieronymi locutio.

112. Sed si accuratius eadem expendatur, facilius apparebit, Hieronymum non esse sibi ipsi contrarium. Ut enim primo dixerat, fuisse Patres Arimineuses Arianorum fraudibus deceptos, ita postea consequenter addit, eos *miratos* fuisse se esse Arianos, hoc est, cognovisse se Arianorum doctrinæ ignoranter subscripsisse. Si enim scienter id fecissent, nulla iis fuisset admirationis causa.

113. Ultimæ objectionis parti resp., Faustino, Marcellino, aliisque Luciferianis schismaticis præferendam esse Synodum Alexandrinam an. 362. sub Athauasio celebratam, quæ Episcopos Arimineuses, utpote qui non malitia peccaverant, sed ignorantia lapsi erant, in communionem recipiendos, imo in suis sedibus conservandos esse decrevit; cui decreto christianæ charitatis pleno omnes catholici orbis Episcopi, solis Luciferianis exceptis, morem gesserunt (*a*).

CAPUT V.

De Liberio Romano Pontifice.

114. Liberius anno 352. Julio in Romano Pontificatu successit. Anno 353. a Constantio Imperatore Mediolanum accitus nec promissis, nec minis flecti potuit, ut Athanasii condemnationi consentiret. Quamobrem Constantius eum Berœam in Thracia exilio relegavit, Felice in ejus locum suffecto; elapso tamen biennio Liberius Romam remeavit suæ sedi restitutus. Communis fere olim sententia erat, eum nonnisi pretio deplorabilis prævaricationis id consecutum fuisse, scilicet damnato Athanasio communione cum Arianis inita, & Sirmiensi fidei professione prodita.

115. Pervulgatæ huic opinioni primus, quod sciam, sese opposuit Gorgnins Svessionensis Ecclesiæ Canonicus diss. edita Parisiis ann. 1736. in qua non contemnendis argumentis hunc decantatum Liberii lapsum commentitium esse contendit, ejusque restitutionis causam fuisse preces Matronarum Romanarum, quibus, ut Theodoretus Lib. II. *Hist. Eccl.* c. 17. narrat, Imperator Constantius Liberium benigne concessit.

116. Porro ii, qui Liberium lapsum fuisse volunt, in varias distrahuntur sententias: scilicet cum tres fidei formulæ Sirmii conditæ sint, altera quidem a Semiarianis contra Photinum anno 351. (*b*); altera a Potamio Episcopo Ulyssiponensi an. 357. sermone latino; tertia vero anno 358. vel 359. a Marco Arethusio; quæstio oritur, cuinam ex his tribus fidei formulis Liberius subscripserit. Blondellus (*de la Primautè*) Romanum Pontificem secundæ subscripsisse vult, quæ purum putumque Arianismum continebat. Idem sentit Petavius, scilicet fuisse Liberio secundam formulam Sirmiensem oblatam, sed eo procul abest a Blondello, quod putet, eam non fuisse integram, qualis apud Athanasium, Hilarium, & Socratem legitur; imo suspicatur, fuisse aliquam aliam, in qua vox ὁμοούσιοι suppressa quidem esset, sed quæ Arianum virus non redoleret. Libro tamen I. *de Trinit.* cap. 9. n. 4. & 5. ad communem sententiam accedit, scilicet Liberium formulæ Sirmiensi

(*a*) Nullo modo verisimile videtur, quod Ruffinus *Hist. Eccl.* cap. 21., & Julianus Eclanensis apud S. Augustinum Lib. I. *Operis imperfecti* c. 76. narrant, ab Arianis fuisse nostris propositum, quem magis colere, & adorare vellent, *homousion*, an Christum? Illis virtutem verbi *homousion* ignorantibus, velut in fastidium quoddam, & execrationem sermonem deductum fuisse, Christo se credere, non *homousion* confirmasse. Sic multorum, præter paucos, qui scienter prolapsi sunt, animos deceptos. At vero fungos, non Episcopos eos fuisse oportuit, qui vim *homousion* adeo ignorarent. De hac quæstione præter Scholasticos Theologos consuli potest Natalis Alexander Diss. XXXIII. in sæc. IV.

(*b*) P. Jo. Dom. Mansi, de quo supra in nota ad n. 57. primam Sirmiensis Synodi epocham an. 358. ponit, contra quem vid. P. Thomas M. Mamachius ep. IV. *de ratione temporum Athanasianorum.*

si subscripsisse, quæ ab Hosiana, idest secunda, diversa erat. Sunt qui tertiam Sirmiensem formulam a Liberio subscriptam velint, quam dicunt fuisse eo ipso anno conditam, quo Liberius fuit ab exilio liberatus (a).

117. Sed multo communior aliorum sententia est, qui putant, Liberium primæ Sirmiensi formulæ consensisse, quæ saltem externo verborum cortice sana, & orthodoxa videbatur, non secus ac tertia, cui subscripsisse creduntur Patres Synodi Ariminensis. Utraque enim confecta fuerat a Semiarianis, qui ab Anomæis omnino dissidebant, & vel Catholici erant, vel saltem videri cupiebant. Quamobrem si Liberius primæ, aut tertiæ formulæ Sirmiensi subscripsit, facile ab hæresi Ariana vindicatur. Non ita vero, si secundam probavit.

118. Invictis tamen argumentis ostenditur, Liberium non subscripsisse secundæ formulæ Sirmiensi Arianorum. Nam primo si fides habeatur *Fragmentis* S. Hilarii (Fragm. VI. num. 7.) *perfidia Sirmiana*, cui Liberius consensit, fuit conscripta a Theodoro Heracleensi, Basilio Ancyrano, Sylvano Tharsensi, aliisque Episcopis Orientalibus, qui viginti duo memorantur. Formula autem ab istis conscripta non potest esse secunda Sirmiensis; primo enim hæc secunda edita fuit non ab Orientalibus, sed ab Occidentalibus Episcopis, & quidem latino idiomate, ut edocemur a S. Hilario, & Athanasio in utriusque libro *de Synodis*, & a Socrate lib. II. *Hist. Eccl.* c. 30. Præterea neque Theodorus Heracleensis, neque Sylvanus Tharsensis, neque Basilius Ancyranus in secunda formula concinnanda partem habuerunt; primus enim jam obierat ann. 355. ut Theodoretus testatur lib. II. *Hist. Eccl.* c. 16. alii vero duo vel Catholici fuerant, vel solum Semiariani, Anomæorum hostes (b). Demum in formula a Liberio approbata non leguntur nomina Germinii, Osii, & Potamii, qui auctores dicuntur secundæ formulæ. Si itaque *Fragmentis* S. Hilarii fides habeatur, Sirmiana formula a Liberio probata non fuit secunda, quæ Ariana hæresi infecta erat, sed prima, quæ sensum catholicum præseferebat.

119. Accedit testimonium Sozomeni, qui Lib. IV. *Hist. Eccl.* c. 15. refert, Liberium Sirmium evocatum, ut quæ Berœæ egerat, iterum confirmaret, doctrinam Anomæorum coram Constant. proscripsisse edita confessione, qua *eos*, *qui Filium secundum substantiam*, *&* *per omnia Patris similem* non *esse assererent*, *alienos ab Ecclesia pronunciabat*; sua itaque vineta cæcidisset Liberius, proscribendo eam doctrinam, quam Berœæ probaverat, si ibi secundam formulam Sirmiensem acceptasset, in qua Filius Patri similis negabatur.

120. Accedit iterum testimonium Theodoreti, qui in epist. 166. ad Renatum Presbyterum Romanum de apostolica sancti Petri Cathedra loquens, *Habet*, inquit, *Sanctissima illa Sedes Ecclesiarum*, *quæ in toto orbe sunt*, *principatum multis nominibus*, *atque hoc ante omnia*, *quod ab hæretica tabe immunis mansit*, *nec ullus fidei contraria sentiens in illa sedit*, *sed apostolicam gratiam integram conservavit*. Hæc scribebat Theodoretus post Liberii lapsum, quæ vera nullatenus essent, si Liberius secundam Sirmiensem formulam blasphemam, & hæreticam approbasset.

121. Ob. primo. Sanct. Hilarius formulam a Liberio probatam vocat *Arianam perfidiam* (in *Fragmentis*); atqui idem sanct. Hilarius in lib. *de Synodis* primam Sirmiensem formulam ut catholicam agnovit: sensit ergo Liberium non subscripsisse formulæ primæ, sed alteri, quæ Ariana lue infecta erat; ac propterea eidem ut fidei prævaricatori, ter anathema dixit.

122. Resp. sanct. Hilarium in lib. *de Synodis* spectasse primam Sirmiensem formulam *absolute*, & in seipsa, eamque catholicam pronunciasse, ut talis reipsa erat, saltem inspecto externo verborum sono; in *Fragmentis* autem spectasse eamdem formulam habita ratione quarumdam circumstantiarum, quibus consideratis jure meritoque appellari poterat *perfidia Ariana*. Circumstantiæ autem erant istæ: primo auctorum, quorum fides aut manifeste prava, aut subobscura, & dubia erat, ut proinde merito suspicari posset, sub orthodoxo verborum cortice Arianum virus latere; unde idem sanctus Hilarius lib. *advers. Constantium* num. 23. ajebat: *Quidquid præter fidem unam* (nempe Nicænam) *est*, *perfidia*, *non fides est*. Altera circumstantia etiam magis attendenda erat Liberii persona, cui maxime incumbebat Nicænam fidem, & vocem ὁμοούσιον tueri, ac proinde causam religionis prodere videbatur, aliam ἔκθεσιν (*expositionem*) probans suppresso vocabulo ὁμοούσιον. Tertia circumstantia erat damnatio sancti Athanasii, quæ nonnullis videbatur idem ac damnatio catholicæ fidei, cujus il-

(a) Qui hanc sententiam rejiciunt, potissimum ex eo moventur, quod observante Petavio in not. ad S. Epiphan. *Hæresi* 37. o. 22. tertia Sirmiensis formula confecta fuit anno 359. Eusebio, & Hypatio Coss., ut S. Athanasius refert in Libro *de Synodis*; putant autem, Liberium anno 357. fuisse ab exilio revocatum, scilicet antequam hæc tertia formula cusa esset. Veruntamen nescio, an solido fundamento ostendi possit, Liberii reditum incidisse in ann. 357. Sane si verum est, quod Anastasius scribit, Liberium quarto nonas Augusti Romam ingressum esse, id anno 357. contingere non potuit. Siquidem habetur in Codice Theodosiano lex decima quarta *de Episcopis* Mediolani hoc eodem anno Idum Decembris directa ad Felicem Episcopum Romanum; quem tamen certum est ex Theodoreto Lib. II. *Hist. Eccl.* cap. 17. revertente Liberio ad aliam urbem se contulisse. Vid. etiam Pagius ad annum 357. num. 14.

(b) Quod enim ad hujusmodi argumenti vim elevandam excogitavit Petavius in animadv. ad S. Epipha-

ille columen erat. His, aliisque de causis potuit sanct. Hilarius eam Sirmiensem formulam ita a Liberio probatam vocare *Arianam perfidiam*; tum etiam anathematismos contra eumdem Liberium vibrare, si tamen vibravit, quod parum probabile esse, inferius ostendemus n. 156.

123. Obj. 1. Sanctus Hieronymus (*de Script. Eccl.* cap. 97., & in *Chronico* ad an. 352. Tom. VIII.) Liberium dicit *hæresi subscripsisse*. Idipsum deplorat Auxilius (*de Ordinationibus Formosi* cap. 15.) inquiens: *Quis nesciat, quod Liberius, heu proh dolor! Arianæ hæresi subscripsit?* Et iterum: *Liberius apostata factus vixit annos sex*.

124. Resp., mirandum non esse, in tanta rerum perturbatione, Arianis omnia susdeque vertentibus, famam prævaricationis Liberii vires eundo acquisivisse, ut tandem nonnulli arbitrati fuerint, eum nedum Athanasii condemnationi, sed hæresi quoque Arianæ omnino consensisse; quod tamen falsum erat. Sane Sozomenus lib. IV. *Hist. Eccl.* c. 15., refert, Eudoxium, aliosque Aetii fautores sparsis rumoribus divulgasse, Liberium condemnasse etiam vocem ὁμοούσιον, & Filium Patri in natura dissimilem fuisse; quæ certe falsissima erant.

125. Ceterum Auxilium in hac historia non fuisse admodum versatum, vel ex eo apparet, quod Liberium annos sex vixisse dicat; nam post reditum ab exilio regnavit annos decem; & totus ipsius Pontificatus concluditur annis ad minus 14., & mensibus 4.

126. Obj. tertio. Formula a Liberio probata confecta erat etiam a Demophilo, Eudoxio, Ursacio, & Valente, qui puri, putique Ariani erant: ergo &c.

127. Resp. Semiarianorum præpotentia, qui gratia Imperat. Constantii, & numero prævalebant, facillime potuisse etiam paucos hos Episcopos induci ad subscribendum formulæ primæ Sirmiensi; ut enim notat Socrates lib. III. *Hist. Eccl.* cap. 37., *Ursacius, & Valens semper ad eorum partes transibant, qui plus posse viderentur*. Imo ex hoc ipso, quod eo tempore Semiariana factio apud Imperatorem Constantium prævaleret, quod Socrates (Lib. II. *Hist. Eccles.* cap. 30., & Sozomenus Libro IV. capite 15.) asserunt, magis magisque comprobatur, Liberium non secundæ Arianorum formulæ subscripsisse, sed primæ a Semiarianis editæ. Et certe statim ac secunda formula Sirmiensis in lucem infeliciter prodiit, omnium animi commoti sunt, & Imperator eam conquiri jussit, ut Socrates narrat Lib. II. cap. 30, *supplicium minatus, si quis eam occultasse deprehenderetur* (a).

128. Obj. ult. Tametsi Liberius primæ, aut tertiæ Sirmiensi formulæ subscripsisse concedatur, vix tamen, ac ne vix quidem potest ab hæresi vindicari. Primo enim ab utraque expunctum erat ὁμοούσιον, fidei Nicænæ tessera. Deinde in prima dicitur anathema iis, qui non confitentur, *Christum in creatione omnium rerum obsecutum Patri*. Præterea additur: *Non enim exæquamus, vel comparamus Filium Patri, sed subjectum esse intelligimus ... Nec sedet in dextera* (Patris) *a semetipso, sed audit dicentem Patrem: sede ad dexteram meam*. Ac demum: *Caput quod est principium omnium, Filius, caput autem, quod est principium Christi, Deus est* (apud Socratem Lib. II. cap. 30., & apud S. Hilarium *de Synodis* num. 38.); quasi scilicet quemadmodum omnia per Filium creata sunt, ita Filius sit creatus a Patre.

129. Ad hæc Liberius S. Athanasium damnavit, qui fidei orthodoxæ columna erat, & cum Arianis communionem inivit, quod argumentum est ipsius apostasiæ longe evidentissimum.

130. Resp. Primam Sirmiensem formulam visam esse orthodoxam S. Hilario (in Lib. *de Synodis*). S. etiam Philastrius (*Hæresi* LXV.) illius auctores vocat *Sanctos Episcopos*; & Vigilius Tapsensis (Lib. V. *contra Eutych.* cap. 3.). Synodum Sirmiensem, in qua ea formula cusa est, vocat *Synodum catholicam totius Orientis*. Altera vero est ipsa fidei formula, quam Patres Concilii Ariminensis suis calculis tandem probarunt, sine ulla hæreseos nota, ut capite superiori ostensum est.

131.

nium *Hæresi* 73., omnia illorum Episcoporum fuisse imperiti cujusdam manu adjecta, commentitium prorsus est, cum nullo alio fundamento innitatur, quam quod putaverit ipse Petavius formulam a Liberio probatam esse secundam, cui certa illi Episcopi calculum non adjecissent suum. Scio equidem cl. Jo. D. Mansium in sua diss. *de epochis Conciliorum Sardicensis, & Sirmiensis* &c. pag. 26. seq. contendere, Theodorum, cujus est apud S. Hilarium mentio, non esse Heracleensem, sed alium, & fortasse incuria librarii fuisse scriptum *Theodorum* pro *Theodosio*. Sed id omni veri specie carere, ostendit eruditissimus P. Mamachius epist. 4. *de ratione temporum Athanasianorum*. Neque vero instituti nostri ratio sinit, ut communem sententiam de epochis Sirmiensium formularum contra paucos adversarios vindicemus. Videri possunt præter laud. P. Mamachium, Petavius in notis ad S. Epiphanium *Hæresi* 73., Natalis Alexander Diss. XXXI. in sæc. IV., Tillemontius in Nota XLI. *sur les Ariens*, Hermantius L. VI. vitæ S. Athanasii c. 21.: & ex Protestantibus Thomas Ittigius Diss. VI. *Hist. Photini* in calce operis *de Hæresiarchis*, aliique apud Jo. Alb. Fabricium Tom. VIII. *Biblioth. Græcæ* pag. 315.

(a) Quamquam S. Athanasius in Lib. *de Synodis* dicit, tertiam Sirmiensem fuisse suppressam. Sed, ut bene advertit Tillemontius nota 58. *de Arianis* Tomo VI., Athanasio hac in re præferendi sunt Socrates, & Sozomenus: neque enim ullo modo verisimile est, Semiarianos curasse, tertiam fidei formulam supprimi, quam in duobus Conciliis Ariminensi, & Seleuciensi ab omnibus approbari tanta violentia, & tot fraudibus obtinuerunt.

131. Certe quod hic Pontifex vocem ὁμοούσιον expungi passus sit, gravis quidem ejusdem prævaricatio fuit, cum supremi ejus muneris fuerit, eamdem omnibus viribus defendere: non tamen hæc vocari potest apostasia a fide; certo enim certius est, non paucos ea tempestate fuisse doctrina orthodoxos, licet ab ea voce abhorrerent. Vide supra Diss. III. n. 38.

132. Quæ autem in ea fidei professione loca difficilia sunt, quæque Arianam blasphemiam primo aspectu continere videntur, a sancto Hilario ad orthodoxum sensum haud difficulter pertrahuntur. Ex. gr. dicitur, *Verbum ministrasse Patri*. Sed id minus proprie intelligendum est, ad significandam distinctionem personarum contra Sabellium, non diversitatem naturarum cum Ario; tum etiam ad exprimendum ordinem processionis Filii a Patre.

133. Quod demum additur de subjectione ejusdem Filii, durius quidem est; sed ita a S. Hilario emollitur: *Superiora, & consequentia suspicionem, si qua esse in his dictis videbatur, penitus excludunt, ne diversitas dissimilium deitatum in Domino, & Domino prædicetur; quia duos Deos dici impium est*. Et infra explicans hanc subjectionem, *pietatis*, inquit, *subjectio est, non essentiæ diminutio*. Uno verbo sola originis subjectio asseritur contra Sabellium, qui Filium non minus ac Patrem ingenitum esse effutiebat.

134. Hoc eodem sensu postrema verba explicanda sunt; videlicet ut doceatur, Filium non esse ingenitum; unde immediate antea dictum est: *Si quis Filium ingenitum, & principii expertem dixerit, tamquam duo ingenita, & principii expertia dicens, ac duos faciens Deos, anathema sit. Caput enim &c.*

135. Negari etiam non potest, in eadem fidei formula multa contineri, quæ orthodoxum sensum primo adspectu exhibent; illi enim a fide alieni pronunciantur, *qui dicunt, Filium Dei ex iis, quæ non erant, aut ex alia esse substantia, non autem ex Deo, & fuisse tempus, aut sæculum, cum non existeret*. Et hujusmodi plura sunt omnino orthodoxa, ut videri potest apud Socratem Lib. II. cap. 30. & apud S. Hilarium in Libro de *Synodis*.

136. Si Liberius damnationi Sancti Athanasii consensit, gravis utique injustitiæ reus fuit, hæresis tamen propterea accusari non potest. Quamquam cum Ariani Sanct. Antistitem propter fidem orthodoxam, quam adversus impios eorum conatus strenue tuebatur, reipsa persequebantur, callidi tamen veteratores semper simularunt longe alios prætextus, & alia crimina illi calumniose objiciebant. Hinc etiam a Constant. Augusto, quamvis magno fidei Nicænæ patrono, ac vindice, fraudulenter obtinuerunt, ut ab Ecclesia Alexandrina expelleretur.

137. Sed neque erravit in fide Liberius, quando cum Orientalibus communionem iniit, si tamen verum hoc est. Plurimi enim illorum Semiariani erant, & qui Arianismum in corde fovebant, illum caute dissimulabant ob Constantii Augusti metum, qui purum Arianismum non tolerabat, & solum ὁμοιούσιον, explosum volebat. At vero, si non omnes, saltem non paucos Semiarianos catholice de vera Jesu Christi divinitate sensisse certum est; qui propterea a Sanctis Athanasio, & Hilario *fratres* vocabantur. Vide supra Diss. III. n. 33. Theodoretus etiam Lib. II. *Hist. Eccl.* cap. 17. narrat, Felicem in Liberii locum a Constant. suffectum *formulam* fidei a Nicænis Patribus expositæ *integram* quidem, ac *inviolatam servasse, cum iis tamen, qui eam labefactabant, libere communicasse*.

138. Dices. Sozomeno referente Lib. IV. *Hist. Eccl.* cap. 15, Constant. Liberium compulit, ut *Filium Patri non esse consubstantialem profiteretur*.

139. Respond., id intelligendum esse de sola suppressione vocis ὁμοούσιον, vel de ejusdem vocis condemnatione in pravo sensu intellectæ: nam idem Sozomenus ita prosequitur: *Sed & confessionem a Liberio vicissim susceperunt, qua eos, qui Filium secundum substantiam, & per omnia similem Patri non esse assererent, alienos ab Ecclesia pronunciabat. Nam Eudoxius, & qui cum illo opinioni Aetii favebant ... sparsis rumoribus divulgaverant, Liberium quoque consubstantialis vocabulum condemnasse, & Filium Patri dissimilem confiteri*.

APPENDIX.

An dubitari merito possit de Liberii Romani Pontificis lapsu?

140. Res ista tantis est tenebris involuta, ut meo judicio nihil certi, & explorati statui possit; argumenta enim firma, atque indubia neque iis suppetunt, qui Liberium ab omni accusatione defendunt: neque iis, qui eum, sin minus in hæresim, saltem in magnam, detestabilemque prævaricationem lapsum esse contendunt. Nos quæ utrinque afferri solent, breviter expendemus.

141. Et primo, qui Liberii lapsum commentitium esse defendunt, nituntur præcipue Theodoreti testimonio, qui eodem sæculo vixit (a), atque historiam ecclesiasticam Eusebii usque ad Cælestini tempora prosecutus est. Hic autem illustris.

(a) Natus est enim circa annum 387., factus est autem Episcopus Cyri in Syria Euphratena. Suam Ecclesiam usque ad medium circiter Sæculum V. pietate, & doctrina illustravit. Ejus autem Historia Ecclesiastica incipit ab anno 324. & pergit usque ad annum 429.

historicus de Liberii prævaricatione prorsus silet, nec aliam ipsius reditus ad suam Apostolicam Sedem causam affert, quam matronarum Romanarum preces, *quibus flexus Imperator egregium illum, omnique laude dignissimum ab exilio redire jussit*. Ita Lib. II. *Hist. Eccl.* cap. 17. (a). Jam vero quis sibi persuadeat, matronas, populumque Romanum tanto sui Pastoris videndi studio flagrasse, si ille apostolicam Petri sedem nefanda sua prævaricatione deturpasset? Aut quomodo potuisset Theodoretus subdere: *reversus est ille admirandus Liberius*, si tanta infamia suum nomen commaculasset?

142. Socrates etiam, scriptor Theodoreto fere coævus, & qui res Arianorum ex probatis monumentis, potissimum autem ex operibus S. Athanasii, (b), cum multa de Liberio habeat, nihil tamen de illius prævaricatione memorat; sed ejus reditum populi Romani seditionibus tribuit, inquiens Lib. II. cap. 37.: *Liberius haud multo post ab exilio revocatus sedem suam recipit, cum populus Romanus seditione facta Felicem Ecclesia expulisset, & Imperator licet invitus assensum illis præbuisset*.

143. Hæc quidem prima fronte gravissima videntur argumenta pro Liberii innocentia. At vero Sozomenus viam nobis indigitat, qua quæ Theodoretus, & Socrates narrant, possint cum Liberii lapsu conciliari; inquit enim Lib. IV. *Hist. Eccl*, cap. 11. *Ubi vero Imperator Romam ingressus est, populus crebris acclamationibus interpellare eum pro Liberio non destitit, & rogare, ut ipsi restitueretur:* quibus verbis Socrati, & Theodoreto consentit. Sed postea idem Sozomenus addit: *Itaque Imperator adhibitis in consilium Episcopis, qui cum ipso erant* (sine dubio Semiarianis) *respondit, revocaturum se illum, & petentibus redditurum esse, si Sacerdotibus, qui in ipsius erant comitatu, consentire vellet*. Cap. autem 15. historiam Liberii prosequens, refert, eum fuisse ab Imperatore Sirmium evocatum, ibique compulsum, *ut Filium non esse Patri consubstantialem* fateretur, ac formulæ in dedicatione Antiochenæ Basilicæ editæ consentiret; ac concludit: *quibus confectis Imperator Romam redeundi potestatem Liberio concessit*.

144. Fatendum est tamen, tantam non esse Sozomeni auctoritatem, ut ex ea invictum trahatur prævaricationis Liberii argumentum: ejus enim *historiam Sedes Apostolica non suscipit, quoniam multa mentitur*, merito dicebat Sanctus Gregorius Magnus Lib. IV. epist. 31. Neque videtur Sozomenus eorum, quæ in tanta rerum perturbatione ante integrum quasi sæculum contigerant, plene instructus. Ut cum narrat ibidem, Episcopos, qui Sirmii convenerant, scripsisse ad Felicem, & ad Clerum Romanum, ut Liberium susciperent, qui simul cum Felice eam Ecclesiam gubernaret.

145. Sozomeno consentiunt etiam Faustinus, & Marcellinus Luciferiani in *præfat. ad libellum precum ad Imperatores*, ubi inquiunt: *Constantius* pro Liberio rogatur a populo, qui mox annuens ait: *habetis Liberium, qui qualis a vobis profectus est, melior revertetur*. *Hoc autem de consensu ejus, quo manus perfidiæ dederat, indicabat* (c). Sed nec istorum Schismaticorum testimonium tanti est ponderis, ut ad tam gravem accusationem Liberio intentatam comprobandam sufficiat. Ceterum in eadem præfatione dicitur, Li-

(a) Ita Theodoretus exilium, & reditum Liberii describit. *Gloriosus veritatis athleta in Thraciam, uti præceptum fuerat, perrexit. Elapso autem biennio Constantius Romam profectus est. Senatorum vero, & honoratorum conjuges a viris suis petierunt, ut Principem adirent, rogarentque, ut pastorem gregi suo redderet; addentes, nisi hoc ab ipsis impetrarent, discessuras se ab illis, & ad magnum illum pastorem migraturas. At illi iram Principis se reformidare dixerunt; nobis enim, ajebant, utpote viris, nullam fortasse veniam indulgebit; vobis autem rogantibus proculdubio parcet; duorumque alterum eveniet, ut aut precibus vestris annuat, aut si obnuerit, saltem illæsas dimittat. Hoc consilium complexæ præstantissimæ fœminæ cum solemni cultu, atque ornatu Imperatorem adierunt, ut eum ex veste eas nobiles esse conjecisset, reverentia, ac lenitate ipsas exciperet. Sic igitur ornatæ cum ad Imperatorem venissent, suppliciter ob eo petierunt, ut tantæ urbis pastore suo orbatæ, & luporum insidiis expositæ misereretur. Ille vero matronis respondit, urbem alio pastore non egere: habere enim antistitem idoneum, qui ipsius curam gerat, quippe post magnum Liberium ordinatus fuerat quidam ex ejus diaconis, Felix nomine, qui formulam fidei a Nicænis Patribus expositam integram quidem, ac inviolatam servabat, cum iis tamen, qui eam labefactabant, libere communicabat. Atque ob hanc causam nemo ex civibus Romanis in Ecclesiam ingressus est, cum ille intus esset. Idque tum mulieres illæ Imperatori suggesserunt. Flexus itaque Imperator egregium illum, omnique laude dignissimum ab exilio redire jussit, ambos vero in commune Ecclesiam administrare. Hæc Imperatoris epistola cum in circo recitata esset ... omnes una voce acclamarunt, unus Deus, unus Christus, unus Episcopus ... Post has christianissimæ plebis acclamationes pietate, & justitia plenas reversus est admirandus ille Liberius, Felix vero recedens ad aliam urbem se contulit*. Hæc cum lapsu Liberii nulla ratione conciliari possunt.

(b) Nam in Lib. II. cap. 1. postquam dixisset, se nonnulla ex Ruffino, nonnulla ex iis, qui adhuc supererant, collegisse, ita subdit: *postea vero cum Athanasii libros nacti essemus, in quibus ille suas calamitates deplorat ... satius esse duximus ei, qui mala ipsa perpessus esset, & iis, qui rebus gestis interfuissent, fidem adhibere, quam iis, qui res conjectura tantum assecuti* &c. Nihil igitur de Liberii lapsu apud S. Athanasium, aliosque, qui rebus interfuerant, invenerat.

(c) Hanc perfectionem ut spuriam rejicit Tillemontius cum Criticis. Sed eam genuinam esse ostendit Alexius Simm. Mazochius in Volum. II. *Commentar. in Kalend. Ecclesiæ* Neapolit. pag. 581.

Liberio in urbem redeunti *populum Romanum cum gaudio ivisse obviam*; quod sane, ut superius num. 141. observavimus, incredibile foret, si Liberius turpiter Arianis victas manus dedisset.

146. Alterum pro Liberii defensione argumentum trahitur ex silentio S. Phæbadii, Sulpitii Severi, Sancti Epiphanii, aliorumque, qui cum multa de Arianorum violentia narrent, potissimum autem de infelici Osii Episcopi Cordubensis lapsu, altum tamen habent de Liberii prævaricatione silentium (a).

147. At vero quis non videat, argumentum hoc esse negativum, & non magni ponderis, etiamsi ipsi non opponantur argumenta positiva? Suspicari enim non immerito quis poterit, laudatos Scriptores ex pio charitatis affectu tantum summi Sacerdotis crimen silentio premere voluisse; præcipue cum postea pœnitentia, atque egregiis factis tam fœdam maculam abstersisset; præcipue quando Concilium Ariminense improbavit, ut S. Damasus testatus est. Vid. supr. num. 110. Videtur quidem obstare exemplum Osii, cujus turpissimum lapsum iidem Scriptores non siluerunt, ac præcipue Sanctus Epiphanius *Hæresi* 73. Verumtamen aliquod est discrimen; nam primo meritis, & dignitate Osius erat Liberio multo inferior: deinde de Osii resipiscentia non tam certo constat, sicut de præclaris Liberii gestis post suum reditum (b). Ut ut autem hæc sint, silentium illorum auctorum probabile quidem aliquod, non autem certum innocentiæ Liberii argumentum suppeditare potest.

148. Tertium argumentum ad purgandum Liberium a prævaricationis criminatione ex eo desumi solet, quod Apostolicam suam Sedem in pace usque ad mortem servaverit, etiam postquam Ariminensi Concilio reprobato omnem communionem cum Arianis abrupit. At vero, si nonnisi pretio perfidæ prævaricationis fuisset a Constantio suæ Sedi restitutus, incredibile prorsus est, non fuisse iterum ab eodem Constantio e sua Sede exturbatum, tamquam fœdifragum.

149. Sed primo, certumne undequaque est, Liberium post suam revocationem Romæ in pace semper sedisse? Non desunt, qui credant, debuisse eum in suburbiis latitare (c). Deinde an non potuit Constantius hanc secundam Liberii inobedientiam dissimulare? Præsertim cum non constet, aliquam persecutionem fuisse motam contra Patres Ariminenses, qui male factam subscriptionem revocarunt. Nec Constantius diu supervixit; mortuus est enim mense Novembri anni 361.

150. Accedunt demum in defensionem Liberii multa laudum præconia, quibus fuit a Sanctis Patribus, Ambrosio (Lib. III. *de Virgin.* cap. 1.), Epiphanio (*Hæresi* 75. n. 2.), Siricio Romano Pontifice (in epist. ad Himerim), & Basilio (epist. 74.) celebratus.

151. Verumtamen, etiamsi Liberius fuisset lapsus, has omnes laudes promeritus est propter ea, quæ ante lapsum, & post resipiscentiam egregia præstitit. Sane de lapsu Vincentii Capuani nemo dubitat, dum in Concilio Arelatensi violentia Arianorum damnationi Sancti Athanasii subscripsit, & tamen Damasus Papa (apud Theodoretum Lib. II. *Histor. Eccles.* cap. 22.) eum scribit *Sacerdotium illibate* servasse. Quæcumque igitur pro defensione Liberii afferri solent ad probandum, commentitium esse ipsius lapsum, non videntur omnino, & plene rem evincere.

152. Sed neque invicta sunt ea momenta, quæ ad probandum Liberii lapsum tum in condemnando Sancto Athanasio, tum in acceptanda Sirmiensi fidei formula, ac denique in communione ineunda cum Arianis afferri solent. Et primum quidem argumentum suppeditat auctoritas Sozomeni, qui in Lib. IV. *Histor. Ecclesiast.* cap. 15. narrat, Liberium Beræa Imperatore Sirmium accersitum compulsum fuisse, *ut Filium Patri non esse consubstantialem profiteretur*, atque ut approbaret libellum quemdam, in quo continebantur decreta Sirmii facta contra Paulum Samosatensem, & contra Photinum, *ac præterea fidei formulam in dedicatione Antiochensis Basilicæ editam*. Vid. num. 143.

153. Sozomeni vero non tanta est auctoritas, ut ei indubiam fidem præstemus, etiam quando ea narrat, quæ ab aliis gravioribus, & antiquioribus silentur; ut sunt ea, quæ scribit de Liberio Sirmium accersito, de libello, in quo omnia decreta Sirmiensia continebantur, ac de fidei formula in dedicatione Basilicæ Antiochensis confecta. Solus etiam ibidem nobis refert, Episcopos illos, qui Sirmium convenerant, scripsisse ad Felicem, qui tunc Romanæ Ecclesiæ præsidebat, & ad Clerum ejusdem civitatis, ut Liberium susciperent, *utque ambo Apostolicam Sedem gubernarent, & simul sacerdotio fungerentur absque ulla dissensione*. Addit postea, Felicem modico tempore supervixisse, & Liberium solum Ecclesiam admi-

(a) Sanct. Phæbadius medio IV. sæculo in Galliis florebat, & Concilio Ariminensi interfuit. Tractatum edidit contra Arianos, qui habetur in Tomo IV. *Biblioth. max. Ss. Patrum* Lugdun. ejusque meminit S. Hieronymus in *Catal. Scriptorum* cap. 108. Illud fuit a S. Phæbadio de Osio jam lapso præclare dictum: *Si 90. annis male credidit, post 90. illum recte sentire non credam*. Lacrymabilem Osii prævaricationem etiam describunt Sulpitius Severus Lib. II. *Hist. Sacræ*, & S. Epiphanius *Hæresi* 73.

(b) Quod enim pro Osii resipiscentia ex *Historia Arian.* S. Athanasii num. 45. suspectum est, cum hæc historia ante Osii lapsum conscripta fuerit. Quod autem affertur ex S. Augustino Lib. I. *contra epist. Parmeniani* cap. 4. potius probat innocentiam, quam resipiscentiam Osii. Sed de Osio in cap. seq.

(c) Baronius ad annum 359. n. 46. ex Socratis, Sozomeni, & Ruffini auctoritate, tum etiam ex actis ejusdem Liberii conatur evincere, Liberium fuisse iterum Urbe pulsum: sed acutiores Critici Baronio repu-

nistrasse; quod divinæ providentiæ tribuit, *ne Sedes Petri dehonestaretur a duobus Præsulibus gubernata; quorum discordiæ signum, & ab Ecclesiasticis legibus alienum est*; quæ omnia vel aliis scriptoribus gravioribus repugnant, vel saltem nota non erant (a).

154. Aliud prævaricationis Liberii fortius argumentum nobis exhibent ejusdem Liberii epistolæ in *Fragmentis* Sancti Hilarii, quas Baronius *in Collectione Cresconiana* invenit, & cum duobus antiquis codicibus manuscriptis accuratissime contulit. In his enim epistolis Liberius fatetur se Athanasium a sua communione separasse. Iniisse autem communionem cum Orientalibus, ut eorum precibus ab Imperatore Constantio facultatem revertendi Romam impetraret. Porro iis epistolis adeo commotus fuit Sanctus Hilarius, ut sibi temperare non potuerit, quin ter anathema Liberio prævaricatori diceret *Fragm*. VI. num. 6.

155. At vero neque hoc argumentum, quod prima fronte decretorium videri potest, multum ponderis habet, si consideremus, opus *Fragmentorum* esse admodum interpolatum, & primam Liberii epistolam in iis contentam pluribus, gravibusque Criticis videri adulterinam, atque ab Arianis confictam, quod non levem suspicionem præbet, etiam ceteras ex eadem officina prodiisse. Certe harum epistolarum nulla habetur mentio apud Athanasium, Hilarium, Sulpitium Severum, Socratem, Sozomenum, Theodoretum, ceterosque veteres Scriptores.

156. Porro trinum illud anathema ab Hilario in *Fragmento* VI. dictum Liberio, aliena manu insertum judicant Critici doctissimi, ut Baronius (ad annum 357. num. 50. & seq,), Natalis Alexander (Dissert. 32. in sæcul. IV. art. 1.), & editores Benedictini (in nota ad hunc locum). Et sane cum Fragmentorum opus editum fuerit, postquam Liberius omnem pristinæ ignaviæ, si quam admiserat, labem deterserat (ut editores Maurini probant in præfat.) non est verisimile, voluisse Sanct. Hilarium tam crudeliter Liberio, postquam resipuerat, insultare, aut saltem nullam ejus resipiscentiæ mentionem facere (b).

157. Difficilior quidem, fateor, explicatu est alter locus Sancti Hilarii certe genuinus ex Libro adv. Constantium num. 21., ubi ita Imperatorem alloquitur: *Vertisti usque ad Romam bellum tuum: eripuisti illinc Episcopum* (Liberium), *& o te miserum, qui nescio utrum majore impietate relegaveris, quam remiseris!* Quæ verba in naturali, & obvio sensu violentiam significant, qua Imperator Liberium ad prævaricandum adegit.

158. Qui tamen Liberium defendunt, statim reponunt, Sanctum Hilarium dubitanter dixisse: *nescio utrum* &c., quia de Liberii lapsu fortasse incertus erat; vel etiam digitum intendisse ad illas Constantii litteras, quibus Liberium una cum Felice in Romana Petri cathedra sedere jubebat. Vide supra num. 141. not.

159. Tertius, isque omni exceptione major Liberii prævaricationis testis est Sanctus Athanasius, qui tum in *Apologia contra Arianos* in duobus extremis paragraphis 89. & 90., tum etiam apertius in *Historia Arianorum ad Monachos* num. 41. Liberium post biennale exilium fuisse demum violentia Arianorum fractum, vehementer dolet.

160. Hoc certe argumentum esset plane demonstrativum, nisi plane ad evidentiam constaret, hæc duo S. Athanasii opera ante annum 357. quo communiter statuitur Liberii lapsus, fuisse conscripta; quo fit, ut loca illa aliena manu intrusa videantur; præcipue, quia etiam sensum, & colligationem rerum præcedentium perturbant. Apologia contra Arianos non diu post annum 349. scripta creditur a doctissimis operum S. Athanasii editoribus in Admonitione illi præmissa.

161. Historia vero *Arianorum* iisdem quidem PP. Maurinis scripta videtur circa annum 358., sed non alia de causa, nisi quia in illa mors Osii

gnant. Vide-sis Tillemontium in Tom. VI. *Monument. Histor. Ecclesiast.* art. 84. nota 69. qui tamen non impossibile reputat, quod Baronius ipse, Blondellus, aliique crediderunt, Liberium in cæmeterio Sanctæ Agnetis usque ad mortem Constantii delituisse.

(a) Harmias Sozomenus suam historiam quasi integro sæculo postea conscripsit; cum enim in præfat. promittat, se eam perducturum usque ad consulatum XII. Theodosii Junioris, cui eam nuncupaverat, hoc est usque ad annum 439., apparet, nonnisi hoc tempore eum manum operi admovisse. Illam historiam multis scatere mendis observavit D. Coussin, & fuisse etiam a Sede Apostolica rejectam supra notavimus num. 144. Nicephorus quidem Callistus Sozomeno, quem exscripsisse videtur, consentit. Sed Nicephorus non floruit, nisi multo serius, videlicet Sæculo XIV., & non immerito a Casaubono appellatus fuit *fabularum auctor*.

(b) Totum *Fragmentorum* opus non esse Sancti Hilarii, sed incertæ ætatis auctoris, opinatus est Ellieus Dupinius Tom. II. *Bibliothecæ*. Card. autem Perronius in *Replica ad Regem Britanniæ* illud alteri Hilario Luciferiano adscribit. Ruffinus in Tract. *de adulteratione librorum Origenis* apud Sanct. Hieronymum Tomo IX. illud opus ab Arianis interpolatum fuisse dicit, ut nec Hilarius quidem posset illud agnoscere. Notant tamen eruditi Maurini in præfat., num. 8. multa a Ruffino afferri aperte falsa. Vid. Rem. Caillier *Hist. des Auteurs eccles.* Tom. V. cap. I. art. 9. Primam vero epistolam Liberii fragmentis illis contentam ut suppostitiam rejiciunt Critici peritiores, Baronius ad annum 352. num. 13., Dupinius Tom. II. *Biblioth.* Bern. Monfauconius Tom. II. *Collectionis novæ Patrum* animadv. 20. in S. Athanasium, Petrus Constantius Tom. I. *epistol. Roman. Pontificum* in append. pag. 94., laud. mox Rem. Ceillier pag. 494. Editores Maurini in nota, Justus Fontaninus in *Hist. Litter. Aquilejensi* Lib. III. cap. 1. num. 5. atque etiam Cavens in *Hist. litter.*, ubi de Liberio. An idem judicium de aliis ejusdem Liberii epistolis ferri debeat, non facile dixerim.

sii commemoratur; quæ sub finem anni 357. contigit. Valesius tamen eam historiam scriptam fuisse censet ante annum 356.; quia in illa Leontius Antiochenus Episcopus, ut vivus commemoratur, qui teste Socrate Lib. II. *Hist. Eccl.* cap. 37. anno 356. obiit. Quod etiam colligitur ex chronologia Nicephori, qui Leontium octo annis Antiochiæ sedisse scribit; hoc est usque ad annum 356.; nam anno 348. Stephano successerat. Idem sentiunt Baronius ad annum 356. & Petavius in animadvers. ad *Hæresim* 73. Sancti Epiphanii.

162. Haud me latet, præter editores operum S. Athanasii supra memoratos, etiam Bollandianos (Tomo IV. Julii), aliosque putare, Leontium nonnisi anno 357., vel sequenti e vivis excessisse. Video tamen totum eorum argumentum ex hoc loco Sanct. Athanasii desumi; qui locus si aut aperte adscititius, aut dubius saltem esse dicatur, totum eorum Chronotaxis fundamentum corruit. Sane, cum Socrates quæ de Arianis in sua historia habet, se ab Athanasii scriptis hausisse fateatur, ut supra num. 142. in not. innuimus, nihilque habeat de Liberii prævaricatione, aut de Osii resipiscentia, haud temere asseritur, nihil tale in operibus S. Athanasii tunc extitisse.

163. Dices. Philostorgius Libro IV. c. 4. Leontii mortem post Osii, & Liberii lapsum commemorat.

164. Resp., hunc Scriptorem non semper chronologicum ordinem accurate servare, sed quandoque rerum seriem sequi. Speciminis locus sunt quæ habet Lib. II. cap. 10., ubi agit de morte Alexandri Antistitis Constantinopolitani, quæ contigit post annum 340. & seq. capite refert obitum alterius Alexandri Episcopi Alexandrini, qui multo antea acciderat, scilicet ipso anno Concilii Nicæni 325. exeunte.

165. Dices iterum. Potuit ipse S. Athanasius hæc loca supplere in utroque opere, cum utrique diu supervixerit.

166. Resp., idem quidem fieri potuisse, sed hoc non sufficit, ut firmum argumentum inde trahatur, reipsa S. Athanasium hæc de Liberio scripsisse, unde res dubia ex hoc capite remanet. Addo cum Cardinali Ursio (*Hist. Eccl.* Lib. XIV. num. 72.), si hæc fuissent a S. Athanasio post rerum eventus addita, posse eundem Sanctum mendacii argui, cum addit num. 43.; Osium persecutione potuisse quidem induci, ut cum Valente, & Ursacio communicaret, non tamen ut *subscriberet contra Athanasium*: quod postremum cum aliis monumentis de Osii prævaricatione pugnat.

167. Quartus contra Liberium gravissimus testis adducitur S. Hieronymus, qui Romæ sub Damaso Liberii successore diu commoratus est, ac proinde rem hanc tam celebrem, & non ita pridem in publica luce gestam ignorare non poterat. Liberii autem infandam prævaricationem, ut indubiam, omnibusque notam semel, atque iterum memorat (*a*).

168. Sed neque hoc testimonium censeri debet omni exceptione majus. Nemo enim in historia aliquanto versatus ignorat, viros etiam eruditissimos, & sanctissimos fuisse a calumniatoribus aliquando deceptos. Hoc autem multo facilius turbulentis iis temporibus contingere potuit, quibus Ariani, & Semiariani omnia susdeque miscebant. Sane magnus ille Ecclesiæ Doctor deceptus est, dum in *Chronico* scripsit, S. Cyrillum Jerosolymitanum Arianis consensisse. Nam orthodoxiæ S. Cyrilli certissimum testimonium reddunt Sanct. Hilarius (in Libro *adv. Constantium* num. 17.), Athanasius (in epist. *ad Solitarios*), Epiphanius (*Hæresi* LXIX. n. 12.), & Ambrosius (in *Orat. de Obitu Theodosii* n. 40.). Ex quo solo exemplo liquet, potuisse S. Hieronymum falsis Semiarianorum rumoribus decipi.

169. Quintum contra Liberium testimonium depromitur ex vita S. Eusebii Confessoris, de quo in Martyrologiis Adonis Viennensis, & Notheri ad diem XIV. Augusti hæc habentur: *Romæ Depositio S. Eusebii Episcopi & Confessoris, qui præsente Constant. Imperatore Ariano, cum fidem catholicam constantissime defenderet, & Liberium Papam Arianæ perfidiæ consensisse doleret, jubente eodem Constant. includitur in quodam cubiculo domus suæ, &c.*

170. Sed, ut bene Tillemontius observavit in Tomo IV. *Monumentorum pro historia ecclesiastica* art. 75., Ado, & Notkenus apocryphis S. Eusebii actis decepti sunt. In eo etiam manifeste peccant, quod hunc Eusebium Episcopum faciunt, cum Presbyter tantummodo fuerit; unde etiam in Martyrologio Romano editionis a Benedicto XIV. auctæ, & emendatæ die 14. Augusti nonnisi Presbyteri titulo decoratur, neque de eo refertur, quod *Liberium Papam Arianæ perfidiæ consensisse doluerit* (*b*).

171.

(*a*) In *Catalogo Scriptorum ecclesiast.* cap. 97. de Fortuniano Episcopo Aquilejensi hæc notat: *In hoc habetur detestabilis, quod Liberium Rom. Urbis Episcopum pro fide ad exilium pergentem primus sollicitavit, ac fregit, & ad subscriptionem hæreseos compulit*. In Chronico autem ad annum 352. Tomo VIII. *Liberius*, inquit, *tædio victus exilii in hæreticam pravitatem subscribens, Romam quasi victor intravit*. Quamquam eruditissimus P. Thomas M. Mamachius epist. 4. *de ratione temporum Athanasianorum* nota 3. ad num. 25. pag. 333. nos monet, *in vetustissimo Chronici Hieronymiani codice, qui extat inter codices Reginæ Vaticanos, lapsus Liberii ne vestigium quidem existere*.

(*b*) Baronius ad annum 357. num. 58. Eusebium Presbyterum a ministris Constantii carceri fuisse inclusum scribit, quod Liberio suæ sedi restituto communicare nollet, sed Felici Antipapæ adhæreret. Acta S. Eusebii prostant apud Baluzium Tomo II. *Miscellaneorum* pag. 241. plena anachronismis, & absurditatibus.

171. Denique pro magno argumento prævaricationis Liberii afferri solet vulgaris pene omnium, tam veterum, quam recentiorum opinio, Liberium exilii tædio fractum Constantio Imperatori turpiter cessisse: cui opinioni, quam vetustissimam esse nemo inficiari potest, neino ex veteribus, quod sciam, unquam refragatus est, & Liberium ab hac calumnia vindicandi provinciam assumsit. Unus fortasse ex antiquis Scriptoribus Ruffinus dubitare hac de re visus est, scribens (L. I. *Hist. Eccl.* cap. 27.): *Liberius urbis Rom. Episcopus Constantio vivente regressus est. Sed hoc utrum quod acquieverit voluntati suæ ad subscribendum, an ad populi Romani gratiam, a quo proficiscens fuerat exoratus, indulserit, compertum non habeo.*

172. Profecto hoc argumentum minime contemnendum mihi videtur; non tamen sufficit, ut Liberii lapsum sine ulla dubitatione defendamus. Plura enim præsto sunt exempla communium, & vulgarium opinionum, quæ postea falsitatis convictæ, & rejectæ fuerunt.

173. Concludo, rem hanc esse valde obscuram, & ambiguam. Cum autem agatur de teterrima nefandæ prævaricationis nota, profecto neque justitia, nec, quam debemus S. Petri Apostoli successoribus, reverentia patitur, ut ea tanto Pontifici de fide Nicæna, atque de Ecclesia optime merito sine certis, gravibusque momentis irrogetur (*a*).

CAPUT VI.

De lapsu Osii Cordubensis Episcopi.

174. Osii nomen græca lingua ὅσιος idem est, ac *sanctus:* unde S. Athanasius eum frequenter appellavit *Hosium*, idest vere *sanctum* (*b*). Hispanus fuit, & Cordubensis civitatis Episcopus; quam Ecclesiam plusquam 60. annos sanctissime gubernavit, usque ad annum 357., quo *centenario major*, ut scribit Sulpitius Severus Lib. II. *Hist. Sacræ* c. 55., obiisse creditur.

175. Innumera sunt elogia, quibus a Sanctis Patribus celebratus fuit; tum propter invictam Fidei confessionem in persecutione Maximiani, cujus insignia in corpore suo portabat; tum propter zelum singularem in defensione Fidei orthodoxæ contra Arianos; tum quia magnæ Synodo Nicænæ, ac nonnullis aliis præfuit; tantamque sibi in Ecclesia peperit existimationem, ut *Pater Episcoporum* appellari meruerit a S. Athanasio in *Historia Arianorum ad Solitarios*. Sed præstat ea breviter expendere, quæ in causa Arianorum fecit, & passus est.

176. Magnum ille erat Nicænæ fidei columen, propterea contra illum furentium Arianorum machinæ potissimum directæ fuerunt. Parsuaserunt itaque Constantio Imperatori, ut eam quoquo modo vinceret, atque ad suas partes pertraheret. *Nihil non egimus*, inquiebant: *Romanum Episcopum in exilium ablegavimus; & ante illum permultos alios Episcopos; omnia loca formidine replevimus: Sed nihil nobis tanta tua gesta juvabunt, quamdiu Osius illæsus remanserit.* Hæc & alia multa Constantii auribus insusurrabant Ariani, quibus auditis Imperator Osio quamvis extrema senectute jam pene confecto, jussit, ut se Mediolani conveniret, & precibus, atque blanditiis eum sollicitavit, ut Athanasium damnaret, & cum Arianis communionem iniret. Sed Osius intrepide restitit, & tandem ab Imperatore impetravit, ut posset ad suam sedem remigrare.

177. Non acquieverunt tamen Ariani, atque iterum Imperatorem concitarunt, ut datis ad Osium litteris, denuo ejus invictam constantiam tentaret; atque ea occasione Osius celebrem illam epistolam Sacerdotalis fortitudinis plenam Constantio scripsit, quam nobis S. Athanasius integram servavit. In ea enim ecclesiastica libertate ita Imperatorem alloquitur: „ Desine talia scribere, ac cum Ario „ ne sentias, nec Orientales audias, nec Ursacio, „ ac Valenti habeas fidem; nam quæ effutiunt „ illi, non Athanasii causa, sed hæresis suæ gratia loquuntur. Crede mihi, Constanti, qui per „ ætatem avus tuus esse possim... Desine quæso „ te, & memento, te mortalem hominem esse: „ time judicii diem, teque ipse innoxium ad eum „ diem custodias. Ne te rebus misceas ecclesiasticis, nec nobis his de rebus præcepta mandes; sed a nobis potius hæc ediscas. Tibi Deus „ imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit. Ac quemadmodum qui tibi imperium surripit, Deo ordinanti repugnat; ita metue, ne „ si ad te ecclesiastica pertrahas, magni criminis „ reus fias. Reddite, scriptum est, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Neque „ no-

(*a*) Prius, ut supra diximus, Liberium ab omni prævaricationis nota liberare tentavit cl. Georgius Svessionensis Ecclesiæ Canonicus edita gallica *Dissertat. critica, & historica de Papa Liberio* Parisiis anno 1736. recusa. Eum secutus est Card. Orsius in sua *Hist. Eccl.* Tomo VI. Lib. XIV.; postea P. Franc. Ant. Zaccaria in Dissert. *de commentitio Liberii lapsu* addita appendici Tom. II. *de theol. dogmat.* Dion. Petavii edit. Venetæ anni 1757. P. Jo. Stiltingius in *Actis Sanct.* Tom. VI. mensis Septembris ad diem 23. ac demum Josaphat Massari Congreg. Matris Dei in Dissert. *Historico-critica* Romæ 1778. in 4. Legi etiam possunt, si lubet, *Animadversiones*, quas ego addidi *Dissert. Historico-theol. de non commentitio, eoque gemino, sed excusato lapsu Liberii R. P.* cl. P. Hermanni Scholliner Ord. S. Benedicti ed. Vienn. ann. 1776.

(*b*) Nos communem fere usum sequemur, scribendi nomen *Osii* sine aspiratione, & cum simplici, quanquam Petrus Constantius monet in antiquis libris reperiri scriptum *Ossius* cum duplici s. Græci adhibent aspirationem propter vocem ὅσιος quæ significat *Sanctum*. Sed nomen *Osii* non est ab illa voce græca desumptum.

„ nobis igitur terræ imperare licet, neque tu adolendi habes potestatem. Hæc, quod tuam curem salutem, scribo. Quod vero res spectat, de quibus scripsisti, ecce meam sententiam: Arianis minime adjungor, imo eam hæresim ferio anathemate: nec contra Athanasium scribam, quem nos, & Romana Ecclesia, imo tota Synodus, insontem declaravit .... Desine, quæso te, & mihi obtempera, Constanti; hæc enim & me decet scribere, & te non vilipendere. " Felix, si tanti Pontificis monitis auscultasset Constantius, non tantam Ecclesiæ, & sibi ipsi perniciem intulisset.

178. Sed ille his litteris nihil placatior factus venerandum, ac jam decrepitum senem ex Hispania usque Sirmium, urbem Pannoniæ tunc admodum claram, 700. & amplius leucis distantem, venire jussit, ibique anno integro detinuit; *nec Deum metuens impius homo, neque Patris* (Constantini) *erga Osium affectum reveritus improbus ille, neque senectutem* (*centenarius quippe erat*)*, veneratus, vir inhumanus ... Tantam enim seni vim intulit, tandiuque illum detinuit, ut malis oppressus, vix tandem cum Valente, & Ursacio communicaret, neque tamen subscriberet contra Athanasium*. Verba sunt S. Athanasii in laud. epist. ad Solitarios n. 45.

179. Similia de Osio scribit Socrates Lib. II. *Hist. Eccl.* cap. 31. inquiens: *Hic per insidias Arianorum paulo ante in exilium pulsus fuerat. Tunc vero studio, atque impulsu eorum, qui Sirmium convenerant, Imperator illuc eum evocavit, volens, ut vel sponte, vel coactus cum Episcopis, qui aderant, consentiret. Hoc enim facto, illorum fidei maximum testimonium videbatur accedere. Hanc igitur ob causam, necessitate compulsus, ut dixi, adfuit invitus. Sed cum ille consentire renueret, verbera, & tormenta inflixerunt seni: itaque vi, & necessitate adactus editis tum fidei expositionibus consensit, atque subscripsit.*

180. Sozomenus etiam Lib. IV. *Hist. Eccl.* cap. 6., postquam varias fidei formulas Sirmii confectas retulisset, hæc addit: *Osius vero initio quidem istis consentire detrectabat; postea vero vi compulsus, & verbera, ut fama est, perpessus, vir decrepita ætate, consensit tandem, ac subscripsit.*

181. Deplorabilem Osii lapsum ut certum habuisse videntur sancti Epiphanius, & Phæbadius. Primus enim *Hæresi* LXXIII. de Arianis loquens, *Ecclesiam*, inquit, *condemnare se posse putarunt iis litteris, quas ab venerabili Episcopo Osio per fraudem abstulerunt, in quibus dissimilis essentia legitur*. Alter vero Arianis de Osii societate mire triumphantibus ita respondet (Biblioth. Sanct. Patrum Tom. IV.): *Non potest ejus auctoritate præscribi, quia aut nunc errat, aut semper erravit. Novit enim mundus, quæ in hanc tenuerit ætatem, qua constantia & in Nicæno Tractatu assensus sit, & damnaverit Arianos. Quid, si diversa nunc sentit, & quæcumque ab eo retro damnata fuerant, defenduntur, quæ defensa damnantur? Rursus dico, non mihi ejus auctoritate præscribitur. Nam si nonaginta fere annis male credidit, post nonaginta illum recte sentire non credam.*

182. His tamen, aliisque similibus testimoniis non obstantibus, sunt qui nefandam adeo venerabilis, ac celeberrimi hujus Episcopi prævaricationem non omnino certam credant. Sane de ea se dubium fuisse innuit Sulpitius Severus, scriptor in his rebus magnæ auctoritatis, utpote fere coævus. Nam in Lib. II. *Hist. Eccl.* num. 40. ita scribit: *Osium quoque ab Hispania in eamdem perfidiam* (Arianam) *concessisse, opinio fuit; quod eo mirum, atque incredibile videtur, quia omni fere ætatis suæ tempore constantissimus nostrarum partium, & Nicæna Synodus auctore illo confecta habebatur: nisi fatiscente ævo, etenim major centenario fuit, ut S. Hilarius in epistolis refert, deliraverit.*

183. Ulterius S. Athanasius supra relatus num. 178. non dicit, Osium fuisse formulæ Sirmiensis auctorem, vel approbatorem, sed tantummodo eum *malis oppressum vix tandem cum Valente, & Ursacio communicasse, neque tamen subscripsisse contra Athanasium*. Porro crimen longe minus erat contra Athanasium subscribere, quam fidem Nicænam prodere. Quamobrem fortasse tota Osii prævaricatio in communione cum Ursacio, & Valente sita fuit. Sed postea S. Athanasius addit hæc memoranda verba: *Sed eam rem minime neglexit senex: instante quippe morte vim sibi illatam, quasi testamento declaravit, Arianamque hæresim feriit anathemate, vetuitque, ne quis illam reciperet*. In *Apologia* item *contra Arianos* num. 89. de Osio loquens, illum *ad breve tempus Constantii minis perterritum non obsistere visum fuisse*, & quod propter senectutis infirmitatem plagas non ferret, *ad tempus cessisse*, dicit. Denique in *Apologia de fuga sua* n. 5., postquam laudes magni Osii de more celebrasset, ita pergit: *Hunc tamen tantum virum vexare ausi sunt: gnarus quippe cum esset earum, quas impietatis suæ causa confingunt, calumniarum, insidiosis adversus nos rescriptis, subscribere noluit. Quamvis enim tandem ob vim plagarum, quibus suum corpus immanissime, & ultra modum lancinarunt, & ob conspirationes adversum cognatos ejus conflatas, utpote senex, ac corpore imbecillus, ad quoddam temporis spatium illis cesserit* &c. Quibus in locis ita obscure Osii lapsum describit, ut ferme videatur illum restringere ad solam cum Valente, Ursacio, aliisque Arianis communionem. Sed ulterius non sine causa dubitari potest, an S. Athanasius in laud. tribus Operibus (*Hist. Arian. ad Monachos*, *Apologiæ cont. Arianos*, & *Apol. de fuga sua*) Osii lapsum memorare potuerit;

ut.

ut enim supra observatum est num. 260. seq., hæc omnia scripsit S. Athanasius, antequam Liberius, aut Osius prævaricari potuerint. Sane prodigii loco est, Theodoretum, qui ea, quæ ad historiam Arianorum pertinent, ex S. Athanasio mutuatus est, imo postremum locum ex *Apologia de fuga sua* a nobis allegatum capite decimo quinto Libri II. inseruit, nihil prorsus habere de lapsu ac de resipiscentia Osii, perinde ac si hæc in operibus S. Athanasii non reperisset, ut proinde solum sequentibus temporibus addita sint (a).

184. Accusator vero Osii indubius, & quidem acerrimus, esse videtur S. Hilarius, qui sæpius, & nunquam sine execratione de Osio loquitur. Nam in libro *de Synodis* num. 11. formulam secundam Sirmiensem, in qua negatur Filium esse Patri ὁμοούσιον, imo & ὁμοιούσιον vocat *blasphemiam apud Sirmium per Osium, & Potamium conscriptam*, & alibi *Osii deliramentum;* quasi Osius una cum Potamio Episcopo Ulyssiponensi fuerit ejusdem formulæ auctor. Deinde num. 63. dicit, per eumdem Osium *immemorem gestorum suorum, atque dictorum, novæ, & tamen jamdiu suppuratæ impietatis doctrinam prorupisse*. Postea hæc subdit: *Sed de eo nil loquor, qui idcirco est reservatus, ne judicio humano ignoraretur, qualis antea vixisset*, perinde ac si jam antea interne corruptus fuisset, atque interiorem impietatem externo pietatis fuco occultasset. Difficile nimirum videbatur S. Hilario, hominem vere catholicum, & pium, potuisse in tam detestabile crimen subito prolabi.

185. Verumtamen hic fraudes, & calumniæ Arianorum timendæ sunt; quas S. Hilarius longe distans non tam facile detegere potuit. Inanes siquidem illi canebant triumphos de expugnato hoc fidei athleta. Cum autem notum sit, eos fuisse in hac calumniandi arte valde peritos, ut constat vel ex iis solis, quæ contra S. Athanasium egerunt, non immerito suspicari possumus, ab iisdem fuisse prævaricationem Osii aut omnino confictam, aut admodum exaggeratam; ut si ex. gr. Osius cum ipsis communionem iniisset, quantum ad personas, illi spargere facile potuerunt, eum consensisse etiam blasphemiæ eorum doctrinæ; imo ipsum fuisse auctorem improbissimæ illius formulæ, in qua non solum consubstantialitas, sed etiam similitudo Filii cum Patre negabatur.

186. Ceterum etsi Osii lapsum inficias ire nolimus, vix tamen aliquis Hilario concedet, Osium fuisse infamis illius formulæ auctorem, ac multo minus Episcopum tot; tantisque præconiis celebratum usque ad extremam senectutem, impium fuisse hypocritam, ejusque internam impietatem tandem aliquando detectam. Profecto nec ipsi Ariomanitæ, quamvis Osium, utpote fidei Nicænæ columen odio plusquam vatiniano prosequerentur, contra ejus irreprehensibiles mores calumniari unquam ausi sunt. S. Athanasius sæpe illum *vere sanctum* appellavit, & *cujus inculpata vita erat:* ut proinde hoc loco S. Hilarius manifesto deceptus videatur.

187. Nulla vero fides habenda est duobus schismaticis Presbyteris Marcellino, & Faustino, dum in *Libello precum ad Theodosium, Valentinianum, & Arcadium* (qui tamen libellus soli Theodosio Constantinopoli oblatus fuit) scribunt, Potamium, & Osium horribiles apostasiæ suæ pœnas dedisse; Potamium scilicet Episcopum Ulyssipponensem vulnere a Deo in linguam immisso infeliciter periisse; Osium autem, dum sententiam depositionis pronunciaturus esset contra Gregorium Eliberitanum, qui propter admissam prævaricationem cum ipso Osio communicare nolebat, e sede repente lapsum ore, & capite enormiter contorto ingens divinæ vindictæ spectaculum præbuisse.

188. Sed duo isti Schismatici plura alia mendacia, imo & manifestas in S. Athanasium & S. Hilarium calumnias suo libello inseruerunt, ut proinde audiendi non sint, cum tam fuuestum horum duorum Episcoporum finem narrant, de quo alii Synchroni Scriptores altum silent. Porro si id verum esset, fama tam prodigiosæ punitionis ubique divulgata fuisset; nec prætermisissent Catholici eo exemplo, ad probandam veritatem Nicænæ fidei efficacissimo contra Arianos uti, ac præcipue contra Constantium Imperatorem, ut sæviendi contra Episcopos orthodoxos finem faceret: quemadmodum exemplo Arii alias usi fuerunt, cujus impietatem Deus horribili exitu punivit. Luciferiani igitur ut rigorem ab ipsis invectum de non concedenda lapsis venia prodigiis corroborarent, facile hæc comminisci, & suo libello inserere potuerunt.

189. Profecto S. Augustinus, qui non multo post illa tempora in proxima Africa florebat, nihil de hoc horrendo Osii fine habet; sed eum in pace Ecclesiæ obiisse innuit in Lib. I. *contra epist. Parmeniani* cap. 4. & seq. Tom. IX. Imo neque decantati adeo lapsus Osii ullam S. Pater mentionem facit; quæ enim S. Augustini verba hanc in rem allegari solent, omnino alium sensum, ni fallor, habent. Locus est admodum obscurus, sed tamen manifeste apparet, eum spectare non ad causam Arianorum, sed ad causam Donatistarum, quæ agitata, & definita fuit in Concilio Arelatensi, cui Osius cum multis Hispanis interfuit. De Osio autem præcipue conquerebantur Donatistæ, quod suis Coepiscopis Hispanis restiterit, qui Donato contra Cæcilianum initio favé-

(a) Eminentissimus Josephus Saenz de Aguirre in sua *Collect. maxima Conciliorum omnium Hispaniæ, & novi Orbis* Tomo I. edit. Rom. 1753. Dissert. XVII. excursu 5. & seq. copiose hac de re disputat, & magno conatu Osium ab omni prorsus culpa liberare satagit; & si non potuit, ut ego quidem arbitror, innocentiam Osii *indubiis* argumentis ostendere, plura tamen habet lectu dignissima.

vebant: & ab ipsis propterea condemnatum fuisse dicebant. S. autem Augustinus respondet Parmeniano, Osium, si fuit condemnatus ab Hispanis, fuisse absolutum a Gallis; quia nempe Galli judicium Osii probarunt, quo Donatistas schismaticos esse sentiebat; catholicum autem esse Cæcilianum cum suis. Atque hæc fuit totius Synodi Arelatensis sententia unanimis, quin etiam alii Episcopi Hispani cognita rei veritate Osio, & reliquis ejusdem Synodi Patribus pacifice consenserunt (a).

190. Dices. S. Isidorus Hispalensis Luciferianorum dicta confirmat; nam in Libro *de Viris illustribus* c. 1. de Osio hæc habet: *Post longum senium vetustatis arcessitus a Constantio principe, minisque perterritus, metuens, ne senex, & dives damna rerum, vel exilium pateretur, illico Arianæ impietati consensit, cujus quidem vitam, ut meruit, confestim exitus crudelis finivit. Nam post impiam, ut ait quidam, Osii prævaricationem, dum S. Gregorius Eliberitanus Episcopus in Cordubensem urbem juxta imperiale decretum adductus fuisset, ac minime vellet illi communicare, commotus Osius dicit Clementio, Constantii Præfecti Vicario, ut mitteret eum in exilium. At ille, non audeo, inquit, Episcopum in exilium mittere, nisi prius eum ab Episcopatu ejeceris. Ut autem vidit S. Gregorius, quod vellet Osius dare sententiam, appellat Christum totius fidei suæ visceribus, exclamans: Christe Deus, qui venturus es judicare vivos, & mortuos, non patiaris hodie humanam proferri sententiam adversus me minimum servum tuum, qui pro fide nominis tui ut reus assistens spectaculum factus sum &c. ... His dictis, ecce repente Osius residens factus, quasi regalis imperii, cum sententiam conaretur exprimere, os vertit, distorquens pariter & cervicem, ac de sessu in terram elidītur, atque illico expiravit*. Ita in edit. Parisina ap. Mich. Sonnium 1580. In aliis autem paulo diverse. Isidoro consentiunt Anonymus, qui quatuordecim illustrium virorum vitas ejusdem Isidori libro præmisit, Jo. Vasæus in *Chronico* ad. ann. 355., & nonnulli alii.

191. Resp., S. Isidori testimonium certe admodum grave esse; cum tamen insignis hic scriptor nonnisi sæculo VII. Hispaniam sua pietate, ac doctrina illustraverit (obiit enim anno 636., ut ejus discipulus Ædemptus refert *de obitu Isidori*), potuit falso rumore decipi: revera enim totius rei ignotum testem affert, inquiens, *ut ait quidam*. Fortasse etiam iste *quidam* non alius fuit, quam libellus Marcellini, & Faustini supra memoratus. Nonnulli suspicati sunt, locum Isidori corruptum esse, & interpolatum (b). Quidquid sit, hoc unum testimonium non sufficit ad certam fidem faciendam. Sane Jo. Mariana in Lib. IV. *De rebus Hispaniæ* c. 17. non solum de hoc funestissimo casu alte silet, sed nec indubium testimonium ferre audet de Osii lapsu; loquens enim de fidei formulis in Sirmiensi Conventu editis, inquit: *Iis fidei formulis suscipiendis Osius Cordubensis venerandam canitiem suggillasse fertur, valde care æstimans pauculos vitæ annos, quot illa ætas recipiebat*. De aliis autem posterioribus nihil attinet dicere; videntur enim re minime examinata prioribus cæcam fidem adhibuisse.

192. Dices iterum. Hujus historiæ aliquod non leve vestigium habetur in epistola S. Eusebii Vercellensis relata a S. Hilario in *Fragmentis*; in ea enim S. Eusebius gratulatur Gregorio, quod *ut decet Episcopum, & Dei Sacerdotem, Osio transgressori restiterit*. Cum igitur certum sit, Gregorium Eliberitanum noluisse Osio prævaricatori communicare, pronum est conjicere, etiam reli-

qua

(a) Placet integrum Sancti Augustini locum oculis lectorum subjicere: *Quod enim de Osio dicunt Cordubensi quondam catholico Episcopo, flagitandum est, ut probent, non solum talem illum fuisse, qualem dicunt* (nempe condemnatum ab Episcopis Hispanis), *sed quod talis fuerit, manifestum illis fuisse, quibus eum communicasse asserunt. Hoc enim nisi probaverint, frustra dicunt, se scisse, qualis fuerit: quia nescientibus obesse non potuit, a quibus se isti innocentibus separando, propter ipsam separationis sacrilegam iniquitatem innocentes esse non possunt. Hoc enim magis credibile est* (*si tamen Osius ob Hispanis damnatus, a Gallis est absolutus*), *sic fieri potuisse, ut falsis criminationibus Hispani circumventi, & callida insidiarum fraude decepti contra innocentem ferrent sententiam, & postea pacifice in humilitate Christiana cederent sententiæ Collegarum, quibus illius innocentia comprobata est, ne pervicaci, & animosa perversitate priores suas sententias defendendo, in sacrilegium schismatis, quod omnia scelera supergreditur, caecitate impietatis irruerent*. Ubi S. Pater dubius hæret, an Hispani falsis criminationibus Donatistarum circumventi Osium condemnarint. Calumniabantur præterea Donatistæ Osium, quod Constant. Imperatori suggesserit, ut eosdem refractarios supplicio damnaret; quam calumniam ibidem cap. 8. S. Augustinus refellit. Bivarius in *Chronicon* Lucii Dextri putavit, Osium fuisse in Concilio Arelatensi a nonnullis Episcopis Hispanis nimii rigoris accusatum propter Canones ipso auctore in Concilio Eliberitano conditos, a Patribus vero Arelatensibus absolutum, atque ad hoc factum digitum intendisse S. Augustinum in loco laud. cont. epist. Parmeniani. Sed falli Bivarium ostendit Card. de Aguirre in Dissert. XVIII. in Tom. I. *Collect. Concil. Hispaniæ*.

(b) Hunc librum *de viris illustr.* aliqui Sancto Isidoro denegarunt, quia Sanctus Ildephonsus, & Sigebertus nullam ipsius mentionem fecerant. Sed dubium omne tollit S. Braulio Episcopus Cæsaraugustanus Isidoro coævus; qui laud. librum inter opera S. Isidori recenset. Cardin. Jo. de Aguirre suspicatur ea, quæ narrantur de Osii tragico fine, aliena manu esse assuta; inquit enim, *narrationem illam de horrenda morte Osii apud Cordubam nullatenus extare in manuscriptis plerisque purioribus, sed solum in quibusdam minus correctis Libris S. Isidori de viris illustribus*.

qua vera esse, quæ postea consecuta sunt.

193. Resp. hanc conjecturam esse nimis remotam; immo si illam S. Eusebii epistolam bene perpendamus, novum potius argumentum emergeret, falsum omnino esse rumorem postea sparsum terribilis mortis Osii, cum nihil de re tanti momenti in ea innuatur; quæ tamen epistola probabiliter fuit post mortem Osii exarata; in ea enim fit mentio eorum, qui in Concilio Ariminensi lapsi fuerant, & quibus Gregorius crudelitate Luciferiana laborans communicare nolebat. Porro si verum est, quod S. Isidorus refert, funesta Osii mors non diu post ejus lapsum contingere debuit; inquit enim Isidorus: „ cujus quidem vitam, ut meruit, *confestim* exitus crudelis finivit. “ Observo etiam, S. Eusebium respondisse litteris Gregorii Eliberitani, qui sine dubio eum de tragico Osii fine certiorem facere non prætermisisset. Nec denique prætereundum, quod supra n. 155. monuimus, Opus *Fragmentorum* S. Hilarii esse adeo interpolatum, ut monumenta ex eo eruta fidem indubiam facere nequeant.

194. Et hæc quidem habuimus, quæ de Osio, non quidem certa, sed valde probabilia afferre potuimus. Quibus & hoc addere debemus, luctuosissimum ejusdem lapsum, si verus est, aliqua saltem ex parte excusari posse, non tam ratione crudelissimæ violentiæ, quam ratione decrepitæ, atque effœtæ ætatis; exhaustis enim corporis, animique viribus vix compos sui erat. Ita censuit Sulpitius Severus, supra n. 182. laudatus. Sed quidquid sit, hoc exemplum nos vigilare admonet, ut cum metu, & tremore salutem nostram operemur, ac jugibus precibus perseverantiam usque in finem a Deo exposcamus, qui *potens est eum, qui stat, statuere ut perseveranter stet, & eum, qui cadit, restituere.* Verba sunt Concilii Tridentini Sess. VI. c. 13. desumpta ex Apostolo Paulo Roman. XIV. 4. dicente: *Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit: stabit autem: potens est enim Deus statuere illum.*

195. Non tamen iis consenserim, qui dicunt, Osii nomen reperiri in Kalendario Syrorum ad diem V. Novembris, ejusque festum in Oriente celebrari; imo esse Ecclesias ejusdem honori dicatas. Id quidem Bivarius in *Chronico* Lucii Dextri se audivisse testatur a Legato Patriarchæ nationis Syræ. Sed alii postea hac de re interrogati, id verum non esse testati sunt (a).

DISSERTATIO V.

De Persona Spiritus sancti.

CAPUT I.

Demonstratur, Spiritum sanctum esse veram personam divinam Patri, Filioque consubstantialem.

1. Nondum compressa erat Ariana impietas, cum circa annum 359. nova prodiit hæresis, quæ dicta est *Pneumatomachorum*, quod Spiritus sancti divinitati bellum inferret. Ejus auctor fuit Macedonius, pseudoepiscopus Constantinopolitanus, quem Constantius Imperator in eam sedem violenter intruserat, Paulo legitimo Episcopo in exilium amandato, & cæsis, vel oppressis supra tribus millibus hominum, ut Socrates narrat Libro II. *Histor. Ecclesiast.* cap. 10. Postea tamen idem Imperator cognita hominis petulantia illum e solio Pontificali dejecit; qua de causa Macedonius ab Arianis, quibus antea conjunctus erat, se ex parte separans, divinitatem Filii confessus est, solamque Spiritus sancti divinitatem negare cœpit.

2. Hinc Macedonii asseclæ passim appellati sunt *Semiariani*, quia nonnisi partem Arianæ impietatis profitebantur (b); quamvis hoc nomen iis etiam tribuebatur, qui vel catholice de vera Christi divinitate sentientes, vel sentire se simulantes, duntaxat vocem ὁμοούσιον respuebant, & Filium dicebant esse Patri ὁμοιούσιον, idest similem in substantia. Pneumatomachi dicti sunt etiam *Marathoniani* a Marathonio Episcopo Nicomediensi, qui auro, & auctoritate sua eos plurimum juvit, ut refert Sozomenus Lib. IV. *Histor. Eccl.* cap. 37.

3. Pneumatomachi non erant omnes unius labii; ut enim refert S. Gregorius Nazianzenus (Orat. XXXVII.), *alii* (Spiritum Sanctum) *energiam meram, idest efficientiam esse dicebant; alii creaturam; alii Deum; alii cuinam attribuendus esset generi, ignorabant, sacras, ut ajunt, litteras veriti, quæ nihil super hac re expressum habent.* Alii vero, teste S. Athanasio (in epist. ad Serapionem num. 1.) putabant, *Spiritum sanctum esse unum ex administris spiritibus, soloque gradu ab Angelis differre.*

4. Contra Macedonianos potissimum pugnarunt S. Athanasius, Didymus Alexandrinus, S. Basilius,

(a) Innumeri fere auctores hac de re legi possunt; præter laud. Card. de Aguirre, ac præcipue Card. Baronius ad annum 357. Godefridus Hermantius in vita S. Athanasii, Nat. Alexander Dissert. XXXII. in Sæc. IV. art. 2. Remigius Ceillier Tom. VI. in vita Osii, Tillemontius, aliique Historici, ac Theologi.

(b) Sanctus Augustinus in libro *de Hæresibus* n. 52. de Macedonianis loquens hæc habet: *De Patre & Filio recte sentiunt quod unius sint, ejusdemque substantiæ, vel essentiæ. Sed de Spiritu sancto hoc nolunt credere, creaturam eum esse dicentes. Hos potius quidam Semiarianos vocant, quod in hac quæstione ex parte cum illis sint, ex parte nobiscum. Quamvis a nonnullis perhibentur, non Deum, sed deitatem Patris, & Filii dicere Spiritum Sanctum, & nullam propriam habere substantiam.*

lius, S. Ambrosius, & S. Ephrem Syrus. Damnati autem fuere primum in Concilio Alexandrino, cui præfuit S. Athanasius an. 362., postea in Concilio Illyrici an. 367.; deinde in Synodo Romana sub Damaso, ut Theodoretus refert Lib. V. *Hist. Eccl.* cap. 11. (*a*); ac demum in Synodo II. œcumenica Constantinopoli celebrata anno 381.

5. Eorum errores fuere Sæculo XVI. a Socinianis suscitati; qui quidem, non secus ac veteres Pneumatomachi, inconstantissime loquuntur; modo enim Spiritum sanctum nihil aliud esse dicunt, quam Dei energiam, & efficaciam ab ipsa divinitate nullatenus distinctam; modo aliquod donum ipsius Dei: & modo etiam personam a Deo distinctam, sed creatam (*b*).

6. Contra impiam istorum hæresim nobis ex sacris litteris, ac veteri traditione demonstrandum est, Spiritum sanctum esse personam divinam, Patri, Filioque consubstantialem.

7. Et primo veram, consubstantialemque Spiritus sancti divinitatem probant omnia ea, quæ supra (in Dissert. 1. cap. 3. & 4.) allata sunt pro adstruenda Trinitate divinarum personarum: maxime autem baptismatis forma, in qua Spiritus sanctus, non minus ac Pater, & Filius invocatur: quam invocationem perpendens S. Ambrosius (in Luc. cap. XIII.): *Non ergo*, inquit, *aliud nomen Patris, aliud nomen Filii, aliud nomen Spiritus sancti, quia unus Deus: non plura nomina, quia non tres Dii.*

8. Hac divina baptismatis forma præcipue usi sunt Patres Synodi II. œcumenicæ ad Macedonii blasphemias condemnandas. Unde etiam S. Basilius (Lib. de *Spiritu sancto* cap. 11.) appellabat Macedonianos *perfugas*, *&* *prævaricatores*, quod fidem, quam in baptismate professi sunt, perfide violaverint.

9. Præterea explicatissimus, & omnino invictus est ille locus in *Actis Apostol.* cap. V., ubi S. Petrus Ananiam sacræ pecuniæ depeculatorem objurgans ita loquitur vers. 3.: *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto?* Mox vero docet, aperte Spiritum sanctum esse Deum, subdens v. 4. *non es mentitus hominibus, sed Deo.*

10. Vera etiam Spiritui sancti divinitas colligitur ex divinis attributis, quæ passim de illo prædicantur in sacris litteris. Tribuitur enim illi immensitas Sap. I. 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum:* omnis scientia 1. Corinth. II. 10. *Spiritus omnia scrutatur:* & Joann. XVI. 13. promittitur Apostolis Spiritus sanctus, *ut doceat eos omnem veritatem:* ac denique omnipotentia 1. Corinth. XII. 11. *Omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult.* Hæc autem attributa veri, & summi Dei propria sunt.

11. Respondent Sociniani, hæc, aliaque id genus testimonia intelligi debere de Spiritu sancto, prout est Dei virtus; non autem quasi sit divina persona, a Patre, Filioque distincta.

12. Sed facile hæc eorum responsio refellitur, primo ex ea Christi promissione facta Apostolis Joann. XV. 26. *Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Profecto de virtute omnino improprie diceretur procedere a Patre, mitti a Filio, & testimonium perhibere; hæc omnia proprie non conveniunt, nisi personæ.

13. Refellitur secundo Sociniana responsio ex iis, quæ leguntur Actor. XIX.; nempe cum S. Paulus venisset Ephesum, nonnullosque discipulos interrogasset, num Spiritum sanctum accepissent, responderunt illi: *neque si Spiritus sanctus est, audivimus.* Profecto si nomine Spiritus sancti, quem ex Christi promissione accepturi erant Fideles, nihil aliud veniret, quam virtus divina, quomodo potuissent Ephesii respondere, se nunquam audivisse, esse aliquam virtutem divinam? Anne eos fugiebat, Deum esse summæ, ac infinitæ virtutis? Illa ergo ignorantia non potuit esse, nisi tertiæ personæ divinæ.

14. Prob. secundo vera, & consubstantialis cum Patre, & Filio, Spiritus sancti divinitas ex traditione, ad quam S. Basilius in Libro de *Spiritu sancto* cap. 29. Macedonianos provocabat, inquiens: *Arbitror autem apostolicum esse, etiam non scriptis traditionibus inhærere ... quarum una est & hæc, de qua agimus;* nempe vera & consubstantialis Spiritus sancti divinitas.

15. Ad hanc autem traditionem comprobandam aliquot veterum testimonia ibidem affert, quæ non piget transcribere. Dionysius Alexandrinus in secunda ad Rom. Pontificem sibi cognominem epistola *de accusatione, ac defensione* hunc in modum finivit sermonem: *Deo autem Patri, & Filio Domino nostro Jesu Christo, cum sancto Spiritu gloria, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.*

16. Post autem S. Basilius affert testimonium Clementis Romani, qui ætate sanctum Dionysium Alexandrinum longe præcessit; quique æqualitatem Spiritus sancti cum duabus aliis divinis Personis simplicius, & expressius significavit, dicens: Vi-

(*a*) Idem refert etiam Sozomenus Lib. VI. *Histor. Eccl.* c. 22. his verbis probe notandis: *Episcopus urbis Romæ scripsit ad Orientis Ecclesias, ut Trinitatem consubstantialem, & honore, gloriaque æqualem una cum Occidentalibus Episcopis confiterentur. Quo facto utpote controversia judicio R. Ecclesiæ terminata, singuli quievere.*

(*b*) Non est operæ pretium singulos actores Antitrinitarios de nomine appellare, & diversas eorum falsas, atque absurdas de Spiritu sancto opiniones afferre. Hanc provinciam sibi assumpsit Frider. Samuel Bock in *Historia Antitrinit. &c.* Regiomonti, & Lipsiæ 1774.

Vivit Deus, & Dominus Jesus Christus, & Spiritus sanctus.

17. Tertio Irenæus, qui vicinus fuit Apostolorum temporibus, mentionem Spiritus sancti, disputans adversus hæreses, ita facit: *Eos vero*, inquit, *qui effrænes sunt, & feruntur ad suas concupiscentias, nullum habentes divini Spiritus desiderium, merito Apostolus carnales vocat.* Et alibi: *Ne expertes facti divini Spiritus, frustremur regno cælorum*, *inclamat Apostolus*, *quod caro non possit hæreditatem capere regni cælorum.*

18. Quarto de Origene ita scribit S. Basilius. „ Origenem in multis Psalmorum expositionibus „ depreheudimus cum sancto Spiritu gloriam deferentem Deo, virum, qui non omnino sanas „ habet in omnibus de Spiritu opiniones: nihilominus & hic multis in locis reveritus consuetudinis robur, pias voces emisit de Spiritu: „ qui quidem in sexto, ni fallor, libro *Enarrationum* in Evangelium Joannis, etiam adorandum Spiritum evidenter pronuntiat, ita scribens „ ad verbum: *Quoniam aquæ lavacrum significat purgationem animæ ab omnibus malitiæ sordibus ablutæ, nihilo tamen minus & per seipsum ei, qui seipsum præbet divinitati adorandæ Trinitatis, per virtutem invocationum, donorum principium, ac fontem habet.* „ Ac rursum in commentariis, quibus exponit epistolam ad Romanos, *Sacræ*, inquit, *virtutes capaces sunt Unigeniti, & sancti Spiritus deitatis.* Ad hunc modum, opinor, traditionis „ vi sæpe compulit homines, etiam suis ipsorum „ dogmatibus contradicere ".

19. Quinto citat etiam Julium Africanum historicum, qui in quinta de temporibus epitoma, *nos enim*, inquit .... *gratias agimus Patri, qui nobis suis creaturis præbuit universorum Servatorem, ac Jesum Christum; cui gloria, majestas, cum sancto Spiritu in sæcula.* Ita Sanctus Basilius Pneumatomachos ex traditione veterum quorumdam Patrum revincebat.

20. Addebat etiam sacrum hymnum glorificationis, cujus usus erat populis familiaris, & antiquissimus, scilicet: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.* Addebat tandem etiam preces *lucernarias*, ita dictas, quia a fidelibus noctu simul collectis ad lucernas ad Deum fundebantur, & in quibus populus antiquam proferens vocem ita dicebat: *Laudamus Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum Dei.* Si autem veteres Fideles eumdem cultum, eamdemque venerationem, laudem, & gloriam Spiritui sancto exhibebant, ac duobus aliis divinis Personis Patris, & Filii, luculenter apparet, credidisse eos, Spiritum sanctum ejusdem esse dignitatis, ac proinde ejusdem etiam substantiæ cum Patre, & Filio (*a*).

21. Contra vero Ariani, qui Filium, & Spiritum sanctum Patri inferiores esse censebant, teste Theodoreto Lib. IV. *Hæretic. Fabularum* cap. 1. glorificationis hymnum immutarunt, suo marte dicentes: *Gloria Patri per Filium in sancto Spiritu* (*b*).

22. Neque audiendus est Philostorgius Arianorum historiographus, qui Lib. III. cap. 13. contra omnium fidem scribere non est veritus, Flavianum, qui sæculo V. Ecclesiam Antiochenam magna cum laude administrabat, collecta Monachorum multitudine *primum omnium acclamasse: Patri, & Spiritui sancto.* Nihil falsius dici poterat, cum nihil apud veteres inveniatur hac doxologia frequentius, præsertim in rebus sacris.

23. Frustra etiam sunt, qui cum Zvvickero (*in Irenico irenicorum* pag. 29.) respondent, apud veteres dicitur plurimum consuevisse: *Gloria Patri, & Filio, in Spiritu sancto, vel cum Spiritu sancto.*

24. Nam S. Basilius in laud. libro *de Spiritu sancto* pluribus exemplis, & argumentis ostendit, hanc esse parvam verborum, non rerum diversitatem: idemque prorsus utroque modo significari; imo potius hanc particulam *cum* aptiorem esse, quia ea non solum Sabellianorum, sed etiam Arianorum jugulum petit. Particula autem *in* significat, Spiritum sanctum esse quasi Patris & Filii vinculum: unde etiam Ecclesia in suis orationibus dicere solet: *in unitate Spiritus sancti.*

25. Sed præterea præsto etiam sunt nonnullæ antiquissimæ doxologiæ, in quibus nullus plane est cavillandi locus. S. Polycarpus ita suam orationem ad æternum Patrem ante martyrium absolvit: *Quapropter de omnibus laudo te, benedico te, glorificabo te cum sempiterno, & cælesti Jesu Christo dilecto tuo Filio, cum quo tibi, & Spiritui sancto gloria, & nunc, & in futura sæcula. Amen* (In Actis Martyrii apud Ruinartium).

26. Obj. 1. Si totam S. Scripturam a capite ad calcem percurramus, nullibi inveniemus Spiritum sanctum appellatum Deum, nullibi adoratum, aut invocatum. *Da testimonium, ubi adoratur Spiritus*, audacissime provocabat Maximinus Arianus apud S. Augustinum L. II. contra ipsum cap. 5., & apud S. Athanasium *Orat. XXXI.* alias XXXVII. conquerebantur Pneumatomachi, *peregrinum Deum, nulloque Scripturæ loco proditum introduci*; quod ad nauseam usque recantant

(*a*) Baronius anno 325. num. 174. arbitratur, usum doxologiæ in sacris liturgiis ab ipsis Apostolis originem trahere. Non omnes tamen hac in re Baronio consentiunt. Vid. Card. Bona *de divina psalmodia* cap. 16. §. 6., & qui de sacris Ecclesiæ ritibus agunt.

(*b*) Vid. Henr. Valesius in notis ad cap. 21. Lib. II. *Hist. Eccl.* Socratis, & ad cap. 8. Lib. *Hist. Eccl.* Sozomeni.

tant Sociniani dicentes, rem tantam nullo modo potuisse in sacris litteris silentio prætermitti, si credenda a nobis esset.

27. Resp., nisi vitiligandi studio adversarii cavillari vellent, posse eos non uno in loco sacr. Scripturarum veram Spiritus sancti divinitatem invenire; ut quando S. Petrus in secunda ep. cap. I. vers. ult. dicit: *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*; & S. Paulus *Actor.* cap. postremo vers. 25. *Spiritus sanctus locutus est per Isaiam Prophetam*. Qui enim *loquebatur patribus in Prophetis*, Deus erat, ut testatur idem S. Paulus initio suæ epistolæ ad Hebræos. Idem S. Paulus in eadem ep. III. 7. nos docet, Deum, quem *tentaverunt Patres nostri in deserto* Psalmo XCIV. 8. fuisse Spiritum sanctum. *Sicut dicit Spiritus sanctus... nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres vestri*. Et alia non pauca hujusmodi loca sunt, in quibus satis luculenter Spiritus sanctus Dei nomine insignitur. Sed alter insignis est locus Actor. V., quem supra expendimus num. 9. (*a*).

28. Adoratio etiam, & invocatio Spiritus sancti satis ex baptismi forma elucet: unde auctor Lib. *Recognitionum*, qui, quisquis ille sit, certe Origene est antiquior (*b*), dicebat Lib. III. cap. 67.: *Baptizabitur unusquisque vestrum in aquis perennibus nomine trinæ beatitudinis invocato super se*. Deinde quid sibi volunt illa verba, quibus Sanctus Paulus suam secundam epistolam ad Corinthios concludit: *Gratia Domini nostri Jesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen?* Annon adprecationem, & invocationem Spiritus sancti continet? Et multa hujus generis adferri possent.

29. Dices primo (cum Crellio Lib. I. *de Deo* uno sect. 3. cap. I. ex quo dicatur Spiritus sanctus locutus per Prophetas, aut tentatus in deserto, inepte colligi, ipsum esse Deum. Ita enim deberet syllogismus concludi: Deus locutus est per Prophetas, vel tentatus ab Israelitis in deserto: sed Spiritus sanctus locutus est per Prophetas, & tentatus in deserto: ergo Spiritus sanctus est Deus: hujusmodi autem argumentatio sophistica est, & quæ nihil concludit, cum ex tribus particularibus propositionibus affirmativis constet.

30. Respond., hanc esse unam ex consuetis Socinianorum cavillationibus, quarum in re tam gravi pudere eos deberet. Prima nostri syllogismi propositio non est particularis, sed universalis, huic æquivalens: *ille qui per Prophetas locutus est, est verus Deus*; sumendo scilicet hoc nomen *Deus* non pro persona particulari, sed pro divinitate, quæ una, eademque est in tribus personis; atqui Spiritus sanctus &c.: ergo &c., qui syllogismus & Dialecticæ regulis consonat, & Spiritus Sancti divinitatem omnino evincit.

31. Dices iterum. Ex laud. c. V. *Act. Apost.* haud recte infertur, Spiritum sanctum appellari Deum. Nam primo si græcum fontem adeamus, non dicitur: *mentiri te Spiritui sancto*; sed: *mentiri te Spiritum sanctum*: *ψεύσασθαί σε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον*: hoc est *simulare, te habere Spiritum sanctum*. Præterea dici potest, Ananiam esse mentitum Deo, quatenus mentitus est Apostolis, qui Spiritu sancto, hoc est, divina gratia, & virtute repleti Dei personam gerebant. Hoc eodem sensu *Exodi XVI.* 2. dicitur: *Murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysem, & Aaron*; vers. autem 8. inquit Moyses *nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum*; quia nempe Ministri erant Domini. Christus etiam Lucæ X. 16. dicebat Apostolis: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*. Ita Wolzogenius in *Comm.* in Act. Apost. XV. ad illa verba: *Visum est Spiritui Sancto &c.*

32. Resp. ad primum, frigidam illam esse cavillationem, quam etiam Grotius, Socinianorum minime inimicus, rejicit ostendens, *τὸ ψεύσασθαι* *mentiri* modo cum accusativo, & modo cum dativo casu indifferenter conjungi. Imo in ipsomet *Act.* V. semel cum accusativo, iterum vero cum dativo copulatur.

33. Altera etiam interpretatio Socinianorum remota nimis, & distorta vel ipso primo intuitu apparet. Quanto melius se prodit obvius hic, & naturalis eorum verborum sensus: *Cur, stulte Anania, mentitus es? Sperabasne posse te Deum latere, etiamsi nos latuisses? Neque enim nobis hominibus mentitus es, sed Spiritui sancto, qui Deus est omniscius*. Neque vero exempla allata sunt ad rem; nemo enim tam plumbeus esse poterat, ut suspicaretur, vel Moysem, vel Apostolos ipsum Deum esse; & omnes facile intelligunt, eos duntaxat, ut Dei ministros, esse omni honore dignos. At vero in laud. cap. V. *Act. Apostol.* Sanctus Petrus Ananiam objurgat, quod mentitus sit Spiritui sancto, non sibi; ex quo postea infert, eum mentitum esse, non hominibus, sed Deo, quia Spiritus sanctus est Deus.

34. Objic. secundo. In sacris litteris plura Spiritui sancto tribuuntur, quæ in Deum cadere non possunt. Roman. VIII. Spiritus sanctus pro nobis orare dicitur: *ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Præterea Christus Dominus Joann. XVI. 13. de Spiritu sancto dicit: *Non loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, lo-*

(*a*) Ex his constat, male a Phil. Limborchio in *Theol. Christ.* Lib. II. c. 17. §. 23. concedi Socinianis, *nomen Dei nusquam exserte Spiritui sancto tribui*. Sed nemo ignorat, fuisse Limborchium ex Arminianorum secta, Socinianorum minime inimica.

(*b*) Videri possunt Natal. Alexander in *Hist. Eccl.*

loquetur, aperte innuens, ipsum legati officio fungi; quod absurdum esset de Deo cogitare.

35. Primam difficultatem ita solvit S. Augustinus epist. 97., alias 105. Spiritus sanctus dicitur postulare pro nobis, non *proprie*, & *formaliter*, quasi revera ipse oret, quod Deo esset indignum, sed *improprie*, & *efficienter*, quia facit nos orare. Id ex verbis ejusdem S. Pauli præcedentibus apparet, ubi dicitur: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat &c.* Eodem sensu dicebat Christus Apostolis suis Matth. X. 20.: *non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Non quasi Apostoli elingues facti essent, sed quia nonnisi ea loquebantur, quæ Spiritus sanctus eis suggerebat: unde antea iisdem dixerat: *nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini.*

36. Dices. Si Spiritus sanctus tantum *efficienter* postulat pro nobis, eadem ratione & Pater æternus, ejusque Filius unigenitus pro nobis postulare dici poterunt: operationes enim *ad extra* communes sunt toti sanctissimæ Trinitati.

37. Resp., quamquam operationes *ad extra* tribus divinis personis communes reipsa sint, singulis tamen quædam per *appropriationem* tribui a Theologis solent, nempe æterno Patri potentia; unde Symbolum ita exordimur: *Credo in Deum Patrem omnipotentem:* ejus Filio Unigenito tribuitur sapientia; ac demum Spiritui sancto gratia sanctificans, & omnia ea quæ ad nostram pertinent sanctificationem. Ita per hanc *appropriationem* dicitur Spiritus sanctus nos ad orandum excitare, licet idipsum etiam de Patre, ac de Filio dici omnino possit.

38. Non desunt tamen quidam Sancti Patres, qui laudatum locum ex epist. ad Roman. intellexerunt, non de persona Spiritus sancti, sed de gratia, & spiritu orationis. Ita Sanctus Ambrosius Lib. III. *de Spiritu sancto* cap. 11. inquiens: *Spiritus plerumque ponitur pro gratia spirituali, sicut & Apostolus dicit, quia ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Sed cum Apostolus ibidem dicat: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus, sicut oportet, nescimus*, ubi certe designatur ipsa Spiritus sancti persona; probabilior videtur expositio Sancti Augustini, qui etiam de persona Spiritus sancti explicat subsequentia verba; ut nempe Spiritus sanctus dicatur interpellare pro nobis, *quatenus nobis interpellandi, & gemendi inspirat affectum.*

39. Ad secundam difficultatem resp. cum Sancto Augustino, Tract. 99. in Joann., Spiritum sanctum non loqui a semetipso, quia essentiam, unde scientia, & omnia alia dimanant, non habet a semetipso, sed a Patre, Filioque origine, & processione acceptam (a).

40. Dices (cum Crellio Lib. I. sect. 9.). Maldonatus (in *comment.*) hanc S. Augustini interpretationem aliquibus non contemnendis rationibus rejicit; potissimum autem ex eo, quod ibidem Christus de Spiritu sancto dicit: *Ille de meo accipiet*, quod tempus futurum improprie adhiberetur ad significandam originem, seu processionem, quæ æterna est. Censet igitur Maldonatus, ibi potius designari, mittendum a Filio Spiritum sanctum tamquam ejus legatum, qui ea loquitur, quæ a mittente audivit.

41. Resp., nostram interpretationem rejici non posse, quin, nedum S. Augustino, sed numerosæ aliorum Patrum phalangi repugnemus. Eam enim probant Athanasius, Basilius, Chrysostomus, Didymus, Cyrillus, Ambrosius, Hilarius, aliique, quorum mirum certe est, aut sententiam ignorasse, aut auctoritatem parvipendisse doctissimum Maldonatum. Observationem autem Maldonati jam præoccupaverat magnus Augustinus loco laud., inquiens: *Nec moveat, quod verbum futuri temporis positum est ... In eo, quod sempiternum est, sine initio, & sine fine, cujuslibet temporis verbum ponatur, sive præteriti, sive præsentis, sive futuri, non mendaciter ponitur* (b).

42. Objic. 3. Paulus in sua prima epistola ad Corinthios II. 10. *Nobis*, inquit, *Deus revelavit per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim scit hominum, quæ hominis sunt, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Ex quibus plura in confirmationem sui erroris derivat Crellius. Primo enim Spiritus sanctus vocatur *Spiritus Dei*, non secus ac anima dicitur *Spiritus hominis*; atqui hæc non est persona humana, sed pars hominis: ergo etiam Spiritus sanctus non est persona divina, sed virtus, & energia Dei. Deinde non diceretur Spiritus *scrutari omnia*, si clarissima, & perfectissima omnium cognitio ipsi tamquam Deo inesset. Tertio si Spiritus nomine intelligeretur persona divina, cum dicitur: *quæ Dei sunt, nemo novit, nisi Spiritus Dei*, sequeretur, alias divinas personas latere, quæ Dei sunt. Rursus idem Apostolus 1. ad Corinth. XIV. 32., *Spiritus Prophetarum*, inquit, *Prophetis subjecti sunt;* Spi-

Sæcul. 1. cap. 12. art. 13. D. Remigius Ceillier, aliique Historici, qui hac in re pene consentiunt.

(a) Verba S. Augustini hæc sunt: *Ardua quæstio, nimis ardua. Ipse adsit Spiritus; ut saltem, sicut eam cogitare possumus, sic eloqui possimus ... Sic itaque debemus accipere, quod de Spiritu sancto dictum est: non enim loquetur &c., ut intelligamus, non eum esse a semetipso; Pater quippe solus de alio non est ... Non ergo loquetur a semetipso, quia non est a semetipso: sed quæcumque audiet, loquetur; ab illo audiet, a quo procedit.*

(b) Vid. contra Maldonatum ipsius concellita Dion. Petavius Lib. III. *de Trinit.* cap. 8.

Spiritus autem Prophetarum est ipse Spiritus sanctus, qui propterea Deus esse non potest.

43. Primæ Crellii argutiæ facile resp., in eo solum sitam esse comparationem inter Spiritum Dei, & spiritum hominis, quod quemadmodum spiritus hominis novit omnia, quæ in homine sunt, ita Spiritum sanctum nihil latet eorum, quæ in Deo sunt.

44. Ad secundam resp., *Scrutari* non accipi hic pro inquisitione, sed pro scientiæ plenitudine; quomodo dicitur Deus *scrutari renes, & corda hominum* (*Psalmo* VII. 12., 11. *Paralip.* XXVIII. 9., & *Jeremiæ* XVII. 10.), idest intima quæque, & abscondita nosse.

45. Ad tertiam resp., scientiam omnium, quæ in Deo sunt, non tribui Spiritui sancto soli, ut aliis divinis personis negetur, sed tantummodo ut denegetur aliis spiritibus diversæ naturæ, & creatis.

46. Postrema difficultas facile expeditur, observando, S. Paulum non loqui de persona Spiritus sancti, quæ certe nulli subjecta esse potest, sed de dono prophetiæ, quod dicitur Prophetis subjectum, quatenus libere possunt annunciare, vel non annunciare, quæ ipsis a Spiritu sancto revelata sunt; secus ac falsorum numinum vatibus olim contingere dicebatur, ut nempe furore quodam correpti loqui cogerentur. Alio etiam sensu spiritus Prophetarum dici possunt subjecti Prophetis; nempe aliis Prophetis, qui judicare possunt, & debent, an spiritus prophetiæ verus, ac divinus sit; unde S. Joannes in prima epistola IV. 1. fideles ita monebat: *Nolite omni Spiritui credere, sed probate Spiritus, si ex Deo sint*.

47. Obj. 4. Hoc nomen *Spiritus sanctus* in sacris litteris significat divinam essentiam, omnis materiæ expertem, non vero divinam personam. Ita Joann. IV. 24. *Spiritus erat Deus*; & 2. Corinth. III. 17. *Dominus Spiritus est*. Tribuitur etiam Patri, ut S. Hilarius observat Lib. VIII. *de Trinit.*; tum Filio, ut cum Christus dicebat Matth. XII. 27., se in *Spiritu Dei*, hoc est proprio, ejicere dæmonia.

48. Præterea personæ divinæ constituuntur per relationes, ac proinde etiam nominibus relativis nuncupari, & distingui solent, ut Pater, & Filius: at vero Spiritus sanctus non est nomen relativum, sed absolutum, ut patet: non est ergo personæ divinæ nomen, sed essentiæ.

49. Respond. cum Sancto Thoma I. Part. q. 36. art. 1., hanc vocem *Spiritus sanctus* si grammaticaliter sumatur, utique significare divinam essentiam, & Patri, ac Filio proprie convenire; imo Angelis etiam bonis, & animabus sanctis posse idipsum nomen adaptari; sunt enim spiritus, & sanctitatis gloria insignes. Ecclesia tamen post sanctos Patres hoc nomen ad tertiam divinam personam significandam determinavit, & saltem apud Latinos sumitur ut unica vox.

50. Rationem vero quasi in subsidium additam, diluit Angelicus ibid. ad 2., observans, hoc nomen *Spiritus sanctus*, tametsi in se relativum non est, nihilominus, ex usu Ecclesiæ esse accommodatum ad significandam tertiam Sanctissimæ Trinitatis personam. *Potest tamen intelligi*, subdit Angelicus, *in nomine aliqua relatio, si Spiritus sanctus intelligatur quasi spiratus*.

51. Obj. quinto (cum Wolkelio Lib. IV. *de vera relig.* cap. 14.). Ex quo Spiritus sanctus dicatur *mitti, procedere a Patre, venire &c.* haud recte colligitur, eum esse personam; hæc enim metaphorice de eo intelligenda sunt: quemadmodum Roman. III. 19. lex *loqui* dicitur; & 1. Corinth. XIII. 4. de Charitate: *patiens est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur* &c.; quæ omnia quamquam de personis enunciari soleant, metaphorice tamen etiam Charitati tribuuntur. Imo vel ipsis rebus inanimatis similia quandoque in sacris litteris tribuuntur; & cum dicitur in Psalmo XXII.: *Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt*; & ep. prima S. Joann. V. *Testimonium dant in terra spiritus, sanguis, & aqua*.

52. Respond., neminem inficiari, multas esse in sacris litteris metaphoras, præcipue ubi nullum est errandi periculum, ut in locis objectis, aliisque pluribus hujus generis. Quis enim adeo amens sit, & insanus, ut legem, charitatem, virgam, sanguinem, aquam personas esse suspicetur? At vero manifestum esset erroris periculum, si ea, quæ de Spiritu sancto tam sæpe dicta, & repetita sunt, semper metaphorice deberent intelligi; tum quia Spiritus obvio, & naturali sensu personam significat; tum quia nimis frequenter, ac luculentissime omnibus personæ characteribus insignitur. Quis enim non credat, eum Spiritum esse personam, qui dicitur *loqui, audire, mitti, arguere, docere*, (Joann. XVI.), *descendere de cœlo corporali specie sicut columba* (Lucæ III.); *scrutari profunda Dei* (1. Corinth. II.), *habitare in nobis, sicut in templo* (1. Corinth. III.), *dividere singulis, prout vult* (1. Corinth. XII.), & alia hujus generis plura præstare, quæ personæ propria munia sunt?

53. Objic. sexto plura Scripturæ loca, in quibus Spiritus sanctus virtus Dei appellatur; ut Lucæ XXIV. 49. Christus promittens Spiritum sanctum Apostolis dixit: *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto*. Angelus quoque dixit Mariæ Lucæ I. 35. *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Innumera hujus generis afferri possunt, quibus edocemur, ex Scripturarum sensu nomine Spiritus sancti non designari, nisi virtutem Dei, & vicissim quando virtus Dei nominatur, intelligi Spiritum sanctum.

54. Resp. primo, posse Spiritum sanctum appellari virtutem Altissimi, quin tamen sequatur, eum non esse personam divinam; nam etiam Christus Dominus vocatus est *Verbum Dei, Sapientia Dei*; *Via, & Veritas*; nemo tamen negat, 1.

ipsum veram esse personam. Deinde quomodo Sociniani explicabunt eam Jesu Christi promissionem factam Apostolis Actor. I. 8. *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos?* Quomodo illa Apostoli Pauli verba Ephesiis dicta cap. III. 16. *Det vobis secundum divitias gloriæ suæ virtute corrobari per spiritum ejus?* Anne duplicem Dei virtutem distinguent, quarum una oriatur ex altera?

55. Inst. Spiritus sanctus passim in sacris litteris dicitur donari, accipi, atque etiam precibus impetrari. Id vero improprie omnino diceretur de persona divina, proprie autem de virtute quadam a Deo manante: ergo &c.

56. Resp. 1. etiam Filium nobis datum dici Joann. III. 16. Sic *Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret;* quin inferre liceat, Filium non esse personam: eodem igitur modo dari, accipi, & impetrari potest divina Spiritus sancti persona. Sed præterea id etiam potest commode intelligi de Spiritus sancti donis, ac præcipue de gratia sanctificante (a).

57. Objic. septimo. Certum est, Arianos non solum Filii, sed etiam Spiritus sancti divinitatem negasse (b); atqui neque a Synodo Nicæna, neque a Patribus, qui contra eos, quantum fieri poterat, accurate, & diligenter pugnarunt, ulla unquam facta est divinitatis Spiritus sancti mentio: ergo &c.

58. Resp. cum S. Basilio (epist. 125. alias 78.), & cum S. Hieronymo (epist. 84. ad Pammachium & Oceanum), doctrinam de Spiritus sancti divinitate fuisse *stricte* positam in Concilio Nicæno, *eo quod nondum tunc esset hæc mota quæstio*. Sed postquam Impietatis semina ab Ario jacta ad Ecclesiarum perniciem euutrita sunt, & Macedonii blasphemiæ eruperunt, statim apparuit Ecclesiæ fides. Nam Sancti Patres facto agmine omnes se impio dogmati opposuerunt, & Concilium Constantinopolitanum nascentem hæresim solemniter proscripsit, ac profligavit.

59. Idipsum observatum est a Sancto Epiphanio *Hæresi* 74., n. 14. ubi inquit: *De his, quæ singulis temporibus occurrunt, cavere Synodi, ac decernere solent*. Similia habent Sanctus Gregorius Nazianzenus in epist. ad Cledonium. Imo vel in ipso Concilio Nicæno fuisse Spiritus sancti divinitatem assertam, & vindicatam, testis est S. Athanasius in epist. Synodica ad Jovinianum Imperat. (apud Theodoretum Lib. IV. *Hist. Eccl.* cap. 3.) inquiens de Patribus Nicænis: *Sed neque Spiritum sanctum a Patre, & Filio separarunt, quin potius eum una cum Patre, & Filio glorificarunt in una Sanctæ Trinitatis fide, eo quod una sit in Sancta Trinitate divinitas*. Et Sanctus Damasus in epist. Synodica ad Episcopos Illyrici (apud Theodoretum Lib. II. *Histor. Eccles.* capit. 22.) dicit, 318. Patres Nicænos definivisse, *ut Patrem, Filium, Spiritumque sanctum unius deitatis, unius virtutis, unius figuræ, unius credere oporteret substantiæ*.

60. Dices. At vero nec Concilium ipsum Constantinopolitanum contra Macedonium, ejusque asseclas celebratum, Spiritum sanctum *Deum* appellavit, sed dumtaxat *Dominum*. Illi insuper Patres, qui data opera de Trinitate scripserunt, vel etiam contra Macedonianos pugnarunt, numquam ausi sunt Spiritui sancto Dei nomen expresse tribuere. Nam Sanctus Hilarius, observante Erasmo (in præfat. ad illius opera) in duodecim, quos edidit, *de Trinitate* libris, numquam Spiritum sanctum *Dei* nomine appellavit. Idem præstitit Sanctus Basilius, qui de Spiritu sancto tam multa præclare scripsit in libro ad Amphilochium (c). Imo quod magis mirabile videri possit, in epistola 113., alias 203. Presbyteris Tharsensibus suadet, ut Nicæna fide contenti nihil aliud a Macedonianis exposcant, quam ut fateantur, *Spiritum sanctum creaturam dici non oportere*.

61. Resp. primæ objectionis parti, Concilium Constantinop. adeo claris, & expressis verbis divinitatem Spiritus sancti definivisse, ut nulla ne levissima quidem possit de ejus mente suspicio suboriri. Hæc enim symbolo Nicæno addenda decrevit: *Credimus & Spiritum sanctum dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre, & Filio adorandum, & conglorificandum, qui locutus est per Prophetas*. Quis autem potest simul cum Patre, & Filio adorari, & conglorificari, nisi Deus?

62. Sed præterea iidem Patres Constantinopolitani in epist. synodica credere se profitentur *unam deitatem, & potentiam, ac substantiam Patris,* Fi-

(a) Petavius Lib. VII. *de Trinit.* c. 4. & seq. multis, ut solet, cum Scripturarum, tum SS. Patrum testimoniis evincere conatur, gratiam sanctificantem in novo testam. esse ipsam Spiritus Sancti personam οὐσιωδῶς justis conjunctam. Sed id videbimus, ubi de gratiæ sanctificantis essentia agemus.

(b) Repugnat Baronius ad ann. 325. num. 51. contendens, non Arium ipsum, sed solum ipsius asseclas Spiritus sancti divinitatem negasse. Sed primo id aperte testatur Sanctus Athanasius Orat. II. in Arianos his verbis: *Dicit (Arius) alienas, itemque incommunicabiles substantias Patris, ac Filii, & Spiritus sancti, & prorsus omnibus dissimiles inter se ratione substantiæ, & gloriæ usque in infinitum*. Et in epist. I. ad Serapionem num. 3. Macedonianos dicit consentire Arianis, *qui Spiritum sanctum rem creatam esse docebant*. Præterea quis credat, Arianos voluisse Spiritum sanctum Filio præferre, ut illum, ut Deum venerarentur, Filium vero in creaturarum ordine redigerent?

(c) D. Julianus Garnier quartum, & quintum librum contra Eunomium ex eo potissimum S. Basilio abjudicat, quod in eis Spiritus Sanctus appelletur Deus contra hujus S. Doctoris morem, in Præf. num. 73.

Filiique, & Spiritus sancti, aequalem item dignitatem, & coaeternum imperium in tribus perfectis hypostasibus, sive in tribus perfectis personis. Annon Spiritus sanctus aperte, & conceptis verbis *Deus* praedicatur, cum dicitur habere unam cum Patre, & Filio deitatem, aequalem dignitatem, & coaeternum imperium?

63. Denique S. Damasus Roman. Pontifex in sua epist. Synodica (apud Theodoretum Lib. V. *Hist. Eccl.* cap. 11.) postquam dixerat: *anathematizamus Macedonianos, qui de Arii stirpe venientes non perfidiam mutavere, sed nomen*, subdit: *Si quis non dixerit Spiritum sanctum de Patre esse vere, & proprie, sicut Filius de divina substantia, & Deum verum, anathema sit.* Post haec monumenta, quis unquam dicet, non fuisse ab Ecclesia apertissime definitum, Spiritum sanctum esse personam divinam, Patri, Filioque consubstantialem?

64. S. autem Hilarius Lib. XII. *de Trinit.* Spiritum sanctum negat esse creaturam; unde manifeste eum confitetur esse Deum, cum inter creaturas, & Deum nihil sit medium. Deinde in Comment. ad ista verba Jesu Christi apud Matth. XXVIII. 19. *Euntes in mundum* &c. divinitatem Spiritus sancti inculcenter fatetur dicens: *ut quorum est una divinitas, sic una largitio, nomenque Trinitatis unus est Deus.* Vid. Praefatio in Libro Sancti Hilarii *de Trinit.* num. 14. & seq.

65. Errant denique quicumque confidentius negant, a S. Basilio fuisse unqnam Spiritum sanctum appellatum *Deum*. Nam epist. 8. alias 141. *Confiteri oportet*, inquit, *Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, uti eloquia divina, & qui ea sublimius intellexere, docuerunt.* In aliis etiam operibus suis Spiritum sanctum esse Patri consubstantialem invictis prorsus argumentis contra Macedonianos probavit, licet eumdem *Deum* non appellaverit, quod prudenti oeconomiae tribuit S. Gregorius Nazianzenus (de Hom. XX.: nunc in nova edit. XLIII. numer. 68. & 69.), tum ne infirmos quosdam Catholicos offenderet, qui cum aliunde divinitatem Spiritus sancti conflterentur, ambigebant tamen de nomine; tum multo magis, ne si hoc nomen *Deus* Spiritui sancto tribueretur, haeretici in rabiem magis agerentur, & expulsis catholicis Pastoribus lupi ovile Christi invaderent (a). Ceterum in Ecclesia Occidentali, ubi minor erat haereticorum furor, nemo dubitavit Spiritum sanctum expresse *Deum vocare*.

66. Obj. 8. Ecclesia numquam suas preces ad Spiritum sanctum dirigit; imo in Concilio Carthaginensi III. can. 23. sancitum fuit, *ut cum ad altare assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio;* cujus quidem vetustissimi moris haec una potest esse ratio, quod cum Spiritus sanctus sit aeterni Patris donum, aequum non est, ut eum deprecemur, sed potius Patrem, qui ipsum nobis donat.

67. Resp., preces referri ad Patrem, tamquam ad principium, atque omnium bonorum fontem, non excludendo tamen Filium, qui noster mediator est, & causa meritoria, neque Spiritum sanctum, ut adjutorem, qui orat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

68. Obj. 9. Sanct. Dionysium Alexandrinum, quem inquit Sanct. Basilius epist. 9., alias 41. *de Spiritu voces emisisse minime dignas, ab adorata illum deitate sejungens, & in inferioribus una cum creata ac ministra natura numerans.*

69. Resp., fortasse haec scripta fuisse a Sancto Basilio, antequam ejusdem S. Dionysii apologiam ad sibi cognominem Rom. Pontificem legisset. Scripta enim haec epistola Sancti Basilii creditur circa annum 361.; at vero in libro *de Spiritu sancto* postea elucubrato cap. 29. eumdem S. Dionysium in iis numerat, qui Spiritus sancti divinitatem praedicarunt, ejusdemque illustria in hanc rem testimonia affert. Ita opinatus est Tillemontius.

70. Alii vero credunt, Sancto Basilio non sententiam Sancti Dionysii displicuisse, sed verba non satis caute in aestu disputationis cum Sabellianis prolata. Ita D. Julianus Garnier in notis selectis.

71. Sed quidquid sit, certe non potest melius divinitas Spiritus sancti declarari, quam iis verbis, quibus S. Dionysius usus est in resp. ad propositiones Pauli Samosateni, inquiens: *Non impune feret is, qui adversus benignum Spiritum sanctum blasphemus est. Spiritus autem est Deus.* Et in epist. ad eumdem Paulum Samosatenum: *Nisi enim*, inquit, *esset Christus Deus Verbum, non potuisset non esse peccato obnoxius. Nullus enim non obnoxius est peccato, nisi unus Christus, ut & Pater Christi, & Spiritus sanctus.*

72. Objic. ult. una cum Macedonianis apud S. Athanasium epist. prima *ad Serapionem* n. 15. *Si Spiritus res creata non est, neque unus ex Angelis, sed ex Patre procedit; igitur Filius quoque ipse dicendus est, proindeque duo sunt fratres, ipse scilicet, & Verbum. Quod si frater est, qui fieri potest, ut unigenitum sit Verbum, vel ut aequales non sint, sed hic post Patrem, ille post Filium nominetur? Si item ex Patre est, cur non & ipse genitus, aut Filius esse, sed simpliciter Spiritus sanctus dicitur? Denique si Filii dicatur esse Spiritus, Pater ergo avus est Spiritus sancti. Haec turpissimi homines*, subdit Athanasius, *cavillando effutiunt, qui curiosius profunda Dei scrutari conantur, quae nemo novit, nisi Spiritus Dei, de quo illi tam impie*

(a) Non defuerunt, qui sanctum Basilium propter hanc oeconomiam reprehenderent; adversus quos vid. D. Julianus Garnier Ordin. Sancti Benedicti in praefat. tertii Tomi Operum Sancti Basilii §. 3., & P. Prud. Maran ejusdem Ordinis in Vita Sancti Basilii cap. 18.

pie sentiunt; quibus nihil amplius respondere aequum sane esset; sed secundum Apostoli praeceptum post praedictam admonitionem, tamquam haeretici vitandi essent.

73. Postea tamen S. Pater importunis haereticis respondendum censet, ne *silentium majoris ipsis fieret impudentiae occasio*. Et primo negat, Spiritum sanctum posse dici Filium Patris, quia sicut unus est Pater, ita nonnisi unus ejus Filius esse potest; & *ut numquam Pater desinet solus esse Pater, ita Filius numquam desinet esse solus Filius. Nemo igitur, nisi mente captus dixerit, vel cogitaverit, fratrem esse Filio, & nomen avi Patri convenire. Hinc enim nusquam in scripturis sacris. Spiritus Filius dictus est, ne frater esse existimaretur, uti nec Filius Filii, ne Pater avus crederetur. Sed Filius Patris est Filius, & Spiritus, Patris Spiritus dictus est, atque ita una Trinitatis divinitas, & fides est.*

74. Dices. Vel Spiritus sanctus est genitus, vel est ingenitus. Si ingenitus, erit Pater; haec enim est aeterni Patris notio. Si vero est genitus, appellabitur Filius; & sic vel duo erunt Patres, vel duo Filii.

75. Resp., Spiritum sanctum nec proprie genitum dici posse, nec ingenitum; quare in professione fidei, quam edere solebant Romani Pontifices (*a*) dicitur: *Credimus .... Spiritum sanctum nec genitum, nec ingenitum, sed de Patre Filioque procedentem*; quod etiam declararunt Patres Concilii XI. Toletani (*b*). Sed ante illos Gregorius Nazianzenus (Oratione XXXVII., nunc in nova edit. XXXI. numer. 8.) idem Macedoniano haeretico responderat. Cumque ille molestius sciscitaretur, quid ergo esset haec processio? *Dic tu*, respondet, *quid Patris ingenitura sit, & ego Filii generationem, & Spiritus processionem explicare aggrediar, ut ambo mentis vesania praecipites agamur, in Dei mysteria oculos injicientes.*

CAPUT II.

De Photiana haeresi negante processionem Spiritus sancti a Filio.

76. Fides catholica docet, Spiritum sanctum a Patre simul, & a Filio procedere, tamquam ab uno, eodemque principio, quia eadem ipsissima est virtus spirativa Patris, ac Filii. Hoc negant hodierni Graeci schismatici, contendentes, Spiritum sanctum nonnisi a Patre suam originem trahere.

77. S. Thomas I. P. qu. 36. art. 2. ad 3. prima hujus erroris semina repetit a Nestorianis; cui assentiuntur inter alios multos Hugo Etherianus (Lib. II. *contra Graecos*), Bellarm. (Lib. III. *de Christo* c. 41.) Petavius (Lib. VII. *de Deo*, c. 1.), & P. Jo. Garnerius (Diss. III. *de fide Theodoreti* c. 1.) Repugnant tamen P. Mich. Le Quien (Diss. I. *Damascenica* num. 5.), P. Bern. de Rubeis (Diss. I. *de Georgii Cyprii gestis* cap. 2. & 8.) P. Laur. Berti *de Theol. discip.* Lib. VII. c. 18.), Nicolaus l' Herminier, aliique. Laudatus P. Le-Quien primos impugnatores processionis Spiritus sancti a Filio putat fuisse Monothelitas; alii alios.

78. Saeculo VII. aliqua hujus controversiae vestigia apparent in epistola S. Maximi Abbatis Chrysopolitani, & mart. ad Marinum Cypri Episcopum, ubi dicit, Latinos reprehendi a Constantinopolitanis, quod dicerent, *Spiritum sanct. etiam ex Filio procedere*. Addit autem, Latinos protulisse *consonantia latinorum Patrum testimonia, praeterea etiam Cyrilli Alexandrini ex ejus sacra lucubratione in S. Joann. Evangelistam. Ex quibus, non causam se, ac auctorem Filium Spiritus facere ostenderunt; quasi sint duo principia; unam quippe Filii, ac Spiritus causam Patrem moverunt*; scilicet primam causam, vel fontem totius Trinitatis. Ex edit. P. Franc. Combefis Ord. FF. Praed. Tom. II. *Auct.* Biblioth. PP. Graec.

79. Haec Maximi verba ita commentatus est Anastasius Bibliothecarius in epist. ad Jo. Diaconum (apud eumdem Combefisium) inquiens: *Praeterea interpretati sumus ex epistola ejusdem S. Maximi ad Marinum scripta Presbyterum, circumstantiam de Spiritus Sancti processione, ubi frustra causari nos innuit Graecos, cum nos non causam, vel principium Filium dicamus Spiritus sancti, ut autumant; sed unitatem substantiae Patris, ac Filii non nescientes; sicut procedit ex Patre, ita eum procedere fateamur ex Filio, missionem nimirum processionem intelligentes &c.*

80. Sed illud certum est, grassantibus saec. VIII. labente haereticis Iconomachis sub Constantino Copronimo, majore pertinacia negari coepisse processionem Spiritus sancti a Filio. Quod etiam colligitur ex Concilio sub Pipino Francorum Rege habito in Villa Gentiliaco prope Lutetiam anno 767. Item saeculo IX. anno 809. Synodus Aquisgranensis celebrata fuit sub Carolo magno, *ut processio Spiritus sancti a Filio sanciretur, quam quaestionem Joannes quidam Monachus Jerosolymis movit*. Ita habet Aimonius Lib. IV. *de gestis Francorum* cap. 95.; cujus postrema verba eruditos excitarunt, ut quinam ille fuerit Jo. Monachus, diligentius inquirerent. Petrus Pithaeus (O-

(*a*) Apud Jo. Garnerium in *Libro diurno Rom. Pontificum Professione III.*

(*b*) Vid. Lud. Muratorius Tom. II. *Anecdorum*, ubi similem locum Bachiarii, antiqui Philosophi in libro *de fide* multa eruditione illustrat.

(Opusc. *de processione Spiritus sancti*), Jo. Ger. Vossius, & alii non pauci eum S. Joannem Damascenum fuisse credunt, quod tamen vehementer falli laud. sæpius Mich. Le-Quien validis argumentis ostendit Dissert. I. *Damasc.* num. 13. & seq.

81. Quo loco facile mendacii convincuntur Adamus Zernikavius, Theophanes Procopovicz, & nonnulli alii Græci, qui primam processionis Spiritus sancti a Filio controversiam inter solos Latinos excitatam fuisse scribunt. Ado enim Viennensis ita aperte rem narrat: *Synodus anno 767. Incarnationis Domini, & quæstio ventilata inter Græcos, & Romanos de Trinitate, & utrum Spiritus sanctus sicut procedit a Patre, sic procedat a Filio*. Sed ista controversia vehementius recruduit eodem Sæculo IX. Photiano schismate exorto, cujus brevem historiam subnecto, quantum ad rem nostram necesse videtur. Photius Eunuchus, generis nobilitate, muniis in republica gestis, magno ingenio, & litteris insignis, sed moribus, atque intolerabili superbia detestabilis, a Barda avunculo Imperatoris Michaelis III. adhuc laicus ad sedem patriarchalem Constantinopolitanam anno 858. evehitur, S. Ignatio Pastore indignis modis extruso; & contra canones prima die Monachus est factus, altera Lector, tertia Subdiaconus, quarta Diaconus, quinta Presbyter, & sexta, quæ natalis erat Christi Jesu, Patriarcha. Anno autem 859. in Plancheriis celebrata fuit Synodus, in qua Ignatius exauctoratus fuit, Photius vero in patriarchali sede confirmatus. Hæc Synodus merito *malignantium* appellata est in Libro *de Synodis* n. 149. Acta vero hujus nefariæ Synodi falsis plurimorum Episcoporum, ac Nobilium subscriptionibus munita, etiam in Occidente per suos Ministros vulgari curavit.

82. Nicolaus I., qui universæ Ecclesiæ præerat, Legatos Bysantium misit Rhodobaldum Episcopum Portuensem, & Zachariam Episcopum Ananiensem, ut rem totam præsentes agnoscerent. Sed ambo Photii malis artibus, donisque corrupti una cum Synodo anno 861. habita in exauctorationem Ignatii, Photiique electionem consentiunt. Porro summus Pontifex Nicolaus ab Ignatio, cui Metropolitæ decem, & Episcopi quindecim adhuc adhærebant, totius rei certior factus, in Synodo Romana anno 863. Photii inaugurationem pluribus de causis irritam esse declaravit. Quod ubi rescivit Photius, furiis percitus Conciliabulo perditorum Episcoporum coacto veritus non est in Roman. Pontificem semel, iterumque brutum anathematis fulmen intorquere. Itaque discordia in apertum schisma versa est, ad quod confirmandum, & dilatandum encyclicas litteras ad Patriarchas & Episcopos Orientis dedit, quibus varios Ecclesiæ Romanæ objiciebat errores, præcipue autem ἄκρον κακῶν κορωνίδα *tamquam malorum fastigium*, ut majorem aliquam secessionis a Romano Pontifice prætexeret causam, Latinos hæresis accusare cœpit, quod Spiritum sanctum a Filio procedere docerent (*a*).

83. Anno 867. Michaele Imperatore interempto Basilius Macedo Imperator salutatus est. Hic Photium in ordinem redegit, atque in Cœnobium *Scopen* appellatum detrusit, Ignatium vero ab exilio revocatum summa omnium bonorum gratulatione sedi patriarchali restituit. In pretiosa proscripti Photii supellectili inventa sunt inter alia duo volumina auro, atque argento bracteata, & elegantissimis picturis ornata; in quorum primo continebantur acta pseudo Synodi contra S. Ignatium, cujus imago infamibus titulis *Diaboli*, *Antichristi*, aliisque insignita conspiciebatur. Alterum autem complectebatur acta conciliabuli adversus Nicolaum I. Pontificem maximum. De his omnibus Basilius certiorem fecit ipsum Nicolaum I., eum rogans, ut de iis, quæ gesserit, supremum suum judicium pronunciaret.

84. Porro hæc acta Basilii rata habuit, confirmavitque Adrianus II. Nicolai I. successor; qui etiam Synodum generalem convocari jussit anno 869., in qua præsidentibus ejusdem Legatis Donato Episcopo Ostiensi, Stephano Episcopo Nepesino, & Marino Ecclesiæ Romanæ Diacono, omnia a Photio, & Michaele Imperatore contra Rom. Pontificem turpiter, & schismatice gesta flammis, dirisque devota fuerunt. Hæc est Synodus VIII. generalis, earum quæ in Ecclesia Orientali celebratæ fuerunt, postrema.

85. Photius tamen animum non despondit, sed ad Basilii gratiam aucupandam omnes suas artes convertit; nec frustra; ita enim dolis suis Imperatori, ac multis aulæ proceribus fucum fecit, ut anno 878. Ignatio ad supernam patriam evocato in sedem patriarchalem rursus irrepserit. Et quod magis mirandum est, etiam Roman. Pontifex Joannes VIII. juramenti oblitus, quo sententiæ latæ in Synodo VIII. œcumenica de Photio numquam recipiendo una cum aliis se se obstrinxerat, Photium ab anathemate absolutum in sui communionem recepit, atque in patriarchali sede confirmavit (*b*).

86. Hoc primum malum aliud postea consecutum

(*a*) Ita contra Latinos invehebatur præcipue in *Epist. encyclica ad Archiepiscopales Thronos per Orientem obtinentes*, quæ est secunda in editione Montacutii, & in alia ad Archiepisc. Aquilejensem.

(*b*) Baronius ad an. 879. n. 5. hinc ortam esse putat fabulam Joannæ Papissæ, quod scilicet Joannes VIII. *ob nimiam animi facilitatem, & mollitudinem, abjecta penitus omni virilitate, fractus animo, Sacerdotalis constantiæ expers, atque robore enervatus, non Papa ut Nicolaus, & Hadrianus, sed Papissa fuerit contumeliæ loco dictus, utpote quod qui nec resistere sciret Eunucho, quique vinceretur a semivivo, non vir, sed fœmina esset potius nuncupandus &c.* Petrus tamen de Marca Joannem Papam a culpa liberandum esse cen-

tum est. Nam anno 879. Synodus Constantinopoli habita fuit, in qua corruptis, & interpolatis Romani Pontificis litteris, ejusdemque mandatis insuper habitis, ac prævaricantibus Romanæ sedis Legatis Petro Cardinali, Paulo, atque Eugenio, Synodus VIII. œcumenica in irritum missa est, imo ut ejus quoque deleretur memoria, hoc latrocinium dictum est VIII. generale Concilium. Nihil tamen in eo de Spiritus sancti processione a Filio motum, aut definitum fuit, fortasse ne Legati Pontificii offenderentur. Lectum tantummodo fuit Symbolum Constantinopolitanum sine additione particulæ *Filioque*; non in ipsa Synodo, sed in aureo Palatii Imperialis triclinio, ipso Imperatore præsente. Verum post Synodum absolutam Photius processionem Spiritus sancti a Filio audacius impugnare perrexit, præcipue in *epist.* ad Patriarcham Aquilejensem.

87. Paulo post summus Pontifex Joannes se deceptum fuisse a suis Legatis subodoratus Marinum Cardinalem Constantinopolim ablegavit; qui rebus, prout gestæ fuerant, plene perspectis, acta Legatorum rescidit, Photiique damnationem iterum confirmavit, nihil veritus Imperatoris iram, qui gentium jure posthabito eum in carcerem trudere ausus est.

88. Tum Joannes Papa omnia Marini acta rata habuit, novoque anathemate Photium contumacem proscripsit; quam sententiam postea constantissime confirmarunt Joannis successores Marinus, Adrianus III., & Stephanus V., quem alii appellant VI., quanquam ille Basilii potentia fretus patriarchalem sedem tamdiu occupavit, quamdiu regnavit ejus patronus Basilius. Eo autem anno 886. mortuo, Leo Sapiens ejus filius, & Imperii hæres, Photio exauctorato Stephanum fratrem suum Patriarcham eligi curavit, quæ Stephani electio a Romano Pontifice Stephano V. probata est, atque ita fœdissimo schismati finis impositus (*a*). Photium in Romanæ Ecclesiæ communione obiisse, Græculi quidam scripsere fide minime digni; de quibus videndus Leo Allatius *de Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis perpetua consensione* Lib. II. 6.

89. Vulgata postmodum fuit quædam epistola Joannis Papæ VIII. ad Photium, in qua Pontifex testatur, se Symbolo nihil addi passum fuisse, eosque *blasphemiæ* condemnat, qui talia audent. Hæc tamen epistola ut manifeste supposititia, aut interpolata ab eruditis exploditur. Quamvis enim Ecclesia Romana nondum eo tempore additionem Symbolo factam probasset, non tamen eos blasphemiæ reos habebat, qui illam adoptaverant. Ceterum de hujus epistolæ suppositione, & nonnullarum aliarum interpolatione consulendus est Baronius ad an. 879., eo majori fide dignus, quod veras, & genuinas Joannis VIII. litteras præ manibus habuit. Multa de Photii, ejusque Symmistarum dolis narrat Leo Allatius *De Synodo VIII. Photiana*; ac in alio opere *de Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis perpetua consensione*. Male igitur editor Tractatus Theophanis Procopovicz *de Process. Spiritus sancti* in *Hist. Controversiæ* ex hac supposititia epistola, vel etiam ex Synodo Photiana colligit, & Græcos omnes a latino dogmate abhorruisse, nec Latinos omnes illud comprobasse. Sed redeamus ad luctuosum schisma.

90.

set *De concord. Sacerdotii, & Imperii* Lib. III. cap. 13. n. 4., quia restitutio Photii fuerat necessitate extorta, & Imperatoris, omniumque Patriarcharum Orientis consensu probata. Idem sentit P. Phil. Angelicus Bacchetti in sua *Hist. Eccl.* Tom. VI. prosecut. Hist. Card. Orsi Lib. LVIII. §. 99.

(*a*) Voltairius dans *l'Essai sur l'hist. gener.* ch. 27. multa in hæc historia mala fide turbat. Primo dicit, Basilium Imperat. propter recens patratam Michaelis cædem fuisse a Photio Ecclesia ajectum; quemadmodum fuerat a S. Ambrosio Theodosius magnus ob Thessalonicensem stragem ab altari repulsus; sed tamen diversa fortuna; hic enim Ambrosii repulsa ad pœnitentiam conversus est; Basilius vero ira furens Photium patriarchali sede exturbavit. Hoc Voltairius a Zonara mutuatus est; sed vel ignoravit, vel dissimulavit, Zonaræ ab omnibus eruditis hac in re fidem denegari; tum quia longe posterior est (floruit enim sæculo XII.), tum etiam quia Photiano schismati erat implicitus: tum denique quia auctores coævi ipsi repugnant, ut David Nicetas, aliique veteres Græcorum historici. Variæ insuper habentur Roman. Pontificum epistolæ, tum ipsa synodi VIII. acta, in quibus omnibus nihil legitur de Basilii repulsa, & unica exauctorationis Photii causa allegatur, quod Ignatio legitimo Pastore extruso, ipse contra fas cathedram alienam invaserit. Secundo Voltairius solita sua historica confidentia addit ibidem, Joannem Papam Photio scripsisse, se cogitare, & credere cum eo, & pro Juda habere eos, qui Symbolo addiderunt, Spiritum sanct. procedere a Filio. Hæc Voltairius ex apocrypha Joannis epistola, quæ pseudo synodo Photianæ inserta est. At vero, ut nihil dicam de vehementi eruditorum suspicione, totam illam synodum esse imaginariam, a Photio notissimo falsario confictam, cujus observante Baronio ad annum 879. n. 73. nulla mentio est apud veteres scriptores, qui res Basilii posterum memoriæ servarunt, ut sunt Curopalates, Cedrenus, Zonaras, Glicas, & Constantinus Manasses, mirum est dissimulasse Voltairium invicta illa argumenta, quibus harum litterarum confictio demonstrata fuit. Et ipse Photius, cum in ep. ad Archiepisc. Aquilejensem multa scripsisset pro confirmando suo errore de processione Spiritus sancti a solo Patre, atque etiam narrasset, Legatos Pontificios Symbolo Constantinopolitano, quod particula *Filioque* carebat, subscripsisse, de epistola tamen Rom. Pontificis, unde potuisset pro sua causa argumentum longe efficacius repetere, nec jota scribere ausus est. Consuli possunt de Photii dolis Leo Allatius *De VII. Synodo Photiana*, Baronius, qui ejusdem Synodi acta græca viderat latine reddita a Frider. Metio, P. Le Quien Dissert. I. *Damascenica* n. 21., tum in *Panoplia contra schisma Græcorum* sub nomine Stephani de Altimura Ponticensis Centuria IX. cap. 2., aliique historici.

90. Septemdecim Patriarchæ, qui Photio successerunt, omnes pacem, & communionem cum Romana Ecclesia servarunt; etsi enim aliquando querelæ ex veteri Græcorum æmulatione contra Romanam Ecclesiam excitatæ sunt, nullom tamen propterea schisma subsecutum est usque ad Michaelem Cerularium, qui magno Ecclesiæ damno anno 1043. avaro Alexio successit. Hic litterarum peritia, aliisque animi dotibus multo erat Photio inferior: sed eundem superbia, atque ambitione, imprimis autem odio in Latinos æquabat, ac fortasse superabat; adeo ut veritus non fuerit calceos coccineos Imperatoris more palam portare; imo ipsi Isaaccio Comneno minitari, ut quemadmodum ipsius exaltationem ad Imperium procuraverat, ita adlaboraturum se, ut de solio exturbaretur, illud frequenter repetens: *Furne te condidi, ego & te dejiciam* (apud P. Le Quien Tom. I. *Orientis Christiani* pag. 261.) Sed vanissimus homo ab Imperatore exauctoratus, & in Proconnesum deportatus fuit, ubi dolore æstuans paulo post obiit anno 1059.

91. Causa vero renovandi schismatis Photiani hæc illi fuit. Michael una cum Leone Arcidæ Archiepiscopo in Bulgaria epistolam scripserat ad Joannem Episcopum Tranensem in Apulia, in qua Latinos de plurimis rebus reprehendebat, potissimom autem primo quod in azymis consecrarent; secundo quod jejunarent in Sabbato; tertio quod suffocata comederent; quarto quod in Quadragesima omitterent *Alleluja*; demum quod Clericis cælibatum præciperent. De processione tamen Spiritus sancti a Filio nulla ibi erat mentio. Vid. apud Baroniom ad n. 1053.

92. Hanc epistolam multa eruditione confutavit Leo IX., qui non tam sanguinis nobilitate, qua Conrado Salico conjunctus erat, quam singulari pietatis, ac doctrinæ fama ex Episcopo Tullensi sub Imperatore Henrico ad Apostolicam S. Petri sedem meruit exaltari. Imo ad extinguenda prima hæc discordiarum semina tres Legatos in Orientem misit, scilicet Humbertum Episcopum Sylvæ candidæ, Petrum Archiepiscopum Amalphiensem, & Fridericum Diaconum Ecclesiæ Romanæ Cardinalem, ac Cancellarium.

93. Imperator vero Constantinus Monomachus, qui Pontificis animum sibi conciliare studebat, ut ejus intercessione opem ab Henrico contra Normannos obtineret, pacis redintegrandæ omnem operam navavit: eoque pervenit, ut Nicetas Stethatus Monachus Studita, vir magnæ inter Græcos existimationis, qui una cum Michaele, & Leone contra Latinos conspiraverat, suum librum *de Azymo, de Sabbato, ac de Sacerdotum matrimonio* coram Imperatore, & Legatis Pontificiis ejuraret, quem postea Imperator igni tradi jussit.

94. Sed nemo potuit ferocem Michaelis animum flectere; quamobrem illum in suis erroribus pertinacem Legati Rom. Pontificis in templo S. Sophiæ publice excommunicarunt. Hac de causa ille adeo commotus est, ut de interficiendis Legatis primo cogitaret; sed cum illi Imperatoris ope feliciter in Italiam remeassent, Concilium coegit an. 1054. (a), in quo XII. Metropolitanorum, ac plurimorum Episcoporum nomine Pontificios Legatos diris devovit; itaque teterrimum Photii schisma renovatum est. Extat brevis harum rerum commentarius apud Baronium ad annum 1054.

95. Post autem Cerularius magis furens litteras dedit ad Patriarcham Antiochenum, ceteris Patriarchis communicandas, in quibus præter veteres accusationes nova crimina Latinis objiciebat, videlicet primo, Monachos vetitis cibis vesci, nidore scilicet, & larido; secundo, in hebdomade Quinquagesimæ carnibus uti; tertio addidisse Symbolo particulam *Filioque*; quarto nuptias Sacerdotum prohibere; quinto duos fratres posse ducere duas sorores; sexto Episcopos annulos gestare, & alia id genus ad disciplinam spectantia. Addebat postea manifestas calumnias, videlicet a nostris sacras reliquias, & imagines non honorari, & magnos Ecclesiæ græcæ Patres, Gregorium Theologum, Jo. Chrysostomum, & Basilium ut *Sanctos* non coli. Refertur hæc epistola a Leone Allatio *De Consens. Eccl. Occidentalis, & Orientalis* Libro III. cap. 10.

96. Tunc etiam cœpit quæstio de processione Spiritus sancti a Filio in medium iterum revocari, ut patet ex Petro Patriarcha Antiocheno, qui scribens ad Michaelem, unice insistendum esse dicit, ut a Symbolo particula *Filioque* eradatur; ceteras autem controversias non eas esse, propter quas vinculum pacis, & communionis debeat abrumpi (b). Nicolaus etiam Comnenus (in *Prænotation. mystagogicis* pag. 185.) librum Leonis Acridensis commemorat, in quo ostendere conabatur, Spiritum sanctum a solo Patre, non autem a Filio procedere.

97. Hisce, aliisque malis artibus Mich. Cerularius Patriarchas, & moltos Episcopos Ecclesiæ Orientalis in nefarium schisma pertraxit; schisma tamen tunc universale non fuisse constat, quia Alexander II. anno 1071. nuncium misit ad Michaelem Imperatorem Petrum Episcopum Anagninum; & postea Paschalis II. misit Grosolanum Archiepiscopum Mediolanensem ad Imperatorem Alexium Comnenum. Nec prætereundum, quod Theophylactus in sua Allocutione *ad Familiares de iis, quorum Latini incusantur*, quamvis fateri nolit, Latinos ab omni esse errore immunes, fatetur tamen, hos errores neque multos esse, *neque*

(a) Cujus acta Leo Allatius edidit in Dissert. II. de Libris Ecclesiæ Græcæ.

(b) Apud Cotelerium Tom. II. *Monumentorum Ecclesiæ græcæ*.

que tales, qui ad scindendas Ecclesias sint idonei.

98. Postea vero schisma semper magis dilatatum fuit, pro cujus extinctione saepius adlaboratum est. Ac primo quidem Saeculo XI. in Concilio Barensi in Apulia sub Urbano II. anno 1098., in quo insigne sibi nomen comparavit S. Anselmus Episcopus Cantuariensis, processione Spiritus sancti a Filio adversus Graecos luculentissime vindicata (*a*).

99. Secundo pax cum Graecia feliciter restituta videbatur in generali Concilio Lugdunensi II., cui Gregorius X. Pontifex maximus praefuit an. 1274.; nam Graeci Oratores simul cum Latinis ea verba Symboli: *Qui ex Patre, Filioque procedit*, semel, iterumque recinerunt. Jo. etiam Beccus Patriarcha Constantinopolitanus, antea magnus Romanae fidei adversarius, causa diligentius perpensa, lectis potissimum Nicephori Blemmidae libris, coacta frequenti Episcoporum Synodo an. 1276., quae Lugduni acta fuerant, confirmavit (*b*), & in Synodica epistola ad Joannem XXI. R. P. dogma processionis Spiritus sancti a Filio egregie professus est; unde perpetuae concordiae spes magna affulgebat. Sed tamen quadriennio post iterum turbae natae sunt, quae in apertam schismatis renovationem tandem eruperunt anno 1281., quando Martinus IV. Michaelem Palaeologum Imperatorem tanquam schismaticorum fautorem anathemate perculit (*c*).

100. Neque vero audiendi sunt Graeci schismatici, qui omnia fraudibus, ac vi ab Imperatore Michaele peracta fuisse comminiscuntur, ut a Latinis opem contra imminentia sibi, suoque Imperio mala impetraret. Unde etiam dicunt, eum convocato Clero periculum inevitabile exposuisse, ac demum ita conclusisse: *Certe nos, nisi hoc periculum foret, ista non moveremus, & vobis de tota hac re deliberare inutile esset*. Ita refert Pachimeres Lib. V. cap. 18., qui postea fusiori calamo persecutiones narrat, quibus illi obnoxii fuerunt, qui Imperatoris voluntati resistebant. Sed haec frustra a Graecis historicis nobis opponuntur. Nam etiamsi vera omnia essent, nihil aliud ostenderent, nisi Graecos fraudulenter, & simulate ad optatam cum Latinis unionem accessisse: quod nemo nostrum negaverit. Quanquam Michaelem Imperatorem serio, & ex animo fuisse Ecclesiae latinae reconciliatum, multa sunt, quae plane demonstrant.

101. Postrema Graecorum cum Latinis reconciliatio facta fuit in Synodo generali Florentina sub Eugenio IV. an. 1439., cui Imperator ipse Joannes Palaeologus una cum Patriarcha Constantinopolitano, aliisque Praesulibus Graecis interfuit. Finem diutissimae, ac luctuosissimae discordiae feliciter tandem impositum fuisse, omnes gratulabantur; post accuratam enim causae discussionem processio Spiritus sancti a Filio communi Latinorum, Graecorumque consensu acclamata est. Sed Graeci plerique in patriam reversi, cothurno versatiliores ad schisma iterum redierunt, paucis in fide permanentibus (*d*).

102. Anno 1453. a Sultano Mahomete II. urbs Constantinopolis capta est, Imperiumque Orientale omnino eversum. Ecclesia autem graeca olim florentissima sub tyrannide Turcarum gemens ad miserrimum statum redacta est; sed in schismate obdurata, cujus tollendi nulla fere amplius spes affulget. Falsum est tamen, graecos Pontifices quotannis in die Coenae Domini anathema Romanae Ecclesiae dicere; quod contra Ant. Caveum Corcyreusem latini ritus Episcopum, & Guidonem Carmelitam Leo Allatius ostendit Lib. III. *de consensu utriusque Ecclesiae Occidentalis, & Orientalis* cap. 17. (*e*).

CA-

(*a*) Dion. Petavius Lib. VII. *de Trinit.* c. 1. n. 3. Tournellius, aliique post Laur. Surium putant, Graecos iterum cum Latinis concordiam inivisse anno 1215. in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. Repugnat tamen validis argumentis P. Mich. Le-Quien Dissertat. I. *Damascenica* num. 44.

(*b*) Omnia Jo. Becci scripta in defensionem latini dogmatis una cum ejusdem Testamento exhibet Leo Allatius Tom. I., & II. *Graeciae orthodoxae*, & Lib. II. *de Ecclesiae Occident., atque Orient. perpet. consens.* Nonnulla etiam prostant in *Opusc. Aureis* Petri Arcudii.

(*c*) Nat. Alexander in Saec. XIII. c. 8. art. 3. ostendit, Michaelem fuisse pactae concordiae tenacissimum usque ad mortem; imo hac sola de causa fuisse eum ab Andronico ipsius filio sine ullo honore procul a caatris sepultum. Certe Jo. Beccus Latinis consentiens nihil mali, quoad Michael imperavit, passus est, & solum eo defuncto a sua Patriarchali Sede expulsus fuit. Consul. P. Mich. Le-Quien Tom. I. *Orientis Christ.* p. 157. & in Dissert. I. *Damascenica*.

(*d*) Hanc brevem Photiani schismatis synopsim ex probatis Auctoribus desumpsimus. Inferius autem c. VI., quantum instituti nostri ratio postulat, eam adversus Graecos, qui aliam hujus controversiae faciem nobis exhibent, vindicabimus; praecipue adversus Theophanem Procopovvicz Archiep. Novogrodensem, qui haeretico suo *tractatui de processione Spiritus sancti* Gothae an. 1772. edito hujus rei historiam suo modo addidit. Fuerat laud. Theophanes Romae in Collegio Graecorum educatus, sed postea, ut non pauci solent, ab Ecclesiae Rom. unitate discessit.

(*e*) De Graecorum schismate multa scripsit Lud. Maimbourg, de cujus tamen opere illud lepide dictum refert Dupinius *Biblioth. Eccl. Saec.* XVII. P. 4.: *peu d' etoffe, beaucoup de broderie*; quod dictum sibi tribuit Rich. Simonius in nota (3) de la VII. *Lettre critique de M. Simon T. I. pag.* 87. Videri possunt Pe-

CAPUT III.

Demonstratur, Spiritum sanctum a Filio non minus, quam a Patre vere, atque interne procedere.

103. Et primo id demonstratur ex sacris litteris. Nam Joan. XVI. 13. *& seq.* hæc de Spiritu sancto Christus Dominus dicit: *Non loquetur a semetipso; sed quæcumque audiet, loquetur, & quæ ventura sunt, annunciabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt; propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Quo loco postquam Christus Dominus asseruisset Spiritum sanctum procedere ab alio, nempe a Patre, pergit ostendere, illum etiam a se procedere, ita quasi ratiocinando: Omnia, quæ habet Pater mea sunt, scilicet propter eamdem ipsissimam utriusque naturam: ergo etiam virtus spirativa Patris mea est; ac propterea Spiritus sanctus *de meo accipiet*, hoc est, non minus a me, quam a Patre procedit.

104. Frustra autem est Theophilactus, qui illud *de meo* ita proprio marte supplevit: *hoc est ex eis, quæ novi, & ex mea scientia. Et vel aliter de meo, hoc est, de meo thesauro, qui scilicet Patris est* (a); aut Maldonatus, qui putat *supplendum esse de meo sermone.*

105. Frustra, inquam, est uterque; ea enim verba omnino continent processionem Spiritus sancti a Filio; hunc enim reddunt sensum: *ille accipiet de meo esse, seu de mea essentia, vel substantia.* Et quidem primo ita habent antiquæ versiones (apud Waltonum T. V. *Polyglott.*) Persice enim habet: *a me accipiet*, Arabica: *nam accipiet de eo, quod meum est; Æthiopice: totum, quod habet, meum est.* Siriaca demum, quæ est omnium vetustissima, & ad prima Ecclesiæ tempora pertinere creditur: *quippe qui de me est.*

106. Præterea antiqui Interpretes, etiam græci, non aliter hunc locum intellexerunt. Nam S. Epiphanius in *Ancorato* n. 67. *Cum Christus*, inquit, *ex Patre creditur, Deus ex Deo, & Spiritus ex Christo, sive ambobus, ut Christus his verbis asserit: qui a Patre procedit, & hic de meo accipiet* (b).

107. Didymus pariter nobilis sæculi IV. Scripturæ sacræ interpres in Lib. II. *de Spiritu sancto* n. 34. ita hunc locum exponit: *Non enim loquetur a semetipso, quia non ex se est, sed ex Patre, & ex me est. Hoc enim ipsum, quod subsistit, & loquitur, a Patre, & me illi est* (c).

108. Atque, ut brevior sim, omissis aliis, S. Cyrillus Alexandrinus Lib. XI. in Joann. ita Christi verba commentatur: *Quoniam consubstantialis Filio est, proceditque per eum, omnem ipsius in omnibus perfectissimam habens efficientiam, & virtutem, ideo dicit: de meo accipiet.* Et antea Lib. X. dixerat: *non enim alienus ab unigeniti substantia Spiritus sanctus intelligitur, procedit vero naturaliter ex ipsa.*

109. Dices cum Theophane Procopowicz (*de process. Spir. sanct.* c. 3. n. 99. & seq.) Interprete S. August. Tract. C. in Jo. illorum verborum: *de meo accipiet*, hic sensus est, ut dicatur Spiritus sanctus accipere de Filio, *quia accipit de Patre, unde accipit Filius*; non quasi Filius de Patre procedat, de Filio autem procedat Spiritus sanctus, quod ab Augustino negetur.

110. Resp., mirum profecto esse, eo impudentiæ pervenisse aliquos Græculos, ut patrocinium quærant in S. Augustino, qui processionem Spiri-

tavius Lib. VII. *de Trin.*, Nat. Alexander Dissert. IV. in Sæc. IX., & X., P. Bern. de Rubeis in duabus *Dissert. dogmatico-histor.* adnexis vitæ Georgii Cyprii, P. Mich. Le Quien in *Dissert. I. Damascenica*, & in *Panoplia contra schisma Græcorum* sub ementito nomine Stephani de Altimure Ponticensis; & qui omnia quatuor volum. in fol. complexus est Card. Laur. Cozza in *Hist. polem. de Græcorum Schismate.*

(a) Theophilactus pluribus in locis suorum operum processionem Spiritus sancti a Filio rejicit, præcipue autem in ep. ad Nicolaum Diaconum, & Canstrisium, quam ex græco codice Cæsareo-Vindobonensi in latinam linguam vertit, & publici juris fecit P. Bonifac. Finetti Ord. Præd. Verum id nos conturbare non debet; ut enim ajebat Jo. Beccus (apud Leonem Allatium in *Græcia orthodoxa* T. II. p. 519.), Theophilactus *tempore schismatis inclaruit, adeoque non multa consideratione digna videntur dicta ejus existimanda.* Floruit quippe Theophilactus Sæc. XI., & XII., ut ostendit cl. P. Jo. Franc. de Rubeis in dissert. præposita Tom. I. Venetæ edit. ejusdem Operum.

Nec etiam attendenda est hujus loci explicatio, tradita ab Auctore Homiliæ de Spiritu sancto, quæ habetur in T. III. Operum S. Jo. Chrysostomi. Critici enim melioris notæ, ut Fronto Ducæus, Savilius, Petavius, & Montfauconius eam apocrypham esse demonstrarunt; quidquid Photius in sua *Bibliotheca* cod. 227. contra dixerit. Consul. quæ diximus Dissert. II. in nota ad num. 208.

(b) Narrat Syropolus apud P. Le-Quien Dissert. I. *Damasc.* n. 57. Josephum Monachum, & Didascalum ingenue aliquando fassum fuisse, habere se quid ad aliorum Patrum loca responderet, ad Epiphanii vero locum nihil. Hoc etiam testimonio S. Epiphanii maxime usi sunt Beccus in *Collectaneis Sententiarum de Spiritu sancto*, Gennadius Lib. I. *contra Græcos*, & Bessarion Libro *Dogmat.* c. 7., qui omnes, ut & nonnulli alii, cum prius Photiano schismate implicati essent, postea veritate cognita strenue pro latino dogmate pugnarunt.

(c) Frustra vero Theophanes Procopowicz nos provocat ad aliquas antiquiores versiones, quæ hunc locum aliis verbis exponunt; constat enim posteriores S. Patrum editiones a Patribus Benedictinis, aliisque emunctioris naris Criticis curatas, esse iis veteribus longe præferendas.

ritus sancti a Filio & luculenter, & frequentissime in suis operibus statuit, & confirmat. Nec procul nobis recedendum est a loco objecto; nam Tract. præced., nempe 99. n. 6. *Filius*, inquit, *solius Patris est Filius, & Pater solius Filii est Pater. Spiritus autem sanctus non est unius eorum Spiritus, sed amborum*; quam veritatem nonnullis Scripturæ sacræ testimoniis confirmat, ac sic concludit: *Multa alia sunt testimonia, quibus hoc evidenter ostenditur, & Patris, & Filii esse Spiritum, qui in Trinitate dicitur Spiritus sanctus*. Et n. 8. *Si ergo & de Patre, & de Filio procedit Spiritus sanctus, cur Filius dixit, de Patre procedit? Cur putas, nisi quemadmodum ad eum solet referre, & quod ipsius est, de quo & ipse est? ... A quo autem habet Filius ut sit Deus (est enim de Deo Deus), ab illo habet utique, ut etiam de illo procedat Spiritus sanctus; ac per hoc Spiritus sanctus ut etiam de Filio procedat, sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre*. Et sexcenta alia ejusdem generis apud hunc S. Doctorem occurrunt, ut lucem meridianam tollere videantur, qui ab ipso negatam dicunt processionem Spiritus sancti a Filio.

111. Quando igitur Tract. 100., vel aliis in locis asserit, Spiritum sanctum non procedere a Filio, id asserit contra Hæreticos, qui cùm a Filio instar aliarum creaturarum factum esse dicebant, eaque verba, *de meo accipiet*, sensu hæretico explicabant.

112. Prob. secundo processio Spiritus sancti a Filio ex Patribus græcis. Et quidem præter testimonia mox allata Epiphanii, Didymi, & Cyrilli, totius Orientalis Ecclesiæ consensus manifeste apparet in ep. synodica S. Cyrilli Alexandrini ad Nestorium, quæ in Concilio Ephesino probata fuit, atque iterum in sequentibus conciliis confirmata. In ea enim ita nomine totius provinciæ Ægypti de Spiritu sancto loquitur n. 10.: *Non est tamen ab eo (Filio) alienus; quandoquidem Spiritus veritatis nominatus, Christus autem veritas est, & proinde ab illo quoque, atque a Deo Patre procedit* (a). Et anathemat. IX. *Si quis .... non proprium illius esse ait Spiritum .... anathema sit*.

113. Sed ulterius præsto sunt duo Patres doctrina non minus, quam pietate, & dignitate pares S. Basilius, & Gregorius Nyssenus; quorum prior Lib. V. *contra Eunomium* non dubitat Spiritum sanctum appellare *Verbum Filii*; quod quomodo dici possit, negata semel ejusdem processione a Filio, non video. Quæstionem præterea movet, cur Spiritus sanctus, cum sit Verbum Filii, non etiam ejusdem Filius dici possit; cui quæstioni certe nullus locus est, si a Filio non procedit (b).

114. Celeberrimum denique illud est ejusdem S. Basilii testimonium, cujus authentiam in Concilio Florentino Joannes de Monte nigro Ord. Præd. evidentissime vindicavit, cum nomine Latinorum contra Græcos disputaret. Ita autem habet, omni adulteratione sublata Lib. III. *contra Eunomium: Dignitate quidem* (Spiritum sanctum) *secundum esse a Filio, ut qui esse ab illo habeat, & ab ipso accipiat, & annunciet nobis, & omnino ex illa causa pendeat, tradit pietatis sermo* (c).

115. S. autem Gregorius Nyssenus Lib. I. contra Eunomium: *Porro*, inquit, *idem nobis & de Spiritu S. dicendum est, cujus in solo ordine differentia constituta est. Nam ut Patri conjunctus est Filius, & cum ex illo esse habeat, non tamen posterius existit, sic etiam Spiritus sanctus proxime hæret Filio, adeo ut detracta principii ratione, nulla re sancta Trinitas a seipsa dissideat*. Quo in loco primo S. Gregorius Spiritum sanctum a Patre, & Filio solo ordine differre docet; iste autem ordo nihil est aliud, quam processio, & origo. Ulterius dicit, quemadmodum Filius Patri conjunctus est, utique per generationem, ita Spiritum sanctum hærere Filio, proculdubio per veram, atque internam processionem. Demum sublata ratione principii nullam esse dicit in Trinitate differentiam; quo fit, ut ad mentem S. Gregorii, Spiritus sanctus a Filio non differret, nisi ab eo procederet. Quam rationem examinabimus postea.

116. Denique qualis esset de processione Spiritus

(a) Non desunt, qui hæc verba in dubium revocent; sed nimis levibus conjecturis, ut ostendit Nic. l'Erminier in hac controversia.

(b) Verba S. Basilii hæc sunt: *Propterea & Dei quidem Verbum Filius; Filii autem Verbum Spiritus ... & cum Verbum sit Filii, proinde Dei est ... At dicis, si Dei quidem imago est Filius, Filii vero Spiritus; item si Filius sermo Dei est, Spiritus vero est Verbum Filii, cur Spiritus non est dictus Filius Filii?* Cui quæstioni ita respondet: *Si quis dixisset Filium ex Filio, Trinitatem deitatis in multitudinis suspicionem apud homines, qui hoc audivissent, adduxisset. Promptum namque erat suspicari, si Filius ex Filio genitus fuisset, etiam ex hoc alium rursus genitum fuisse, & rursus alium &c. ... Et ut nunquam introducatur multitudo ..... unus Pater, unus Filius, unus Spiritus sanct*. Quanquam vero D. Julianus Garnier in præf. ad I. Tomum Operum Sanct. Basilii §. 11. probabiliter censeat, post Erasmum, Lib. IV. & V. contra Eunomium non esse S. Basilii, argumentum tamen vim suam obtinet contra Græcos, qui utrumque librum recipiunt. Sed præterea communis fere aliorum Criticorum consensus est, eos libros esse genuinos S. Basilii fœtus. Vid. P. Ceillier Tomo IX. de l'*Histor. des Auteurs Eccl.* cap. 8. art. 2. §. 3.

(c) De hoc S. Basilii loco vid. Dissertatio a P. Ludov. Valée Præfecto Bibliothecæ S. Genovefæ anno 1721. edita, tum P. Dion. Petavius Lib. VII. *de Trin.* cap. 3. ac demum D. Julianus Garnier in præf. ad Tom. III. S. Basilii §. 4., qui etiam nonnulla alia hujus S. Patris testimonia affert ad confirmandum nostrum catholicum dogma.

tus sancti a Filio veterum Græcorum sententia, etiam liquet ex objectione Macedonianorum, qui, ut S. Athanasius refert in ep. 1. ad Serapionem, ita Catholicos urgebant: *Si Spiritus Filii est Spiritus, ergo Deus* (Pater) *Spiritui sancto est avus*. Quæ certe objectio nemini in mentem venisset, si creditum a Catholicis fuisset, Spiritum sanctum a Filio non procedere.

117. His addi possunt eæ veterum Patrum phrases, quibus Spiritum sanctum appellarunt *Spiritum Filii*, ut S. Athanasius in 1. ep. ad Serapionem num. 2., aut *imaginem Filii*, ut S. Gregorius Thaumaturgus in *Profess. fidei*, laud. mox S. Athanasius, S. Basilius Lib. V. *adv. Eunon.*, aliique; aut etiam *Verbum Filii*, ut ipse S. Basilius; & ceteræ similes locutiones, quæ veram atque internam Spiritus sancti processionem significare debent; quemadmodum veram Filii processionem a Patre significant, cum de Filio dicuntur (*a*).

118. Idem catholicum dogma multo frequentius, ac luculentius traditum fuit a sanctis Patribus Ecclesiæ latinæ, quod nimia evidentia convicti Græci cordatiores negare non audent. S. Hilarius, qui diu, multumque in Ecclesia Orientali commoratus fuit, & sæpius pro summæ Trinitatis defensione decertavit, in Lib. II. *de Trinit.* cap. 4. *Spiritus sanctus*, inquit, *de Patre, & Filio auctoribus confitendus est*.

119. S. Ambrosius *de Symbolo* cap. 3. inquit: *Spiritus autem sanctus vere Spiritus est, procedens quidem a Patre, & Filio*.

120. S. Augustinus adeo sæpe, & dilucide hanc doctrinam tradit, ut eum aliqui Photiani primum ejusdem auctorem fuisse commenti sint. Ita inter alios Gregorius Scholarius, qui postea Gennadii nomen assumpsit.

121. S. Fulgentius in Libro *de fide ad Petrum* cap. 11. *Firmissime tene*, inquit, *& nullatenus dubites, eumdem Spiritum sanctum, qui Patris, & Filii unus est Spiritus, de Patre, & Filio procedere*.

122. Denique, pluribus aliis omissis, S. Leo magnus ep. 93. nunc 15. ad Turribium c. 1. Priscillianistas impios vocat, quod nonnisi unam in S. Trinitate personam admitterent, *tamquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus sanctus nominetur, nec alius sit, qui genuit, alius, qui genitus est, alius, qui de utroque procedit*.

123. Commemorari item hoc loco meretur S. Gregorius Magnus, qui Lib. II. *Dialog.* cap. postrem. *Constare*, inquit, *Paraclitum Spiritum a Patre semper procedere, & Filio*. At vero cum Zacharias Pontifex natione Græcus, pro suæ gentis spirituali emolumento hos dialogos in græcum idioma vertisset, quidam veteratores locum S. Gregorii corrumpere ausi sunt, dementes illam particulam *& a Filio*. Id testatur Jo. Diaconus in vita S. Gregorii cap. 75. Auctor insignis hujus corruptionis habetur Photius ipse, qui hanc versionem Dialogorum S. Gregorii in linguam græcam plurimum commendavit in sua *Bibliotheca* Cod. 252. inquiens: *Per centum & sexaginta quinque annos hi, qui latinam linguam ignorarent, magna utilitate hujus operis frustrati sunt. Zacharias vero, qui hujus sancti viri post illud tempus successor fuit, tantum opus in Italia conclusum in linguam græcam vertens, communem utilitatem orbi terrarum benigne exhibuit*. Ita corruptor vertit: *Aperte igitur patet, quod Paraclitus Spiritus a Patre procedit, & in Filio permanet*.

124. Magna autem profecto fuit etiam apud antiquos Græcos latinorum Patrum existimatio, Augustini præsertim, ut patet cum ex plurimis aliis monumentis, tum potissimum ex duobus Conciliis œcumenicis Ephesino, & Constantinopolitano II., in quibus non minus Latinorum, quam Græcorum Patrum auctoritate veritates Catholicæ definitæ fuere, ut mirabile proinde videri debeat, eosdem a recentioribus Græcis in hac controversia contemni (*b*).

125. Prob. demum æterna Spiritus sancti processio a Filio illa invicta ratione, quam Christus ipse nobis indicare dignatus est Joann. XVI., & qua usi sunt Patres Synodi Florentinæ in decreto unionis his verbis: *Quia omnia, quæ Patri sunt, ipse Pater unigenito suo gignendo dedit, præter esse Patrem, hoc ipsum, quod Spiritus sanctus procedit a Filio, ipse Filius æternaliter habet a Patre*. Hanc ipsam theologicam rationem ita S. Thomas proponit Lib. VI. *contra Gent.* cap. 24. num. 7.: *Pater, & Filius, quantum ad unitatem*

(*a*) Digna notatu videtur ingenua illa confessio Nechitis Archiep. Nicomediensis in Collationibus habitis cum Anselmo Episcopo Havelbergensi anno 1149. Lib. II. cap. 24. *Majores nostri*, inquiebat, *hujus processionis verbum affirmativum*, procedit a Filio: *humiliter hactenus vitaverunt, ignorantes quidem rei veritatem, & caventes vocis temeritatem. Verbum vero negativum*, non procedit a Filio: *etiam nunquam dixerunt, metuentes errorem, & fugientes offensionem Scripturæ, neutrum manifeste dicentes; nisi forte irritati, & aliquorum Latinorum hoc temere affirmantium improbitate commoti &c.* Collationes porro illæ, seu dialogi jussu Eugenii III. Rom. Pontificis scriptæ fuere ab eodem Anselmo, & habentur in Tomo I. *Spicilegii Acheriani* pag. 161. & seq.

(*b*) Iis præivit eunuchus Photius; qui apud Euthymium in *Panop.* Part. II. in fine tit. 12. ita scribere non est veritus: *Objiciunt, Ambrosium ita de Spiritu sancto locutum esse... itemque Augustinum, & Hieronymum. De quibus ita respondendum est, vel Pneumatomachos illorum libros adulterasse; vel minus accurate ex quadam dispensatione locutos esse ... aut denique ab exacta rei scientia, utpote homines, aberrasse: quod multis magnis viris in quibusdam contigit &c.* quam Photii jocularem responsionem pro meritis castigat Petavius in fine c. 8. Lib. VII. *de Trin.*

tem essentiæ non differunt, nisi in hoc, quod hic est Pater, & hic est Filius. Quidquid igitur præter hoc est, commune est Patri, & Filio. Esse autem principium Spiritus Sancti est præter rationem paternitatis, & filiationis; nam alia relatio est, qua Pater est Pater, & qua Pater est principium Spiritus sancti: esse igitur principium Spiritus sancti est commune Patri, & Filio (a).

126. His, aliisque pluribus gravissimis momentis nostra sententia confirmata fuit, & propugnata, non solum a Latinis, sed etiam a bene multis nobilissimis Ecclesiæ græcæ Theologis (b), ac denique in duobus œcumenicis Conciliis Lugdunensi II. sub Gregorio X., & Florentino sub Eugenio IV., consentientibus etiam Græcis, solemniter definita; quamvis isti in patriam reduces ad schisma, atque hæresim fere omnes reversi fuerint.

127.

(a) Eamdem rationem ex S. Anselmo affert S. Thomas in opusculo contra *errores Græcorum*; in quo quidem opusculo negari non potest, S. Doctorem aliquibus supposititiis, vel interpolatis Græcorum Patrum testimoniis usum fuisse. Id tamen ei vitio dandum non est; fuit enim innocenter deceptus a libello quodam ipsi ab Urbano IV. oblato, in quo illa testimonia continebantur. *Postea vero*, inquit P. Mich. Le-Quien sub nomine Steph. de Altimura in præfat. *Panopliæ contra schisma Græcorum* n. 16., *fraudem utique subodoratus* ea testimonia prætermisit in Summâ theologica. Vid. etiam P. Jo. Franc. Bern. Maria de Rubeis in Diss. XVII. *de Opusc. S. Thomæ* c. 2.

(b) Primus, quod sciam, qui inter Græcos processionem Spiritus S. sæc. XIII. tutatus est, fuit Panthaleon Ecclesiæ Constantinop. Diaconus, & Cartophylax postea Dominicanæ Familiæ adscriptus in tractatu *contra errores Græcorum de process. Spir. sancti* &c., quem habemus in Tomo IV. *Auctarii Lect. antiqu.* Henr. Canisii ad. Jac. Basnagii, de quo videri potest P. Echard. in *Scrip. Ord. Præd.* Hunc postea secuti sunt:

Nicephorus Blemmidas Monachus, & Presbyter, *cujus in omni virtute, & sapientia nomen insigne* fuisse dicit Manuel Calecas in Lib. IV. *contra Græcos*. Duos ejus libros *de Spiritu sancto* græce, & latine edidit Rainaldus ad calcem Tom. XIII. *Annal.*, tum Leo Allatius Tomo I. *Græcia orthodoxa*. Floruit Blemmidas post medium sæc. XIII.

Jo. Beccus, sive Veccus Constantinopol. Ecclesiæ Patriarcha, cum primo processioni Spiritus S. a Filio acerrime adversatus esset, lectis postea Niceph. Blemmidæ scriptis errore deposito ad veram sententiam conversus, eamdem multis scriptis usque ad mortem constantissime defendit. Ejus opera cum testamento Leo Allatius inseruit Tomo I. *Græcia orthodoxa*. De eo autem fuse disserit in Lib. II. *de Ecclesia Occident., & Orient. perpetua consens.* c. 15.

Georgius Metochita, cujus multa de hac controversia scripta nondum edita memorat Leo Allatius *de Ecclesia Occid. & Orient. consens.* Lib. II. c. 15.; nonnulla vero inseruit græce, atque latine Tomo II. *Græcia orthodoxa*.

Constantini item Melitsniotæ aliqua opuscula idem Leo Allatius suæ *Græcia orthodoxa* inseruit Tomo II. Ambo isti doctrinæ, & fortunæ Jo. Becci fideles asseclæ fuerunt.

Simeon Constantinopolitanus Ord. FF. Prædic. in fine sæc. XIII. nonnulla contra populares suos scripsit, de quo videri possunt P. Echard. in Scriptor. Ord., & Leo Allatius Lib. II. *Ecclesia Occid. & Orient. consens.* cap. 15.

Jo. Chila Metropolita Ephesius eodem sæc. inter defensores processionis Spiritus S. a Filio numeratur a Leone Allatio Lib. mox laud. c. 2.

Barlaamus in Calabria natus, sed in Græcia educatus, & S. Basilii Monachus multa pro Latinis contra Græcos scripsit, & multa item pro Græcis contra Latinos; adeo ut nonnulli duos Barlaamos distinguendos esse putaverint, alterum *latinophronum*, alterum schismaticum. Opera hujus inconstantissimi Græci collegit Henr. Canisius Tom. IV. *Lect. Antiqu.*; & inveniuntur etiam in Tom. XXVI. *Biblioth.* PP. Lugdun.

Demetrius *Cydonius*, vel etiam *Thessalonicensis* dictus, primo *Orationem deliberativam ad Græcos* conscripsit, eos ad concordiam cum Latinis invitans, quam noster P. Combefisius græce, & latine suo *Auctario* inseruit Tom. II.; postea autem librum edidit *de processione Spir. S.* contra Maxim. Planudem, & alterum contra Barlaamum, qui prostant inter *Opusc. aurea* Petri Arcudii. Illi etiam debemus versionem in linguam græcam *Summæ* S. Thomæ *contra Gentiles*, item primam, & secundam partem *Summæ theologicæ* ejusdem S. Doctoris.

Inter alios græcos, qui pro veritate processionis Spiritus S. a Filio fortiter, & feliciter decertarunt, excelluit Manuel Calecas, Dominicani Instituti sæc. XIV. labente, cujus vita, & scripta legi possunt tum apud P. Echard. in *Script. Ord. FF. Præd.*, tum apud P. Touron. Tom. II. *Virorum illustrium Ord. S. Dominici*. Ejus quatuor Libri *de processione Spir. S.* jussu Martini V. fuerunt ab Ambrosio Camaldulensi latinitate donati, eidemque summo Pontifici dicati. Vid. ejusdem Ambrosii vita ed. Florent. 1759. in fol. p. 390.

Manuel Chrysoloras, qui diu in Italia commoratus titulum *restaurationis græc. lit.* consecutus est, tractatum reliquit *de processione Spir. S.* contra Græcos. De eo vid. Humfredus Hody *de Græcis illustribus linguæ græcæ, litterarumque humaniorum restauratoribus* Lib. I. c. 2., & doctissimus Jo. Hieron. Gradenigo Archiep. olim Utinensis nel *Ragionamento istorico critico intorno alla letteratura greco-italiana* c. 14.

Celebratur etiam a Leone Allatio quidam Maximus Monachus græcus, qui pro Spiritus Sancti processione a Filio contra populares suos strenue pugnavit.

Præter Simeonem Constantinop., de quo supra, alius quoque Simeon *Jacumæus* dictus, vel Sacumaene Ord. Præd. de veritate Catholici dogmatis bene meritus fuit apud Echard de *Scriptor. Ord. FF. Præd.* Tom. I. Floruit sæc. XV.

Eademque ætate Esaias confutavit Nicol. Siengiam epistola, quam græco-latinam edidit Leo Allatius in *Græcia orthodoxa* Tom. I. Hi omnes Catholicæ Ecclesiæ fidem ante Concilium Florentinum strenue tutati sunt.

Iis autem successit Andreas de Petra *Rhodius* dictus, Archiepiscopus Colossensis, qui contra Marcum Eugenium Ephesinum Metropolitam acerrime disputavit in Concilio Florentino, & post Concilium edidit opus *antirrheticum in Marci Ephesii epistolam*, cujus operis meminit Leo Allatius in *Diatriba de libris Eccl. Græcorum*.

Maxime autem contra Græcos inclaruit Card. Bessa-

127. Obj. primo. Sacræ litteræ, ubi agunt de processione Spiritus sancti, non nisi Patrem memorant Joann. XV. 26.: *Qui a Patre procedit*. Si autem procederet etiam a Filio, debuissent hoc explicite tradere. Nam primo ibi Christus docere volebat Apostolos, qui esset ille Spiritus, quem missurus erat, & quænam ejus origo. Secundo unicus est ille locus in Scriptura sacra, ubi de processione Spiritus sancti agatur; adeoque nihil in eo reticeri debebat. Tertio quando Christus loquitur de missione Spiritus sancti, expresse dicit, illum mitti a Patre, & a se: cur ergo expresse quoque non dicit, illum procedere & a Patre, & a se?

128. Resp., hanc difficultatem, quam magni faciunt Græci, levem, imo nullam esse, si illam certissimam, & notissimam regulam præ oculis habeamus, quæcumque dicuntur de Patre, dici etiam de Filio, ac de Spiritu sancto, iis solis exceptis, quæ mutuam oppositionem relativam important. Sic cum dicitur Matth. XI. 27. *Nemo novit Filium, nisi Pater*, non excluditur Filius ipse, quin noscat seipsum. Porro cum virtus spirativa Patris non opponatur Personæ Filii, cum dicitur Spiritus sanctus procedere a Patre, hoc ipso significatur eum procedere etiam a Filio.

129. Sufficienter autem Christus Dominus docuit Apostolos, Spiritum sanctum, ex quo procedat a Patre, etiam a seipso procedere, quia jam ipsis dixerat: *Ego, & Pater unum sumus* Joann. X. 30. *Ego in Patre, & Pater in me est*. Joann. XIV. 9.; & postea adhuc clarius XVI. 15. *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*. Ac demum XVII. 10. ita Christus Patrem suum alloquitur: *Mea omnia tua sunt, & tua mea sunt*; quibus omnibus luculenter ostendit, non posse Spiritum sanctum a Patre procedere, quin etiam a seipso procedat, *propter inseparabilitatem substantiæ*, ut ait S. Augustinus Lib. I. de Trinit. cap. 8., ubi variis exemplis demonstrat, nominata una Persona divina, intelligi & alias, nisi obstet oppositio relativa.

130. Falsum est autem, hoc unico loco sacrarum scripturarum agi de processione Spiritus sancti. Namque Joann. XVI. 13., & seq. adhuc clarius ostendit Christus Dominus, Spiritum sanctum a se quoque procedere. Vid. sup. num. 103. Huc etiam spectant ea loca, in quibus Spiritus sanctus dicitur *Spiritus Christi* Roman. VIII. 9., *Spiritus Filii Dei* ad Gal. IV. 6., *Spiritus oris Christi* 2. Thes-

rion, Trapezuntii natus, & Metropolita Nicænus. Hic omni scientiarum genere exornatus primum Græcorum errores acerrime propugnavit, sed veritate tandem Deo illustrante cognita eidem constanter usque ad mortem adhæsit, multaque reliquit doctrinæ ac fidei suæ monumenta.

Eodem tempore Græcorum errores confutavit Georgius Trapezuntinus, de quo agit Leo Allatius in *Diatriba de Georgiis*, ejusque opuscula duo inseruit *Græcia orthodoxa* Tom. I.

Jo. etiam Cubocleslus Georgio æqualis orationem scripsit *de processione Spiritus S. contra Græcos*, cujus meminit Nic. Comnenus p. 306. *Pranot. Mystagog.*

Similem orationem edidit Maximus Chrysoberga Monachus, quæ claudit Vol. II. *Græciæ orthodoxæ* Leonis Allatii.

Josephus Episcopus Methonensis scripsit *libellum apologeticum* pro Synodo Florentina adv. Marcum Ephesium, qui libellus cum versione latina Matth. Caryophili positus fuit ad calcem Concilii Florentini.

Jo. Plusiadenus Archipresbyter Auctor fuit *Dialogi de differentiis inter Græcos, & Latinos, & de Sacros. Synodo Florent.*, quem postea græce, & latine edidit Leo Allatius Tomo I. *Græciæ orthod.*

Apologiam pro Synodo Florentina edidit quoque Gregorius Melissenus *Mammas* dictus, ad patriarchalem Constantinop. Sedem postea evectus. Hæc pariter græce, & latine habetur ad calcem Concilii Florentini. Nonnullis aliis scriptis Græcorum confutavit errores.

Hilarion Monachus græcus librum scripsit *de processione Spiritus S.*, quem laudat Nicol. Comnenus in *Pranot. Mystagogicarum*.

Similem librum scripsit item Joan. Argyropulus, qui Constantinopoli a Turcis capta in Italiam se recepit.

Versus finem Sæculi XVI. Matthæus Caryophilus relicta Græcia Romam profectus non solum aliqua Græcorum opuscula pro defensione processionis Spiritus sancti in latinam linguam convertit; sed multa etiam contra suos Græcos ipse edidit, quorum Catalogum exhibet Jo. Alb. Fabricius Tom. X. *Biblioth. Græca* pag. 414.

Sæculo XVII. Romæ florebat Petrus Arcudius Corcyraeus, qui multa ipse scripsit, & multa etiam aliorum scripta contra Græcos collegit in suis *Opusculis aureis theologicis*. Quæ omnia recenset Jo. Alb. Fabricius *Bibl. Græca* Tom. X. pag. 417.

Vix commemorari meretur Jo. Bapt. Catumsyritus Calaber Italo-Græcus, quia ejus opera decreto Congreg. Indicis 9. Maji 1636. damnata sunt, *exceptis iis, quæ ab auctore recognita Romæ iterum edita fuere, ac probata*.

Multo clarior, & Græcis errantibus infestior fuit Leo Allatius patria Chius, anno 1669. octogenario major Romæ mortuus; cujus vitam edidit Stephanus Gradi ejusdem in Vaticanæ Bibliothecæ præfectura successor. Scripta sua ipse recensuit in Elencho edito Romæ 1659. Non omnia tamen, quæ Caryophilus, Arcudius, & Allatius scripserunt, ab eruditis Latinis probari notavit Eusebius Renandotius ad Gennadii Constantinopol. Homiliam de S. Eucharistia pag. 39., ubi ita concludit: *testes tot Catholicorum libri editi ab annis 30., in quibus Arcudius vapulat, tamquam perpetuus Ecclesiæ græcæ calumniator, Allatio non parcitur, Caryophilus, & alii Hellenomastiges sæpe refelluntur*.

Postremus se se offert Nic. Comnenus Papadopoli Cretensis, in Patavina Universitate Sacr. Canonum interpres, quem *nobilitate generis, atque eruditione præstantissimum* jure appellat Steph. de Altimura in præfat. ad *Panopliam contra schisma Græcorum* num. 23. Hic anno 1697. Patavii evulgavit *Pranotiones mystagogicas ex jure Canonico*; in quibus Photianos non minus eleganter, quam solida impugnavit.

Et hæc dicta sint, ut constet, Deum etiam in ipsa Communione græca sibi reservasse, qui orthodoxam suæ Ecclesiæ doctrinam sequerentur, ac tuerentur.

Thessal. II. 8.; quæ nomina manifeste significant, eum a Filio *hypostatice* procedere (a).

131. Frustra vero hic cavillatur Theophanes dicens, si hæc ratio valeret, etiam consequi, Filium generari a Spiritu sancto, quia etiam Spiritus sanctus ea omnia habet, quæ habet Pater. Frustra, inquam, ita cavillatur Schismaticus; quamvis enim virtus generativa Patris non opponatur relative Spiritui sancto, non potest tamen ei convenire propter ejusdem processionem a Filio; qua fit, ut non possit eum gignere, a quo ipse procedit.

132. Cum autem moleste sciscitantur Adversarii, cur Christus expresse non dixerit, Spiritum sanctum procedere etiam a se, fatendum est, horum, & similium, quæ in sacris eloquiis nonnisi implicite continentur, certam reddi rationem non posse; non tamen propterea hæc negare licet; præcipue quando manifesta, & constans accedit sanctorum Patrum interpretatio, & traditio. Nec puto Adversarios aliter responsuros Macedonianis, si importune sciscitentur, quare Spiritus sanctus in sacris litteris non ita aperte, & frequenter appelletur *Deus*, sicut appellatur Filius. Porro necessarium erat exprimere processionem Spiritus sancti a Patre; ea autem expressa, statim intelligebatur ejusdem Spiritus sancti processio etiam a Filio.

133. Cur vero potius processionis a Patre, quam a se, mentionem Christus fecerit, S. Augustinus hanc rationem suppeditat Lib. II. *Contra Maximinum* cap. 14. inquiens: „ Ideo cum de illo „ (Spiritu sancto) Filius loqueretur, ait: *de Patre procedit*, quoniam Pater processionis ejus „ est auctor, qui talem Filium genuit, & gignendo ei dedit, ut etiam de ipso procederet Spiritus sanctus. “ Ubi Sanct. Doctor multa addit lectu dignissima ad probandam processionem Spiritus sancti a Filio.

134. Jam vero ex hac doctrina facile explicantur testimonia sanctorum Patrum, quæ inutili diligentia Theophanes Procopovvicz magno numero collegit, tum etiam antiqua quædam symbola, in quibus Spiritus sanctus dicitur procedere a Patre, nulla facta mentione processionis a Filio. Quamvis negare non potuit, in uno vetustissimo, quod S. Damaso tribuitur, processionem Spiritus sancti a Filio inveniri; sed solito effugio elabitur, dicens: *Vox Filioque sine dubio a Latino quodam est inserta*.

135. Instat tamen Theophanes, & quærit, an Patres, & Pastores populum edocerent de processione Spiritus sancti a Filio? Si non docebant, eccur Fideles hunc fidei articulum ignorare sinebant? Si autem docebant, eccur hunc eumdem articulum in symbolo non reponebant?

136. Responsio tamen est facilis; certum est enim attentis tot, & tam illustribus Patrum, præsertim latinorum, testimoniis, fideles saltem excultiores hunc articulum non latuisse; quamvis minus culti fortasse solum implicite illum crederent. Non tamen Patres, & Pastores eumdem symbolis inseri curarunt, nisi quando Hæreticorum protervia ipsos ad id faciendum coegit. Hoc ipsum contigit etiam in aliis quibusdam fidei nostræ dogmatibus, quæ expresse Symbolis inserta non fuere, nisi quando propter Hæreticos ea negantes id visum est necessarium.

137. Objic. secundo. Synodus Constantinopolitana in Symbolo credere nos jubet solum processionem Spiritus sancti a Patre, de eo dicens: *Qui a Patre procedit*.

138. Resp., processionem Spiritus sancti a Filio non fuisse quidem in symbolo Constantinop. expressam, non tamen propterea negatam; neque enim dicitur: qui a Patre *solo* procedit. Ratio autem, cur Patres Constantinopolitani expressam mentionem fecerint processionis Spiritus sancti a Patre, non autem a Filio, hæc esse potuit, quia tunc grassabantur Macedoniani, qui Spiritum sanctum non a Patre per veram, internamque processionem esse, sed a Filio creatum fuisse, blasphemabant. Ceterum quando orti sunt Hæretici, negantes ejusdem Spiritus sancti processionem a Filio Ecclesia eadem utens auctoritate, qua Patres Constantinopolitani usi sunt, Symbolo particulam *Filioque* addidit.

139. Obj. tertio. Sæculo V. Theodoretus in Concilio Ephesino processionem Spiritus sancti a Filio, ut impiam, ac sacrilegam doctrinam aperte impugnavit; atqui nullum propterea facessitum illi fuit negotium: ergo sæculo Ecclesiæ V. processio Spiritus S. a Filio, communiter a fidelibus rejiciebatur. Minor est certa; quamvis enim Theodoretus multos, gravesque habuerit inimicos, a nemine tamen propter hoc doctrinæ caput reprehensus, aut accusatus legitur. Major autem prob. primo. Cum S. Cyrillus Alexandrinus in suis anathematismis num. 9. Spiritum sanctum *proprium* esse Filii dixisset, unde ejusdem processio a Filio consequitur, Theodoretus hanc Cyrilli doctrinam impiam, & blasphemam appellare non dubitavit: *Proprium autem Filii*, inquiebat, *si quidem ut ejusdem cum eo naturæ, & ex Patre pro-*

(a) S. Thomas I. P. q. 36. art. 1. ad 1. ita hanc difficultatem expedit: *Regulariter in S. Scriptura tenendum est, quod id, quod de Patre dicitur, oportet de Filio intelligi, etiamsi dictio exclusiva addatur, nisi solum in illis, in quibus Pater, & Filius secundum oppositas relationes distinguuntur. Cum enim Dominus Matth. XI. dicit: nemo novit Filium, nisi Pater, non excluditur, quin Filius seipsum cognoscat. Sic igitur cum dicitur, quod Spiritus sanctus a Patre procedit, etiamsi adderetur, quod a solo Patre procedit, non excluderetur inde Filius; quia quantum ad hoc, quod est esse principium Spiritus sancti, non opponitur Pater, & Filius, sed solum quantum ad hoc, quod hic est Pater, & ille Filius.*

procedentem dixit, simul confitebimur, & tamquam piam suscipiemus vocem: si vero tamquam ex Filio, aut per Filium existentiam habeat, hoc ut blasphemum, & impium rejicimus. Praeterea multis aliis in locis Spiritum sanctum a Filio procedere apertissime negat, ut in epist. *ad Monasteria*, in cap. VIII. epist. ad Roman. io 1. ad Corinth. II. 12., & Lib. ult. *haeretic. fabularum* cap. 3.

140. Confirm. haec objectio, quia in eodem Concilio Ephesino Act. VI. lectum fuit Symbolum Theodori Mopsuesteni a Charisio Presbytero oblatum, in quo processio Spiritus sancti a Filio diserte negatur his verbis: *Sed nec Filium illum putamus, neque per Filium suam subsistentiam habentem*. Neque tamen Concilium Ephesinum tunc Theodori doctrinam rejecit, aut tamquam erroneam damnavit.

141. Resp. primo, satis verisimile esse, Theodoretum tantummodo negasse, Spiritum sanctum procedere a Filio io sensu Macedonianorum, & Apollinistarum: quasi Spiritus sanctus a Filio creatus esset; quem pravum, & haereticum sensum Theodoretus inscite omnino, & calumniose Cyrillo affingebat. Hinc idem Theodoretus in epist. *ad Monasteria* Cyrillum hujus impietatis apertius accusat, inquiens: *Blasphemat vero in Spiritum sanctum, non ex Patre ipsum procedere dicens* (a) *secundum Domini vocem, sed ex Filio esse. Iste Apollinarii seminum fructus: propinquat vero & Macedonii malignae culturae*. Et ad versic. 11. cap. VIII. epist. ad Romanos de S. Paulo loquens: *sanctum vero Spiritum*, inquit, *& Dei appellavit, & Christi, non quod, ut volunt execrandi haeretici, ex Deo per Filium creatus sit*. Quod idem dicendum est de Symbolo Nestoriano Patribus Ephesinis a Charisio oblato.

142. Nec illud praetermittendum est, hujusmodi testimonia esse etiam ipsis Graecis contraria; in iis enim negatur, *Spiritum sanctum per Filium procedere*, quae tamen perpetua est Graecorum post multos Sanctos Patres loquendi formula, ut infra videbimus.

143. Resp. secundo, etiamsi Theodoretus, aliique omnino negassent, Spiritum sanctum procedere a Filio, mirabile minime esse, nihil hac de re fuisse a Synodo Ephesina, aliisque posterioribus Conciliis expresse definitum. Ea est enim Ecclesiae oeconomia, ut dum ad aliquem praecipuum errorem condemnandum incumbit, de aliis incidentibus sileat. Sic in Concilio Nicaeno sola consubstantialis Filii divinitas contra Arium asserta, & vindicata fuit; nihil vero de Spiritus sancti divinitate expresse definitum, quamvis Arius non minus impie de Spiritu sancto, quam de Filio sentiret. Vide supra n. 38. & sequ.

144. Implicite tamen, & consequenter sententia S. Cyrilli probata fuit, & oppositus error damnatus, ut scite admodum observavit Sanctus Thomas q. X. *de potentia* art. 4. ad 13. Nam S. Cyrilli epistola Synodica una cum duodecim anathematismis adnexis recepta, & prolata fuit non solum in Ephesina Synodo, sed in aliis etiam subsequentibus IV. V. VI. Scripta vero Theodoreti adversus S. Cyrillum in Concilio V. generali damnata fuere (Vid. Nat. Alexander Dissert. IV. in saecul. VI.). Imo quamquam Synodus Chalcedonensis non exegerit a Theodoreto, ut libros a se contra S. Cyrillum conscriptos expresse damnaret, aliqua tamen ratione Theodoretus ipse eos retractaverat, dum una cum reliquis subscripsit *Actioni*, in qua Patres Nestorium damnantes susceperunt *epistolas S. Cyrilli Alexandrinae Ecclesiae praesulis (Synodicas utique litteras ad Nestorium, & ad alios per Orientem*, ut recte notavit Card. Norisius *Synodo V.* c. 11. versus finem). Sic etiam dum Symbolum Theodori Mopsuesteni a Charisio oblatum in Synodo Ephesina rejectum fuit, etiam implicite rejecta videtur ejusdem doctrina contra processionem Spiritus sancti a Filio, vel saltem minime probata.

145. Dices. S. Cyrillus a Theodoreto reprehensus sententiam de processione Spiritus sancti a Filio mutavit, ipsum quidem non esse alienum a Filio praedicans, sed non alia de causa, nisi quia Filio est consubstantialis. Theodoretus enim in epist. ad Joannem Antiochenum se legisse narrat litteras Aegyptiorum, quibus praedicabant, *Spiritum sanctum neque ex Filio, aut per Filium extantiam habere, sed a Patre procedere, propriumque Filii dici, quia consubstantialis est* (b). Quae litterae eaedem esse putantur, quas S. Cyrillus Joanni Antiocheno per Paulum Emesenum miserat.

146. Resp. haec intelligenda esse contra errorem Macedonii, & Apollinarii, qui docebant, Spiritum sanctum procedere a Filio per creationem; non autem contra catholicum dogma processionis Spiritus sancti a Filio. Neque Theodoretus rectam Cyrilli fidem tandem aliquando cognovit, eum scilicet non ita docere, Spiritum sanctum procedere a Filio per creationem, quemadmodum Macedonius, atque Apollinarius docebant, ut proinde diversae a Filio esset substantiae, sed per ejusdem omnino essentiae communicationem.

147. Quod si Theodoretus putavit, Cyrillum a catholico dogmate processionis Spiritus sancti a Filio recessisse, studio partium abreptus veram ejusdem Cyrilli mentem minime est assecutus. Nam S. Antistes semper sibi constans in posterioribus suis operibus processionem Spiritus sancti a Filio numquam confiteri destitit. *In Dialogo* VII. *de Tri-*

(a) In aliquibus codicibus ita legitur: *dum non ex Patre solum illum asserit*. Sed haec lectio vitiosa est, ut videri potest in eadem epistola vulgata a P. Jo. Garnerio in *Auctario ad librum epistolar. Theodoreti*.

(b) Leo Allatius in *Vindiciis Synodi Ephesinae* cap. 29. hanc epistolam esse contendit supposititiam.

Trinit. Spiritum s. non esse alienum, substantiave sejunctum a Filio dicit, *quod ex ipso*, *& in ipso*, *& ipsius proprius sit;* & in Dialog. VIII. Spiritum sanctum *ex Christo esse*, dicit, *& ipsius proprium*. Hos autem dialogos post sancitam cum Orientalibus pacem fuisse a Cyrillo conscriptos, probat Pater Michael Le-Quien Dissert. I. *Damascenica* n. 6.

148. Dices. Cum Photius sæculo IX. aperte negaret processionem Spiritus sancti a Filio, non tamen propterea fuit a Romanis Pontificibus, vel a Synodo VIII. contra ipsum celebrata, sed propter alias causas condemnatus.

149. Resp. Photium, ut supra numer. 86. adnotavimus, ea[n]te hunc suum errorem dissimulasse, nec post Photii exauctorationem aliquid de eo auditum fuit usque ad tempora Cerularii; quando autem prodiit aperte, in Concilio Lugdunensi solemniter condemnatus fuit, Græcis ipsis consentientibus.

160. Ob. quarto. Veteres Patres græci passim Spiritum sanctum a Patre procedere dicunt per *Filium*. Ita inter ceteros S. Athanasius in *Refutatione simulationis*, *& hypocr. Meletii*, *& Eusebii*, & in *Quæst. sacris*, ubi diserte asserit, Spiritum sanctum *a solo* Patre procedere (a); Sanctus Basilius epist. 45. & alibi sæpe, Sanctus Gregorius Nazianz. *Orat.* XXIV., Sanct. Cyrillus Alexandr. Lib. II. in Joann. cap. 3., aliique fere omnes.

151. Respond. cum Sanct. Thoma I. P. quæst. 36. art. 3., *quia Filius habet a Patre*, *quod ab eo procedat Spiritus sanctus*, *posse dici*, *quod Pater per Filium spirat Spiritum sanctum*, *vel quod Spiritus sanctus procedat a Patre per Filium*, *quod idem est*. Nullo itaque discrimine particulæ *ex*, & *per* usurpatæ sunt, ad significandam processionem Spiritus sancti a Filio. Id colligo primo, quia iidem veteres Patres græci sæpius non dubitarunt uti particula *ex*, ut in eorum testimoniis superius allatis apparet. Secundo, quia etiam latini Patres, de quorum mente nulla cordato viro oriri dubitatio potest, non raro Spiritum sanctum *a Patre per Filium* procedere & ipsi dixerunt. Tertio quia Cardinalis Bessarion Græcorum doctissimus in oratione de hoc argumento habita in Concilio Florentino, an probandam processionem Spiritus sancti a Filio omnia cum Græcorum, tum Latinorum testimonia studiose collegit, quibus dicitur Spiritus sanctus a Patre per Filium procedere. Demum, quia in Synodo Florentina post diuturnam, & accuratam hujus controversiæ discussionem unanimi Græcorum, ac Latinorum calculo ita conclusum fuit in decreto unionis: *Declarantes*, *quod id*, *quod sancti Doctores & Patres dicunt*, *ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum*, *ad hanc intelligentiam tendit*, *ut per hoc significetur*, *Filium quoque esse*, *secundum Græcos quidem causam*, *secundum vero Latinos principium subsistentiæ Spiritus sancti*, *sicut & Patrem*.

152. Placet his addere exemplum plane simile. Cum dicitur in sacris litteris, omnia a Deo Patre fuisse creata per Filium, non negatur, imo potius asseritur, omnia a Filio, non minus quam a Patre esse omnia creata, quia virtus creatrix utrique communis est. Pari ergo ratione &c. Vid. P. Michael Le-Quien in nota ad cap. 9. Lib. I. *de fide orthod.* Sancti Joannis Damasceni.

153. Obj. quinto. In Actis passionis S. Andreæ (apud Ruinart) hæc habentur: *Pax omnibus*, *qui credunt Patrem*, *& Filium*, *& Spiritum sanctum procedentem ex Patre*, *& in Filio permanentem*.

154. Resp. cum Sanct. Thoma laud. q. 38. art. 1. ad 4. *Dicitur Spiritus sanctus in Filio quiescere*, *vel sicut amor amantis quiescit in amato*, *vel quantum ad humanam naturam Christi*, *propter id*, *quod scriptum est Joann. I.: super quem videris Spiritum descendentem*, *& manentem super eum*, *hic est qui baptizat*.

155. Obj. sexto. Rusticus Ecclesiæ Romanæ Diaconus, qui sæculo VI. sub Justiniano I. Imperatore, & Vigilio Romano Pontifice dialogum contra Acephalos vulgavit: *Quidam antiquorum*, inquit, *& hoc proprietatibus adjecerunt*, *quia sicut Spiritus sanctus cum Patre Filium sempiterne non genuit*, *sic nec procedit Spiritus a Filio*, *sicut a Patre*. *Ego vero*, *quia Spiritus quidem Filium non genuerit sempiterne*, *confiteor* (*nec enim duos dicimus Patres*); *utrum vero a Filio eodem modo*, *quo a Patre procedat*, *nondum perfecte habeo satisfactum* (b).

156. Resp. non tantam esse Rustici auctoritatem, ut commovere nos debeat; fuit enim homo schismaticus, & a Vigilio Papa propter schisma suo officio privatus. Quinam autem sint illi veteres processionem Spiritus sancti a Filio negantes, Rusticus nos minime docet. Fortasse ad Theodoretum, nonnullosque Nestorianos digitum intendit, de quibus supra egimus.

157. Obj. septimo. S. Joannes Damascenus, cum sæpe alias in suis operibus, tum præcipue Lib. I. *de fide orthodoxa* cap. 8. conceptis verbis Spiritum sanctum a Filio procedere negat. *Eum*, inquit, *ex Filio esse non dicimus*; *Filii tamen Spiritum vocitamus*. Quæ verba S. Jo. Damascenus videtur hausisse ex S. Maximo in epist. ad Marinum, in qua latinos Patres docentes, Spiritum sanctum procedere a Filio, ita explicat, *ut non Filium esse Spiritus sancti causam senserint* ... *sed ut significent*, *eum per ipsum*

(a) Hæc duo allegata S. Athanasii opera modo in Apocryphis, aut saltem dubiis numerantur.

(b) Dialogus iste invenitur in Tomo X. *Biblioth. Sanctorum Patrum* Lugdun. pagina 396. in nova autem editione Veneta Tomo XII. pag. 169.

psum prodire. Rursus idem S. Joannes cap. 12. de Spiritu sancto ait: *quia Filii quoque Spiritus dicitur, non velut ex ipso, sed per ipsum ex Patre procedens: solus enim Pater auctor est.* Ac demum pluribus aliis locis omissis, in *Hom. de Sabbato sancto* de eodem Spiritu sancto loquens, *qui tamen*, inquit, *etiam Filii dicitur, quod per ipsum manifestatur, & rebus conditis impertitus, non autem ex ipso habens, ut existat.*

158. Resp. primo, hæc prolata a S. Joan. Damasceno fuisse, quando hæc controversia nondum plene eliquata, ac definita fuerat: minime autem dubitandum esse, eum latinæ Ecclesiæ consensurum fuisse, si ea vixisset ætate, in qua veritas hæc a duobus plenariis conciliis Lugdunensi, & Florentino plenissime discussa, atque Græcorum non minus, quam Latinorum consensu definita fuit; unde sanctus Thomas (I. P. qu. 36. art. 2. ad 3.) concludit, *ejus sententiæ standum non esse.* Neque vero hodierni Græci conquerantur, nos ab unius Damasceni auctoritate cum debita reverentia recedere; quandoquidem ipsi non verentur Latinos omnes Doctores deserere, & præcipue S. Augustinum, quem sancto Jo. Damasceno & antiquitate, & scientia atque auctoritate, longe præferendum esse, nemo inficias ibit.

159. Resp. secundo, satis probabiliter processionem Spiritus sancti a Filio a sanct. Jo. Damasceno neque asseri, neque aperte negari. Quod enim dicit, *Spiritum sanctum a solo Patre procedere*, intelligi potest, tamquam a primo fonte, prima origine, primoque principio; vel etiam quia non procedit a Filio per virtutem spirativam, quæ alia sit a virtute spirativa Patris, sed omnino per eamdem: unde etiam hoc sensu vere dici potest, *solum Patrem esse Spiritus sancti auctorem.* Negat etiam, Spiritum sanctum *habere existentiam a Filio*, eo modo, quo habent ceteræ creaturæ ad hæresim Macedonianorum excludendam.

160. Ita Damascenum interpretati sunt Emmanuel Calecas Ord. Præd., Demetrius Cydonius, Card. Bessarion, aliique Græcorum doctissimi. Nec Sanct. Thomas hanc responsionem reprobat. Certe Damascenus Lib. 1. *de fide orthod.* cap. 18. Spiritum sanctum vocat *imaginem Filii. Imago*, inquit, *Patris est Filius, & Filii Spiritus.* Ex his autem verbis recte colligebat Hugo Heterianus (Lib. II. c. 7.) Spiritum sanctum etiam a Filio procedere; quemadmodum S. Gregorius Nazianz. Orat. XXVI. (in nova autem editione XXXI.) Filium a Patre procedere ex eo colligit, quod ipsius imago sit. *Imago*, inquit, *dicitur Filius Patris, tamquam consubstantialis Patri, & quia ex ipso est.*

161. Obj. octavo. S. Augustinus in Libro *de Fide, & Symbolo* n. 19. Tomo VI., postquam dixisset, de Spiritu sancto nondum tam copiose ac diligenter disputatum esse a doctis & magis divinarum scripturarum tractatoribus, ita subdit: *Servant tamen, ut non genitum Spiritum sanctum, tamquam Filium de Patre prædicent; unicus enim est Christus; neque de Filio, tamquam nepotem summi Patris: nec tamen id, quod est, nulli debere, sed Patri, ex quo omnia.* Hoc S. Augustini testimonium Theophanes vocat *maximum*; in eoque triumphat, quod Spiritus sanctus dicatur non *esse de Filio.*

162. Resp., in eo loco a sancto August. negari Spiritum sanctum esse de Filio, *tamquam nepotem summi Patris*; quasi scilicet non procedat *immediate* a Patre, sed tantum *mediate* per Filium. Quamvis autem sanctus Augustinus mentionem processionis Spiritus sancti a Filio non faciat, eamdem tamen insinuaverat num. præced., inquiens, Patrem esse *principium Filii, unde & caput Christi dicitur, quamvis & Christus principium, sed non Patris.* Cujus autem est Filius principium, nisi Spiritus sancti? Principium, inquam, non distinctum a Patre; quia una est utriusque vis spirativa, sicut una est utriusque essentia. Ceterum nullus esset dicendi finis, si omnia Sancti Augustini testimonia pro catholico nostro dogmate colligere, & afferre vellem. In Libro V. *de Trin.* cap. 14. *Fatendum est*, inquit, *Patrem, & Filium principium esse Spiritus sancti, non duo principia: sed sicut Pater, & Filius unus Deus ... sic relative ad Spiritum sanctum unum principium.* Et in Lib. XV. cap. 26. postquam dixisset, *in illa summa Trinitate, quæ Deus est, intervalla temporum nulla esse, per quæ possit ostendi, aut saltem requiri, utrum prius de Patre natus sit Filius, & postea de ambobus processerit Spiritus sanctus*, pergit ex sacra Scriptura ostendere, Spiritum sanctum *esse amborum*; quia dicitur *Spiritus Patris, & Spiritus Filii*, quia ab utroque mitti dicitur; & quia quemadmodum Christus dixerat, *qui a Patre procedit*, ita etiam *cum resurrexisset a mortuis, & apparuisset discipulis suis, insufflavit, & ait: accipite Spiritum sanctum, ut eum etiam a se procedere ostenderet.* Eat nunc Theophanes, & tam illustria sancti Augustini testimonia tenebris, si potest, involvere conetur; & si id non potest, clamet de more, omnia hæc loca fuisse falsariorum manibus in omnibus codicibus, in omnibus bibliothecis, ubique terrarum corrupta. *Credat Judæus Appella, non ego.*

163. Obj. nono. Si Spiritus sanctus procedit etiam a Filio, duo erunt ipsius principia, ac duplici actione producetur; quo nihil absurdius dici potest.

164. Resp. cum S. Augustino Lib. V. *de Trin.* c. 14. Patrem, & Filium unum esse Spiritus sancti principium, *non duo principia; & sicut Pater & Filius unus Deus, & ad creaturam relative unus creator, & unus Dominus, sic relative ad Spiritum S. unum principium.* Quod quidem in duobus œcumenicis Conciliis, Lugdunensi, & Florentino summa omnium concordia decla-

elaratum, ac sancitum fuit. Rationem hujus affert S. Thomas art. 4., *quia Pater, & Filius in omnibus unum sunt, in quibus non distinguit inter eos relationis oppositio. Unde cum in hoc, quod est esse principium Spiritus sancti, non opponantur relative, sequitur, quod Pater, & Filius sunt unum principium Spiritus sancti*. Duæ ergo sunt personæ spirantes, non tamen duplex spiratio, aut duplex principium; imo nec duo spiratores; nomina enim substantiva pluraliter enunciata multiplicant formas, ut ajunt Theologi.

165. Inst. primo. Spiritus sanctus non potest procedere a Patre, & a Filio, ut sunt unum in natura, quia tunc procederet etiam a seipso, prout unam, eamdemque habet divinam naturam: debet ergo procedere a Patre, & a Filio, ut a duabus distinctis personis, adeoque &c.

166. Respond. cum S. Thoma art. 4. ad 1., Spiritum sanctum procedere a Patre, & Filio, *inquantum sunt unum in virtute spirativa, quæ quodammodo significavit naturam cum proprietate. Neque est inconveniens, unam proprietatem esse in duobus suppositis, quorum est una natura*.

167. Inst. secundo. Hæc vis spirandi neque potest convenire Filio, tamquam proprietas naturæ, neque tamquam proprietas personæ. Non primum, cum enim natura sit etiam Spiritui sancto communis, ipsi quoque proprietas hæc convenire deberet. Non secundum, quia una proprietas personalis, sive notionalis pluribus personis convenire nequit.

168. Resp. cum sancto Thoma I. P. qu. 40. art. 1. ad 1., vim spirativam esse proprietatem personalem Patris, & Filii; non quidem, quæ ipsas utriusque personas constituat, sed quæ ad personas jam constitutas consequitur.

169. Obj. decimo. Si Spiritus S. nedum a Patre, sed etiam a Filio procederet, sequeretur primo, eum magis a Patre distare, quam Filium; tum secundo prius esse genitum Filium, quam spiratum Spiritum Sanctum: ac demum Spiritum sanctum posse appellari Patris nepotem, utpote qui a Filio Patris æterni procedit.

170. Primæ difficultati S. Thomas respondet (q. 36. art. 3. ad 1.) in qualibet actione duo esse consideranda, scilicet *suppositum agens, & virtutem, qua agit, sicut ignis calefacit calore. Si igitur in Patre & Filio consideretur virtus, qua spirant Spiritum sanctum, non cadit ibi aliquod medium, quia hæc virtus est una, & eadem. Si autem considerentur ipsæ personæ spirantes, sic cum Spiritus sanctus communiter procedat a Patre & Filio, invenitur Spiritus sanctus immediate a Patre procedere, inquantum est ab eo, & mediate, inquantum est a Filio; & sic dicitur procedere a Patre per Filium. Sicut etiam Abel processit immediate ab Adam, inquantum Adam fuit pater ejus, & mediate, inquantum Eva fuit mater ejus, quæ processit ab Adam. Licet hoc exemplum materialis processionis ineptum videatur ad significandam immaterialem processionem divinarum personarum*.

171. Secundæ respondet idem Angelicus (ib. ad 3.) *quod sicut generatio Filii est coæterna generanti (unde non prius fuit Pater, quam gigneret Filium), ita processio Spiritus sancti est coæterna suo principio; unde non fuit prius Filius genitus, quam Spiritus sanctus procederet; sed utrumque æternum est*.

172. Ad tertiam nego, Spiritum sanctum posse appellari nepotem Patris æterni. Nepos enim est filius filii, ut Henos filius Seth erat nepos Adam; Spiritus autem sanctus non est filius Verbi. Rursus nepos ab avo immediate non procedit, quemadmodum Spiritus sanctus immediate procedit a Patre (*a*).

173. Obj. ult. Spiritus sanctus perfecte procedit a Patre: supervacanea ergo est alia ejus processio a Filio.

174. Resp. cum sancto Thoma art. 2. ad 6., non solum supervacaneam non esse, sed esse omnino necessariam processionem Spiritus sancti a Filio, quia una est virtus spirativa Patris, ac Filii; & quidquid est a Patre, debet etiam esse a Filio, nisi proprietati filiationis repugnet (*b*).

APPENDIX.

De ratione, quam affert S. Thomas I. P. q. 36. art. 2. ad probandam processionem Spiritus sancti a Filio.

175. Sanctus Thomas loco laud. inde probat, Spiritum sanctum procedere a Filio, quia secus non posset ab illo *personaliter* distingui. Personæ enim divinæ non constituuntur, & distinguuntur ab invicem, nisi per relationes oppositas, quod patet in Patre. Licet enim in eo sint duæ relatio-

(*a*) Sanct. Athanasius huic similibusque cavillationibus Pneumatomachorum ita respondebat epist. 1. ad Serapionem num. 16.: *Silentium in his quæstionibus servare, & hujusmodi illorum argutias dissimulare satius certe fuerit. Veruntamen nostrum silentium majoris ipsis fiat impudentiæ occasio, hæc illis reponere non gravabor ... Nusquam in scripturis sacris Spiritus Filius dictus est, ne frater esse existimaretur; uti nec Filius Filii, nec Pater avus crederetur. Sed Filius Patris est Filius, & Spiritus Patris Spiritus dictus est, atque ita una Trinitatis divinitas, & fides est.*

(*b*) Nonnullæ aliæ difficultates ex falsis rationibus ductæ inveniuntur dissolutæ a S. Thoma laudata sæpius q. 36. I. Part., tum q. 10. *de potentia* art. 4., & Lib. IV. *contr. Gent.* c. 24. & seq. De tota vero quæstione utiliter legi poterunt, præter Scholasticos, Nat. Alexand. Diss. XVIII. in sæcul. IX. & X., Dion.

tiones, una nempe ad Filium, altera vero ad Spiritum sanctum, quia tamen hæ duæ relationes sibi oppositæ non sunt, ideo una tantum, non duplex, constituitur persona. Si ergo inter Filium, & Spiritum sanctum non esset relatio oppositionis per spirationem activam, & passivam, nulla posset esse inter utrumque personalis, & realis distinctio.

176. Quæ quidem ratio S. nostri præceptoris nedum in se firmissima est, sed etiam plurium sanct. Patrum doctrina roboratur, apud quos instar axiomatis semper fuit, in divinis nullam esse distinctionem realem, nisi ubi intercedit aliqua relationis oppositio.

177. Ita præcipue S. Augustinus Lib. VII. *de Trin.* cap. 1., ubi docet, *ea dici proprie in illa Trinitate distincte ad singulas personas pertinentia, quæ relative dicuntur ad invicem*. Et Tract. 89. in Jo. *Hoc solo*, inquit, *numerum insinuat, quo ad invicem sunt*. S. item Gregorius Nazianz. Orat. 37. *Mutua*, inquit, *eorum relationis differentia diversa ipsis* (personis divinis) *nomina procreavit*. Sanctus Gregorius Nyssenus Lib. I. contra Eunomium *Detracta*, inquit, *principii ratione, nulla re sancta Trinitas a se ipsa dissidet*. Patres Concilii Toletani XI. in professione fidei, *Credimus*, inquiunt, *Spiritum sanctum esse Paraclitum, qui nec Pater est, nec Filius, eo quod sit a Patre, Filioque procedens*. Ac demum Joannes de monte nigro Provincialis Ord. Præd. propter scientiæ theologicæ eminentiam cognomento *Theologus*, hac potissimum ratione in Concilio Florentino contra Græcos & pugnavit, & vicit.

178. Scotistæ, quibus post Scotum in I. Distinct. XI. & Henricum Quodl. V. quæst. 11., hæc Sancti Thomæ ratio minime arridet, respondent, sublata processione adhuc distinctum iri Spiritum sanctum a Filio per hoc solum, quod iste ab intellectu Patris per generationem, ille vero a voluntate per spirationem procedat. Cum enim generatio non sit formaliter spiratio, sequitur inde, Filium non esse Spiritum sanctum.

179. Confirmare etiam hanc suam doctrinam satagunt auctoritate potissimum sancti Anselmi, qui *de proc. Spir. sancti* c. 5. ait: *Habent utique a Patre esse Filius, & Spiritus sanctus, sed diverso modo, quia alter nascendo, alter procedendo ... & ideo ... etsi per aliud non essent plures Filius, & Spiritus sanctus, per hoc solum essent diversi*.

180. Sed Thomistæ, quibus bona, meliorque pars Theologorum subscribit, hanc Scotistarum subtilitatem refellunt dicentes, diversum procedendi modum diversas quidem afferre relationes disparatas, non tamen oppositas. Hoc ipso autem, quod relationes sint dumtaxat disparatæ, & non oppositæ, possunt in una, eademque persona consistere. Paternitas enim, & spiratio activa, quæ utique relationes diversæ sunt, & disparatæ, in una persona Patris consistunt. Eodem igitur pacto una, eademque persona potest a Patre & per intellectum, & per voluntatem procedere, quæ proinde & Filius, & Spiritus sanctus appellaretur; non secus ac prima persona & Pater appellatur, & Spiritus.

181. Auctoritati vero sancti Anselmi sanctus Thomas respondet q. 10. *de potentia* art. 5. ad 2., sanct. Anselmum loqui in hypothesi Græcorum. Sane in toto illo opere contra Græcos processionem Spiritus sancti a Filio ex eo maxime repetere videtur, quod ad ipsum referatur: unde & librum suum his verbis concludit: *In hoc itaque, quod Deus ad Deum dicitur, personarum admittit pluralitatem, & diversitatem*. Hinc etiam Scotus in Anselmi auctoritate non multum præsidii posuit. *Nolo*, inquit (in I. Distinct. XI. q. 2.) *multum circa ejus intentionem immorari*. Sed de hac ratione qui plura desiderat, facile ea apud Scholasticos inveniet. Sed legi omnino meretur totus ille art. 5., in quo sanctus Doctor hanc suam rationem fusius exponit, & contra varias objectiones acute juxta ac solide propugnat.

C A P U T IV.

De particula Filioque *Symbolo Constantinopolitano addita*.

182. Cum in veteri Synodi Nicænæ Symbolo a Synodo Constantinopolitana I. aliquibus vocibus aucto de processione Spiritus sancti hæc tantummodo legerentur *Qui ex Patre procedit*, sensim in Ecclesia Occidentali facta est hujus voculæ *Filioque* additio; nempe dicendo: *Qui ex Patre, Filioque procedit*. Ardua autem quæstio est de prima istius additionis epocha.

183. Communiter inter fabulas rejicitur opinio Manuelis Calecæ, qui Lib. IV. *contra Græcos* scribit, Damasum Rom. Pontificem coacto Concilio Symbolo adjecisse, Spiritum sanctum ex Patre *& Filio* procedere contra quosdam, qui dicebant, Spiritum sanctum ex Filio *nasci*, ut proinde Filii esset. Neque Symbolum, quod sub Damasi nomine inter Hieronymi Opera invenitur, hujus sancti Pontificis fœtus est. Hac igitur rejecta opinione:

184. Primi hujus additionis Auctores censentur Hispani sæculo VI. cadente, quo tempore Gothi ejurata hæresi Ariana fidem orthodoxam sub Reccaredo Rege amplexi sunt, ac Symbolum Nicæno-Constantinopolitanum recitare cœperunt. Id colligitur ex Synodo Toletana III. an. 589.

185.

Petavius Lib. VII. *de Trin.*, & P. Bern. de Rubeis *Diss. Hist. & dogmat. de processione Spir. S. a Patre, & Filio, seu per Filium*.

185. Hispanos secuti sunt proximi Galli, quo autem tempore incertum. Pithœus id refert ad finem sæculi VIII., quod etiam variis confirmat historicis monumentis eruditissimus P. Bern. de Rubeis Diss. II. *Hist. Dogm. de proc. Spir. sancti* c. 4. Sæc. autem IX. non solum in Gallia, verum etiam in Germania Symbolum cum particula *Filioque* jam canebatur.

186. Idemque in Ecclesia Romana fieri tandem consuevisse medio sæculo XI. vel ex eo solo constat, quod Michael Cerularius inde etiam prætextum sibi sumpsit schismatis renovandi, ut patet ex actis Synodi ab ipso celebratæ anno 1054. (apud Leonem Allatium diss. II. *de Lib. Eccl. græcæ* pag. 172.), & ex epistola ad Petrum Patriarcham Antioch. (apud Cotelerium Tom. II. *Monum. Eccl. græcæ*).

187. Probabile autem est, quamquam non omnino certum, hujus voculæ additionem Romæ factam fuisse a Benedicto VIII., cum an. 1014. sancti Henrici I. Imperatoris precibus adductus est, ut in Ecclesia Romana Symbolum Constantinopolitanum publice in Missa cantari juberet; quod Benno Abbas Augiensis narrat in Lib. *de rebus ad Missam pertinentibus* cap. 2. Quam Benedicti facilitatem non admodum probat Cardinal. Baronius ad annum 1014., inquiens: *Nobis gratius, si venerandæ antiquitati annorum mille magis delatum esset, quam novitati*.

188. At vero sanct. Thomas Q. X. *de potentia* art. 4. ad 15. dicit, *propter insurgentes errores eorum, qui Spiritum a Filio esse negabant, conveniens fuisse, ut in Symbolo* (hæc particula) *poneretur, non quasi aliquid additum, sed explicite interpretatum, quod implicite continebatur*.

189. Et multo ante S. Thomam S. Paulinus Patriarcha Aquilejensis in Synodo habita Forojulii anno 796. inquiebat: „ Hæc & cetera, quæ sequuntur, in Nicæni Symboli sacro dogmate non „ habentur, sed postmodum, propter eos videli„ cet hæreticos, qui susurrant, Spiritum sanctum „ solius esse Patris, & a solo procedere Patre, „ additum est, *Qui ex Patre, Filioque procedit* „. Vid. editio operum S. Paulini facta a Jo. Franc. Madrusio Utinensi Cong. Oratorii Presbytero pag. 97. In eadem Synodo postea recitatur Symbolum Nicænum cum additione *Filioque*. Frustra autem est solita Græcorum querimonia, hæc Synodi Forojuliensis acta fuisse Latinorum veteratoria arte corrupta. Hujusmodi enim criminationes sine certis documentis factæ ut putidæ calumniæ contemnuntur.

190. Hic autem serio adverteudum est, Ecclesiam Romanam probasse quidem breve hoc additamentum quatuor Syllabarum Symbolo factum, nunquam tamen Græcos coegisse ad illud recipiendum. Quamobrem in Concilio Lugdunensi Græcis permissum est, ut Symbolo sine hac additione uterentur. Idemque ipsis concessum fuit in Synodo Florentina Sess. XXV. Ac demum Clemens VIII. in Bulla XXXIV. §. 6. decrevit, *Græci quidem teneantur credere, Spiritum sanctum a Filio procedere, sed non teneantur pronuntiare, nisi esset scandalum* (a). Totus ergo hujus controversiæ cardo in eo vertitur, an Ecclesiæ latinæ eam vocem Symbolo addere licuerit. Immerito autem de hac additione conqueri Græcos, facile demonstrabitur, eorumdem objectiones diluendo.

191. Objiciunt autem primo. In Synodo Ephesina œcumenica, quæ Constantinopolitanam consecuta est anno 431. expresse, & distincte vetatur quæcumque Symboli mutatio. Nam P. I. act. 6. decretum fuit, *alteram fidem nemini licere proferre, vel conscribere, aut componere præter eam, quæ definita est a sanctis Patribus Nicææ congregatis cum sancto Spiritu*, ideoque comminata Episcopis, & Clericis depositionis pœna, laicis vero excommunicationis. Hinc eadem Ephesina Synodus vocem *Deipara* ad profligandam Nestorii hæresim Symbolo adjicere detrectavit.

192. Præterea idipsum confirmat, atque apertius declarat sanctus Cyrillus Alexandrinus, qui Ephesinæ Synodi veluti anima fuit. Nam in epistola ad Joannem Antiochenum ita loquitur: *Neque enim ante nobis, aut ulli omnino alteri vel unam voculam ibi positam immutare, aut unam syllabam præterire permittimus, memores ejus, qui dixit: ne transferas terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui*; eadamque inculcat in epistola ad Acacium.

193. Tertio, in Synodo Chalcedonensi, quæ post Ephesinam celebrata fuit anno 451. cum Judices expositionem fidei postulassent, & eam quidem, ut credere par est, Symbolis Nicæno, & Constantinopolitano haud dissonam, Episcopi una voce conclamaverunt, *Expositionem alteram nullus facit: neque tentamus, neque audemus exponere*: quæ verba sæpius ingeminata fuere.

194. Quarto, Vigilius summus Pontifex in ep. ad Eutychium Patriarcham Constantinop. anathemati obnoxios declarat, *qui aliud præter Symbolum Nicænum, & Constantinopolitanum præsumunt docere, aut exponere, aut tradere sanctis Ecclesiis Dei*.

195. Quinto, idem statuit Agatho Romanus Pontifex in epistola ad Imperatores, quæ lecta, & approbata fuit in Synodo VI. œcumenica act. 4.

196. Demum in Synodo generali VII. post fidei definitionem exclamarunt universi Præsules: *Nos legem Patrum custodimus: nos eos, qui* ad-

(a) Hinc Bened. XIV. in suis litteris Apostolicis : *Allatæ sunt* die 26. Julii an. 1755. varia affert exempla Rom. Pontificum, qui Græcos adegerunt, ut particulam *Filioque* in Symbolo pronunciarent.

addunt quid, vel adimunt, anathematizamus. His ergo omnibus legibus ecclesiasticis, & summorum virorum exemplis insuper habitis, & contemptis ea additio facta est, adeoque &c.

197. Resp. cum S. Thoma 2. 2. quæst. 1. art. 10. ad 2., hæc ecclesiastica statuta se extendere duntaxat ad privatas personas, non autem fuisse per illa ablatam potestatem alteri Synodo, aut Rom. Pontifici, *cujus auctoritate Synodus congregatur, & cujus sententia confirmatur*, novam faciendi editionem Symboli, non quidem aliam fidem continentis, sed eamdem magis expositam. Ita hæreticis Monophysitis conquerentibus, quod contra Ephesinum decretum Symbolo fuisset quædam appendix adjecta ad duplicem Christi naturam explicandam, Eulogius Alexandrinus, Ephræmius Antiochenus, ceterique catholici responderunt, decreto Ephesino prohiberi, *ne altera fides conscribatur, cujus dogmata Synodo Nicænæ adversa sint; iis vero, quæ ab illa definita sunt, puris, inviolabilibusque servatis, apponenda, quæ rerum, & temporum occasio postulaverit; sicut ipsamet apposuit. Atque hoc & rerum magistra docet, & Ecclesiæ usus non videtur rejecisse* (apud P. Le-Quien Dissert. I. *Damasc.* I. n. 54.). Sed præstat singula examinare.

198. Et quidem non aliam fuisse Patrum Ephesinorum mentem, patet primo, quia & ipsi receperunt Symbolum Constantinopolitanum, quod Symbolo Nicæno ea omnia addiderat, quæ ad Spiritus sancti divinitatem explicandam pertinent, non obstante decreto de non recipienda altera fide præter Nicænam: non itaque Patres Ephesini voluerunt, esse Ecclesiæ ademtam auctoritatem aliquid Symbolo Nicæno addendi, majoris explicationis gratia. Secundo patet mens Concilii Ephesini ex occasione, qua illud decretum conditum fuit. Cum nempe Charisius Ecclesiæ Philadelphiensis Presbyter, & œconomus impium aliquod Nestorianorum Symbolum obtulisset, Ephesini Patres, nedum illud rejecerunt, sed ut omnem fraudem in posterum præcaverent, alteram fidei expositionem fieri vetuerunt. Sed quam alteram? nempe talem, qualis erat Nestorianorum expositio, privata auctoritate facta, & Nicænæ orthodoxæ fidei adversa. Tertio, hoc Ephesinum decretum nonnisi privatas personas spectare, ex adjectis pœnis manifestum est. Quis enim somniaverit, voluisse Concilium Ephesinum toti Ecclesiæ jura præscribere, pœnasque comminari?

199. Neque vero obest, quod eadem Synodus Ephesina vocem *Deipara* Symbolo Nicæno addere recusaverit; supervacanea quippe erat hujusmodi additio, postquam in eodem Symbolo Deus natus dicebatur ex Maria Virgine.

200. Ad secundum. S. Cyrillus pariter intelligendus est de mutatione contraria fidei Nicænæ; nam in eadem ep. ad Acacium Melitinensem Phæniciæ Episcopos defendit, quod ad eluendam Nestorianismi suspicionem explicatiorem quamdam fidei expositionem ediderint, eosque nullatenus Synodi Ephesinæ decretum violasse contendit, quia qui suæ sententiæ declaratione ab ignominiæ nota se liberat, *nihil utique novi molitur, nec fidei expositionem innovare deprehenditur, sed potius eam, quam de Christo habet, fidem interrogantibus perspicuam reddit*. Quanto magis id dixisset Cyrillus de unius vocalæ additamento publica auctoritate ad excludendum errorem facto?

201. Ad tertium. Concilium Chalcedonense Symbolo Nicæno longam attexuit fidei professionem adversus Eutychetis deliramenta. Imo cum in ipso Concilio quidam epistolam S. Leonis Papæ eo ipso prætextu, quo abutuntur Photiani, recipere recusarent, ita eos Patres refellebant: *Si omnes contenti essent fidei constituto, & pietatis semitam nulla innovatione turbarent, deceret Ecclesiæ filios nihil amplius excogitare, quam Symbolo constat esse declaratum. Sed quia multi a recta linea per anfractus erroris exorbitant... necesse nobis est, veritatis eos inventione convertere, commenta quoque eorum devia salutaribus adjectionibus refutare &c.*

202. Quod si iidem Patres Chalcedonenses Symbolo nihil addendum existimarunt, ad duarum naturarum in Christo confessionem exprimendam, sapienter fecerunt; quia nulla id necessitas postulabat.

203. Reliqua Photianorum argumenta eadem responsione diluuntur. Sane in VI. Synodo act. 10., nemine reclamante Petrus Nicomediensis, Theodorus, aliique Episcopi, & Clerici ad amovendam Monothelismi suspicionem, fidei professionem verbis a Nicæna diversam, & magis explicatam recitarunt. Idem præstiterunt in VII. Synodo Basilius Ancyranus, & alii Episcopi Iconomachorum errores vitantes. In eadem VII. Synodo lecta fuit professio fidei Tharasii Patriarchæ, in qua omnino simile additamentum factum erat his verbis: *& in Spiritum sanctum dominum, vivificantem, qui ex Patre per Filium procedit*.

204. Non equidem negaverim, has omnes formulas fuisse particularium personarum, non communes totius Ecclesiæ (quod Græci in Concilio Florentino olim responderunt); argumentum tamen nostrum hoc sensu vim suam obtinet, nempe si non obstante decreto Ephesino licuit aliquibus Episcopis nonnihil addere professioni fidei Nicænæ, ad privatam suam fidem luculentius, & distincte exponendam, multo magis toti Ecclesiæ licebit, unam voculam Symbolo Constantinopolitano addere, ut Fideles suam de processione Spiritus sancti fidem accuratius exprimant.

205. Ad hæc, ipsi Græci Judæum non baptizant, nisi antea certam quamdam fidei professionem emittat, quæ in eorum *Euchologio* habetur; & a Symbolo Nicæno verbis diversa est; quamquam in decantatissimo illo Ephesino decreto cautum sit, ne fides altera iis porrigatur, *qui vel ex pa-*

paganismo, *vel judaismo*, *vel ex quacumque hæresi ad Ecclesiam converti voluerint*. Ulterius in ordinatione Episcopi præter Symbolum Constantinopolitanum alind Symbolum recitari apud ipsos solet, variis declarationibus interpolatum. Imo, quod festivum plane est, illius interpolationis auctor fuisse Photius indicatur in Codice Ms. Cæsareo-Vindobonensi (cujus Lambecius meminit Lib. VII. *Comment.* cod. 77.) Photius inquam ille, qui propter additionem particulæ *Filioque* majores præ aliis querelas excitavit.

206. Dices. Patres Constantinopolitani eum articulum, *Qui a Patre procedit*, totidem verbis ex Evangelio Joannis XV. desumpserant: nefas ergo erat aliquid verbis Dei interseri.

207. Resp., Evangelium saltem implicite processionem Spiritus sancti a Filio continere, ut supra n. 128. declaratum est; ac proinde illa expressa additio non est Evangelio contraria, quemadmodum sacris litteris contrariæ non sunt additiones factæ eidem Symbolo in Conciliis Nicæno, & Constantinopolitano.

208. Obj. secundo. Cum Carolus M. Imperator missis Romam Bernardo Wormaciensi Episcopo, de Jesse Episcopo Ambianensium, & Adalardo Monasteri Corbejensis Abbate, anno 810. a Leone III. Pont. Max. postulasset, ut decretum Concilii Aquisgranensis an. 809. de processione Spiritus sancti a Filio confirmaret, & vocem *Filioque* Symbolo interseri juberet, sapientissimus Pontifex primum quidem libenter præstitit, alterum autem de particula *Filioque* Symbolo addenda constanter negavit, propter sanctorum Patrum, qui illud sine illa particula ediderunt, reverentiam. *Nam & ego*, inquiebat, *me illis*, *non dico*, *præferam*, *sed etiam illud absit mihi*, *ut coæquare præsumam*. Imo ut periculosæ huic novitati viam omnino præcluderet, Symbolum sine ulla interpolatione in duabus argenteis tabulis græce, & latine incidi curavit, easque in Basilica S. Petri palam affigi voluit, quarum pondus erat librarum 94., & unciarum 8. argenti. Imo & in Basilica S. Pauli illud scutum ex argento durissimo ponderis lib. 32. collocari jussit, in quo idem Symbolum sine ulla additione incisum erat. Rem narrat Smaragdus Abbas S. Michaelis in Lotharingia (*a*). Tam præclarum exemplum imitandum utique erat a Leonis successoribus.

209. Resp., Leonem III. additionem vocis *Filioque* tunc improbasse, quia sine publica Ecclesiæ auctoritate, nullaque urgente necessitate facta erat. Quod autem tunc minime expedire judicavit Leo III., mutatis rerum, temporumque circumstantiis, utile, & necessarium judicarunt alii Pontifices Leoni III. auctoritate omnino pares. Quod vel ipsi Græci in Concilio Florentino confessi sunt Sess. XXV. dicentes una cum Latinis, *explicationem verborum illorum* Filioque *veritatis declarandæ gratia*, *& imminente tunc necessitate licite*, *& rationabiliter Symbolo fuisse appositam*.

210. Ceterum surdis auribus prætereunda non est Photii calumnia, qui hunc Pontificem processionem Spiritus sancti a Filio negasse dicit. Nihil falsius fingi potest; non enim de dogmate processionis Spiritus sancti a Filio, sed de sola vocis *Filioque* adjectione tunc actum est. Et quidem processionem Spiritus sancti a Filio diserte confessus est Leo, tum in collatione habita cum Legatis Caroli M., ut Smaragdus exponit; tum etiam in Symbolo suæ fidei ad Orientales misso, inquiens: *Credimus... Spiritum sanctum a Patre*, *& Filio æqualiter procedentem* (apud Steph. Baluzium Tomo VII. *Miscellan.*)

211. Neque vero importunius hic nos urgent Photiani, ut accurate doceamus, quo loco, quo tempore, & a quo Pontifice hujus particulæ additamentum fuerit factum? Fatemur enim, ut supra dictum fuit, hæc certo determinari non posse; certum tamen est hoc additamentum quocumque loco, tempore, vel auctore factum fuerit, Romanorum Pontificum auctoritate fuisse postea comprobatum; unde nullus conquerendi locus Græcis refractariis relinquitur.

212. Obj. ult. Saltem æquum non erat, hanc additionem Symbolo fieri, inconsulta, imo plane invita, tota Ecclesia orientali. Hæc Græcorum querela legitur in Tractatu scripto a Fratribus Prædicatoribus Constantinopoli anno 1262., quem profert Petrus Stevartius ad calcem Operum Manuelis Calecæ. Ita enim in eo legitur: *Secunda causa divisionis* (Græcorum a Latinis) *fuit*, *quia non fuerunt vocati ad Concilium ultramontanum*, *quando illa dictio* Filioque *fuit apposita*. Hoc Concilium ultramontanum fortasse fuit Aquisgranense celebratum an. 809.

213. Resp. Si Græci ad hanc additionem recipiendam adigerentur, fortasse aliquam veri speciem haberent eorum querelæ. At vero cum Ecclesia Latina integram potestatem Græcis relinquat eam omittendi, dummodo dogmati jam definito processionis Spiritus sancti a Filio consentiant, eorum querimonia est ex omni parte injustissima. Vide supra n. 90. Scimus, etiam ipsi Apostolorum Symbolo nonnullas factas fuisse in aliquibus Ecclesiis additiones, quin aliæ propterea conquererentur, aut litem moverent. Sed præterea ipsi Schismatici negare, aut ignorare non possunt, in duobus œcumenicis Conciliis Lugdunensi II., & Florentino communi nedum Latinorum, sed etiam Græcorum consensu fuisse hanc additionem probatam, quod inferius luculenter ostendetur (*b*).

214.

(*a*) Videri etiam possunt Anastasius Bibliothecarius in vita Leonis III. num. 540. edit. Blanchinii, Card. Baronius ad an. 809. n. 62., aliique.

(*b*) S. Thomas q. X. *de potentia* art. 4. ad 13. postquam probavit hanc Symboli explicationem fuisse convenientem propter errorem eorum, qui Spiritum san-

214. Scholion I. Quanquam dici potest, hoc dogma processionis Spiritus sancti a Filio non esse unum ex præcipuis nostræ Fidei articulis, ut proinde a rudibus ignorari, atque implicite solum credi sine piaculo possit; non tamen concedendum est, eum posse impune, & scienter negari. Id quidem asserere non dubitavit apostata M. Antonius de Dominis Lib. VII. *de Republ. Christ.* c. 10., docens, esse quidem periculosum, non tamen hæreticum, illam processionem negare quia, ut ille sibi fingit, nec verbo Dei scripto, nec tradito ea aperte docetur. Fallitur omnino M. Antonius; & postquam hoc dogma in duobus œcumenicis Conciliis solemniter definitum fuit, non potest negari, vel in dubium revocari, nisi ab iis, qui infallibilem Ecclesiæ auctoritatem in definiendis Fidei dogmatibus insano molimine evertere conantur.

215. Scholion II. Minoris autem momenti videtur alia quæstio de additione particulæ *Filioque* facta Symbolo, propter quam additionem tot, tantasque tragœdias excitarunt Græci; quanquam fortasse hic non fuit nisi vanus prætextus conflandi schismatis. Nunquam tamen probare potuerunt, non esse in Ecclesia hanc potestatem aliquid addendi Symbolo, qua a primis usque temporibus duæ Synodi Nicæna, & Constantinopolitana usæ fuerunt nemine reclamante. Sed hæc uberius patebunt, ubi de duobus Conciliis œcumenicis Lugdunensi, & Florentino, ad Græcorum schisma abolendum agemus, postquam pauca dixerimus de Concilio Constantinopolitano contra Pneumatomachos celebrato.

CAPUT V.

De Synodo Constantinopolitana I., seu Oecumenica II., in qua Hæresis Macedoniana proscripta fuit.

216. Anno 381. pluribus de causis Synodus Constantinopolitana celebrata fuit, curante Theodosio magno piissimo Imperatore; præcipue autem ut exorta non ita pridem Macedonii hæresis extirparetur. Adfuerunt Episcopi catholici numero 160., adfuerunt etiam Episcopi Macedoniani 36., quos Imperator Constantinopolim invitaverat, de eorum conversione non omnino desperans. Huic Concilio præfuit S. Meletius Episcopus Antiochenus, quoad vixit; eo autem vita functo, successit S. Gregorius Nazianzenus, qui fuerat paullo antea ad Cathedram Constantinopolitanam ab ipsa Synodo evectus; ac demum cum idem S. Gregorius ab ea Cathedra se abdicasset, in ejusdem locum tam in Ecclesia Constantinopolitana, quam in Synodo successit Nectarius.

217. In hac Synodo confirmata fuit fides Nicæna, proscriptis omnibus hæresibus, præcipue autem Eunomianorum, Arianorum, Photinianorum, Sabellianorum, Apollinaristarum, & Macedonianorum. Quædam tamen Symbolo Nicæno addita sunt, ut contra Apollinaristas mysterium Incarnationis Dominicæ, & divinitas Spiritus sancti contra Macedonianos clarius exprimeretur (a). Nonnulli etiam canones pro disciplina ecclesiastica conditi sunt, qui a Romanis Pontificibus improbati fuere, & nonnisi temporibus Innocentii III. pro bono pacis recepti. De quibus tamen modo nihil attinet dicere.

218. Anno autem sequenti 382. Rom. Pontifex magnam Synodum Romæ congregavit, ad eam invitatis etiam Orientalis Ecclesiæ Episcopis, qui tamen venire noluerunt, variis se rationibus excusantes. Eorum tamen nomine tres Legati ad Synodum Romanam missi sunt. Aliqui etiam eorum Episcopi eidem Synodo interfuerunt, ut S. Epiphanius ex Insula Cypro, S. Paulinus Episcopus Antiochenus, aliique non multi; tum S. Ambrosius Mediolanensis Metropolita, & Britto Trevirensis in Galliis, ut pene Synodus generalis appellari posset. Quæ Patres Græci in Synodo Constantinopolitana anno præcedenti circa fidem Trinitatis, atque Incarnationis definierant, fuerunt in Synodo Romana plenissime confirmata; quocirca ex duobus istis conciliis Synodus œcumenica conflata est, infallibilis auctoritatis, cum antea Syno-

etiam a Filio esse negabant, subdit, hanc explicationem fieri potuisse, non solum a posteriore aliqua Synodo, quæ potestatem habet interpretandi Symbolum a priore Synodo conditum, ac ponendi aliqua ad ejus explicationem, sed etiam a Romano Pontifice, *cujus auctoritate sola Synodus congregari potest, & a quo sententia Synodi confirmatur, & ad ipsum a Synodo appellatur.* Sed de hac controversia consuli possunt Natalis Alexander Dissert. 37. in Sæc. IV. art. 3., & Dissert. 28. in Sæc. IX. & X. assert. V., P. Mich. Le Quien Dissert. I. *Damascenica*, & in *Panoplia adv. Græcos*, & P. Franc. Bern. Maria de Rubeis Dissert. II. *Hist. Dogmat. de additione vocis Filioque*, tum in præfat. ad Tract. *de peccato origin.*, ubi plures Græcorum nugas, fabulasque narrat, ac refellit.

(a) Initio Symboli de Patre creatore addita sunt ea verba *Cœli & terræ* contra duorum principiorum assertores. Postea addita sunt hæc alia de Filio: *Natum ante omnia sæcula* contra blasphemias Photini. Tertio hæc alia de eodem Filio addi debuerunt contra hæresim Apollinaris: *De Spiritu sancto ex Maria Virgine.* Quarto: *Crucifixus est pro nobis sub Pontio, & sepultus est.* Item ea verba: *Sedet ad dexteram Patris; & venturus est cum gloria.* Quinto, *Cujus regni non erit finis.* De Spiritu autem S. cum in Nicæno Symbolo tantummodo dictum fuisset: *& in Spiritum sanctum*, Patres Constantinopolitani addiderunt: *Dominum, & vivificantem, ex Patre & Filio adorandum, & conglorificandum, qui locutus est per sanctas Prophetas.* Ac denique postrema verba: *& unam, sanctam, catholicam Ecclesiam. Confitemur unum baptisma in remissionem peccatorum. Expectamus resurrectionem mortuorum, & vitam futuri seculi, Amen.*

nodus Constantinopolitana Snonnisi ynodus nationalis fuisset.

219. Et certe Synodus Constantinopolitana non poterat vocari œcumenica ratione convocationis; fuit enim convocata a Theodosio Imperatore ex solis Episcopis ipsius ditioni subjectis, inconsulto plane Damaso, universæ Ecclesiæ Primate. Id autem vel ex eo solo constat, quia nullus nomine Rom. Pontificis Synodo præfuit, imo nec interfuit; non prætermisisset autem religiosissimus Damasus Legatos suos mittere ad Synodum, si eo annuente coacta fuisset.

220. Præterea Theodosius solis Orientalibus Episcopis mandavit, ut Synodo adessent, quod aperte Theodoretus tradit Lib. V. *Hist. Eccl.* cap. 7. inquiens: *Theodosius Episcopos duntaxat imperii sui Constantinopolim jussit convenire*. Solus autem Orientis imperium Gratianus Theodosio concesserat. Idem etiam tradit Sozomenus Lib. VII. cap 7.

221. Non alia itaque ratione hæc Synodus œcumenica facta fuit, nisi quia anno sequenti 382. Damasus Concilium ex Occidentalibus Episcopis cogens eamdem orthodoxam Synodi Constantinopolitanæ fidem plenis suffragiis confirmavit. Hæc autem Synodus œcumenica ex utroque Concilio conflatâ potius dicta fuit Constantinopolitana, quam Romana, quia Symbolum fidei fuit Constantinopoli primo conditum, postea vero Romæ confirmatum.

222. Obj. primo cum Baronio ad ann. 381. n. 19. Synodum Constantinopolitanam fuisse a Damaso convocatam, patet primo, quia in ea condemnatus fuit Macedonius; ac vero in VI. Synodo act. 18. dicitur: *Macedonius Spiritus negabat deitatem, eumque conservum prædicabat; sed maximus Theodosius Imperator, & Damasus fidei adamas obstiterunt*. Secundo, in antiquissimo codice Bibliothecæ Vaticanæ, necnon in alio S. Mariæ Majoris hæc leguntur: *Sententiam de damnatione Macedonii, & Eunomii Damasus confirmari præcipit in S. secunda Synodo, quæ præcepto, & auctoritate ejus apud Constantinopolim celebrata est*. Tertio, Nilus Rhodiorum Metropolita in synoptica enarratione Conciliorum generalium: *Præerant*, inquit, *Synodo Damasus Romæ, Nectarius Constantinopoli*. Quarto, Lucentius Sedis Apostolicæ Legatus in Concilio Chalcedonensi testatus est, nullam Synodum fuisse unquam absque auctoritate Pontificis Romani celebratam.

223. Primo argumento facile resp., verissime dici, Damasum Macedonii impietati obstitisse, non quod Concilium Constantinopolitanum convocaverit, sed quod eum in Synodo Romana damnaverit, & quod ea omnia, quæ contra impiam Macedonii hæresim a Patribus Constantinopolitanis fuerant statuta, infallibili consensu suo confirmaverit.

224. Ad secundum dico, dubiam esse eorum codicum fidem, qui ante sæculum VIII. exarati non videntur, easque continent, quæ antiquioribus, & firmioribus monumentis adversantur; his enim edocemur, nec Sedis Apostolicæ Legatos, nec Episcopos Occidentales, sed Orientales tantum Episcopos Synodo illi interfuisse, uno excepto Ascholio Episcopo Thessalonicensi, qui tunc ad Ecclesiam Occidentalem pertinebat, & qui insuper Occidentalium Episcoporum vicibus non fungebatur.

225. Ad tertium respondet Natalis Alexander, ejusdem ponderis esse Nili, ac nihili auctoritatem; cum auctor iste infinities in historia Conciliorum hallucinatus sit.

226. Ad quartum respondeo, Lucentium loqui de Synodis generalibus, quæ utique Romani Pontificis auctoritate convocari debent. Ex hoc autem ipso comendimus Synodum Constantinopolitanam non fuisse œcumenicam nisi *ex post facto*, Romani Pontificis, atque Occidentalium Episcoporum consensu accedente.

227. Dices. Patres Constantinopolitani in ep. Synodica ad Damasum Concilium ab ipsis celebratum vocant *generale*. (apud Theodoretum Lib. V. *Hist. Eccl.* cap. 9.)

228. Resp., fuisse illud Concilium vocatum *generale*, non quidem totius Orbis Christiani, sed totius Orientis. Hinc recte miratur Henr. Valesius in not. ad hunc locum Theodoreti, potuisse illos Præsules suam Synodum vocare *œcumenicam*; tum quia ad illam nonnisi Episcopi orientales convenerant; tum etiam quia Damasus cum Episcopis occidentalibus in epist. ad Theodosium Imperat. conquerens, Orientales declinasse Concilium *generale*, quod Romæ celebrari cupiebat, satis ostendit, Synodum Constantinopolitanam non fuisse habitam pro œcumenica.

229. Dices adhuc. In eadem epist. Synod. (apud Theodoretum loco laud.) Episcopi Orientales aperte innuunt, se fuisse a Damaso convocatos. *Conveneramus*, inquiunt, *Constantinopoli juxta litteras Reverentiæ vestræ superiore anno post Aquilejense Concilium ad piissimum Imperatorem missas &c.* convocatione ergo generalis fuit illa Synodus.

230. Resp., hæc verba Præsulum Orientalium spectare non primum Concilium Constantinopolitanum, in quo ea, quæ ad fidem contra hæreticos pertinebant, jam definita fuerant, sed aliud anno sequenti in eadem regia Urbe coactum. Id facile vel ex eo solo liquet, quod litteræ Damasi conscriptæ dicuntur post Concilium Aquilejense; Concilium enim Aquilejense celebratum fuit secundo mense post Constantinopolitanum, quod in fine mensis Julii absolutum fuerat; adeoque Concilium Aquilejense inchoari non potuit, nisi mense Septembri anno 381. Convocatio itaque illa, de qua Episcopi Orientales loquuntur, facta a Damaso Romano Pontifice fuerat, non ad Concilium Constantinopolitanum anno 381. celebratum, sed ad illud, quod anno sequenti Romæ celebrari de-

be-

bebat, & ad quod Orientales varios causati prætextus venire detrectarunt. Sed hæc pro nostro instituto plusquam satis.

CAPUT VI.

Diluuntur calumniæ a Græcis schismaticis contra concordiam in duobus Conciliis œcumenicis Lugdunensi, & Florentino inter utramque Ecclesiam Occidentalem, & Orientalem sancitam.

231. Michael Palæologus, qui anno 1261. Urbem Constantinopolim e Latinorum manibus felici dolo eripuerat, suis rebus parum fideus, præcipue quod Carolus Siciliæ Rex expeditionem terra marique ad Constantinopolim recuperandam pararet, de extinguendo schismate, & renovanda cum Ecclesia Romana concordia serio cogitare cœpit, missisque ad Urbanum IV., ejusque successorem Clementem IV. Legatis de reconciliationis modo tractabat. Clemens IV. abditis Imperatoris Oratoribus litteras ad ipsum, atque ad Patriarcham Constantinopolitanum dedit, una cum fidei expositione, quam utpote *doctrinæ Evangelicæ consonam, a sanctis Patribus traditam, & Romanorum Pontificum in suis Synodis definitione firmatam*, immobilem reconciliationis normam esse voluit. Viros etiam religiosos ex sacra Prædicatorum Familia, tanquam suos Apocrysiarios Constantinopolim misit, qui opus hoc saluberrimum urgerent. Sed morte præventus illud negotium confectum videre non potuit.

232. Ejusdem perficiendi gaudium Gregorio X. Clementis IV. successori reservatum erat. Illi, quo familiariter ante Pontificatum Michael jam usus erat, litteras scripsit perhonorificas, sui pro pace redintegranda desiderii, & reverentiæ erga Apostolicam Sedem testes. Quin etiam S. Ludovicum IX. Galliæ Regem idem Imperator oraverat, ut esset pacis sequester, & gravissimæ hujus controversiæ arbiter, eumdem rogans *per aspersionem Sanguinis Jesu Christi*, ut hoc negotium in se assumere vellet. Sed religiosissimus Rex arbitri personam in causa fidei assumere nolens, suis duntaxat officiis apud summum Pontificem se pro exoptata ex utraque parte concordia sollicite acturum esse promisit. His ita dispositis, Gregorius X. Concilium Lugdunense anno 1272. post biennium celebrandum indixit; ut constat ex ipsius Diplomate; quod incipit *Salvator noster* aliisque litteris encyclicis ad omnes Ecclesiæ Catholicæ Præsules missis. Interea quatuor ex Instituto Fratrum Minorum Constantinopolim migrare jussit, ut Patriarcham, Episcopos, aliosque Græcos ad tam salutare unionis opus disponerent; tradita ipsis formula Fidei Catholicæ, quam profiteri deberent.

233. Anno 1274. die 7. Maji, Dei implorata ope, Concilium inchoatum est, Præside ipso Gregorio X.; interfuere autem, Pantaleon Constantinopolitanus, & Opitius Antiochenus Patriarchæ, sed ambo Latini, &. Episcopi circiter quingenti. Falsum est tamen ipsum Imperatorem Michaelem Concilio interfuisse, quod Flavius Blondus deceptus scripsit Decade II. Lib. VIII., & a quo decepti postea fuere non pauci alii, ut Trithemius, Platina, Sabellius, Nauclerus, Sigonius, Petrus Galesinus in *Vita S. Bonaventuræ*, aliique, quos recenset, & refellit Leo Allatius Exercit. XXX. ad Roberti Creyghtoni *Hist. Concilii Florentini*. Adfuerunt duntaxat ejus Oratores cum litteris, & mandatis ejusdem Imperatoris. Hoc posset pluribus momentis confirmari; sed sufficere videntur litteræ a S. Gregorio ad Imperatorem post initam concordiam datæ, in quibus ita eum alloquitur: *O utinam tibi, Fili, pateret ad plenum, cum quanto in his occurrit tripudio eadem Ecclesia nuper in Lugdunensi Concilio congregata! O si voces psallentium inibi, Deumque flexis genibus, & nudatis capitibus laudantium, præcipue Prælatorum, in tuis sonuissent auribus, & revelata facie ipsorum oculos, deducentes quasi aquarum exitus, inspexisses, profecto prudenter adverteres, quod erant eorum lacrimæ tam excussi doloris indices, quam adeptæ lætitiæ proditrices*; & ita prosequitur Gregorius, quæ inepte scripta Imperatori fuissent, si ipse hæc coram oculis suis spectasset. Vid. Lucas Wadinghus in *Annalibus Minorum* ad annum 1274. Tom. IV. num. 10. Soli ergo Imperatoris Michaelis Legati Concilio adfuerunt, quos Pachymeres Lib. V. *Hist.* cap. 17. fuisse dicit Germanum, qui se abdicaverat Patriarchatu Constantinopolitano, & Theophanem Nicææ Episcopum. Erant insuper alii Legati ex Ordine Senatorio, scilicet magnus Logotheta Acropolita, Præses Vestiario Panaretus, & magnus Interpres Berrhæota.

234. Porro litterarum Imperatoris hæc erat inscriptio: *Sanctissimo, & beatissimo primo, & summo Pontifici, Apostolicæ Sedis venerabili Papæ, & communi Patri omnium Christianorum, & venerabili Patri Imperii nostri &c.* In iis autem Catholicam Fidem Imperator profitebatur juxta formulam ab Apostolica Sede sibi antea transmissam; peculiariter autem processionem Spiritus sancti a Filio, Purgatorii pœnas, ac Romani Pontificis *plenum primatum, & principatum super universam Ecclesiam catholicam*. Postremo Pontificem enixe rogabat, ut liceat Ecclesiæ græcæ Symbolum recitare, prout illud ante schisma recitare solebat.

235. Spatio circiter trium mensium Synodus feliciter absoluta est, atque hæc communi omnium consensu edita fuit fidei solemnis professio: *Fideli, ac devota professione fatemur, quod Spiritus sanctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit. Hoc professa est hactenus, prædicavit & docuit, hoc tenet, prædicat,* &

& profitetur, & docet sacrosancta Romana Ecclesia, mater omnium fidelium, & magistra: hoc habet orthodoxorum Patrum, atque Doctorum, Latinorum pariter, ac Græcorum incommutabilis, & vera sententia. Sed quia nonnulli propter irrefragabilis præmissæ ignorantiam veritatis in errores varios sunt prolapsi, nos ejusmodi erroribus viam præcludere cupientes, sacro approbante Concilio, damnamus, & reprobamus omnes, qui negare præsumpserint, æternaliter Spiritum sanctum ex Patre, & Filio procedere; sive etiam temerario ausu asserere, quod Spiritus sanctus ex Patre, & Filio, tamquam ex duobus principiis, & non tanquam ex uno procedat. Summus autem Pontifex in festo S. Petri Apostolorum Principis solemnem celebravit Missam, in qua Symbolum a Germano olim Patriarcha Constantinopolitano, aliisque qui aderant Græcis, non minus quam a Latinis decantatum est, cum particula *Filioque*, quæ etiam ter repetita fuit. Atque hunc exitum Synodus œcumenica Lugdunensis, Deo benedicente, habuit.

236. Post autem alia Synodus Constantinopoli celebrata fuit, in qua Joannes Beccus patriarcha, & multi alii græci Præsules fidei professionem ediderc, profitentes inter alia *Romanæ Ecclesiæ summum, & perfectum primatum, & principatum super universam Catholicam Ecclesiam, quem reipsa ab ipso Domino, in Beato Petro Apostolorum Principe, seu Vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum plenitudine potestatis recepit:* & insuper, *quod quemadmodum præ aliis tenetur fidei veritatem defendere, sic & si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri.*

237. Ipse etiam Imperator, suo, & Filii Andronici nomine, Joanni XXI., qui Gregorio X., post breves Innocentii V., & Adriani V. pontificatus successerat (primus enim nondum sextum mensem, alter vero nec secundum expleverat), officiosissimis litteris de pace feliciter restaurata gratulatus est, ac Romanam Ecclesiam *omnium Christianorum Dominam & Magistram*, Romanum vero summum Pontificem *universalem omnium Christianorum Rectorem, & Doctorem catholicæ veritatis, Christi Dei nostri in terris Vicarium* agnoscere se professus est. Idipsum postea sub Nicolao III., qui Joanni XXI. suffectus fuit; solemni cum juramento uterque Augustus, Michael, & ejus Filius, confirmavit; & si Pachymeri fides est Lib. VI. Hist. cap. 30. (in corpore *Byzantinæ Historiæ*) quamvis propter excommunicationem a Martino IV. in se latam admodum exacerbatus *revocare omnia prius sancita, & totum concordiæ tractatum rescindere voluerint*; meliore tamen consilio id non fecit, constans in pacta unione obiisse dicitur, quæ propter nec sepultura ecclesiastica a Schismaticis, atque ab ipso ejus Filio Andronico dignus habitus fuit: imo ab aliquibus ejus corpus postea exhumatum, canibus, & volatilibus dilaniandum expositum fuisse dicitur. Vide sup. num. 99. Vix autem Andronicus imperii habenas susceperat, cum luctuosum schisma ubique renovari curavit. Joannes Beccus in vinculo sanctæ unitatis constanter perseverans fuit a Patriarchali sede expulsus, atque in eamdem restitutus Josephus, qui semper concordiæ restiterat, atque in schismate jam consenuerat.

238. Theophanes Procopovvicz hanc concordiam in Concilio Lugdunensi restitutam vocat *spectrum, meramque larvam*, & hujus rei duas potissimum causas allegat: primo quia Episcopi Græci Concilio non interfuerunt, sed soli ipsorum Legati: secundo, quia nulla in eo Concilio legitur habita disputatio, quæ necessaria videbatur ad veritatem detegendam.

239. Utraque tamen ratio levis est. Nam Legati ad Concilium venerant cum suorum Episcoporum instructionibus, & mandatis, neque vero aliquis eorum reprehensus legitur, quod sui Præsulis mandata fuerit prætergressus, imo Synodo Constantinopoli coacta fuerunt illa omnia confirmata, quæ Lugduni acta erant. Vide sup. num. 236. Inutilis autem fuisset in Concilio omnis hac de re disputatio, postquam antea sub Urbano IV., Clemente IV., & sub ipso Gregorio X. tota hæc materia fuerat diu multumque examinata, & postquam fidei formulæ ab Apostolica Sede missæ Episcopi omnes post maturum examen subscripserant.

240. Addit postea Theophanes, & declamatorio stylo exaggerat artes dolosas, ac crudeles violentias, quibus ab Imperatore consensus Episcoporum extortus fuit, ad evitandum bellum, quod a Carolo Rege Siciliæ ipsi imminebat. Sed si hæc valeant, nos potiore jure dicemus, eos qui teterrimum illud schisma conflarunt, aut extinctum suscitarunt, rationibus politicis, præjudiciis, odio Latinorum, superbiæ typho, Imperatorum, aut Patriarcharum vafritie, dolis, violentia ad discordiam fuisse impulsos. Præterea hæc excusatio crimen potius Græcorum aggravat, cum manifestum faciat, eos fuisse reos non solum violatæ fidei humanæ, sed etiam divinæ utpote fœdifragos, & semel, iterumque perjuros. Vide supra num. 100.

241. Ceterum Græcorum aliqui, quamvis non multi, vinculum unitatis cum Summo pontifice Romano totius Ecclesiæ capite constanter servarunt; inter quos eminuit Joan. Beccus Patriarcha Constantinopolitanus, qui primum schismati infeliciter implicitus fuerat; post autem lectis celeberrimi Blemmidæ libris agnitam veritatem, Deo adjuvante, palam & constanter usque ad mortem professus est, imo scriptis etiam egregie defendit. Extant ejus *Epigraphæ*, seu *Præscriptiones in dicta, ac sententias sanctorum Patrum*, quas græce, & latine Romæ edidit Petrus Arcudius. In prima exhibet Patres edicentes, *Spiritum sanctum esse a Filio*, aut *per Filium*, ostendens, has

has præpositiones, *ex*, & *per* esse æquipollentes. In secunda Patrum testimonia affert, asserentium, Filium *continenter*, & *immediate* esse ex Patre; unde infert, eos sensisse, Spiritum sanctum esse a Patre per Filium. In tertia sententias Patrum collegit, qui Filium vocant *imaginem Patris*, & Spiritum sanctum *imaginem Filii*, aut dicunt Filium esse *faciem*, & *operationem Patris*, eodemque modo Spiritum sanctum *faciem*, & *operationem Filii*. In quarta complexus est Patrum dicta, in quibus asseritur, *Spiritum sanctum Patri conjungi per Filium*. In quinta sunt Scripturarum sacrarum verba huc spectantia. In sexta demonstratur, idem omnino esse, Spiritum sanctum *ex Filio procedere*, ac *ex Filio accipere*. In septima idem pariter esse, Spiritum sanctum *progredi*, *profundi*, *emitti*, ac *procedere*. Unde in octava concludit, Spiritum sanctum vere a Filio procedere, cum dicatur, ipsum a Filio *emanare*, *progredi*, *emitti* &c. In nona explicantur illæ phrases quibus dicitur *Spiritus sanctus Patris*, *ac Filii qualitas*, *odor*, *flatus*, *halitus*. In decima exponit, *in Filium transire omnia*, *quæ sunt Patris*, excepta paternitate. Undecima evincit, Spiritum sanctum esse *proprium Filii*, quemadmodum est *proprius Patris*. In duodecima eos refutat, qui audientes, Spiritum sanctum esse ex substantia Filii, contendebant, eum non esse ex ejusdem Filii *hypostasi*. In postrema eos refellit, qui dicebant, *emanare*, *progredi*, *effulgere*, & *apparere*, *ex Filio Spiritum* non significare, enim *esse substantialiter*, & *ex sua hypostasi ex Filio*; sed *spiritualium donorum ex ipso distributionem*. Aliis nonnullis scriptis, & disputationibus pro dogmate processionis Spiritus sancti a Filio Beccus inclaruit, & anno 1298. obiit, relicto perseverantiis suæ orthodoxiæ testamento, quod integrum refert Petrus Possinus Lib. III. *Observationum ad Hist. G. Pachimeris rerum ab Andronico Seniore gestarum* c. 29. Quis autem, & quantus vir fuerit Jo. Beccus describit Leo Allatius Exercitat. XXIX. ad Roberti Creyghtoni ad *Historiam Concilii Florentini*, nonnulla addens de Nicephoro Blemmida, cujus scriptis fuit Beccus de veritate convictus. Vide sup. num. 99. Et hæc de Synodo generali Lugdunensi dicta sufficiant. Plura cupientibus dabunt Historici, tum veteres, ut Pachymeres, & Gregoras, tum recentiores, & ipsa Concilii Acta. Nunc de Synodo Florentina.

242. Tempus illud exoptatissimum tandem aliquando advenisse videbatur, quo Deus Ecclesiæ sponsæ suæ misertus fœdissimo schismati finem imponeret; videlicet quando regnante Eugenio IV. Rom. Pontifice Concilium Basileense anno 1431. & seqq. celebrabatur: Cum ea enim Synodo Græci tractare cœperunt de reconciliatione ineunda. Sed postea e re sua melius judicarunt Eugenio obtemperare, qui eos in Italiam ad Concilium Ferrariam translatum invitaverat. Reipsa anno 1438. Græcorum Imperator Joannes Palæologus una cum Patriarcha Constantinopolitano Josepho, cum Legatis aliorum trium Patriarcharum, multisque aliis Archiepiscopis Ferrariam magna cum solemnitate appulit; ibique primæ sexdecim Sessiones Conciliares habitæ sunt. Post autem ob pestilentiam Ferrariæ grassantem Synodus Florentiam translata fuit, ibique feliciter absoluta, edito celebri *Decreto unionis*, cui Græci omnes, uno excepto Marco Ephesino Metropolita, subscripserunt anno 1439. die sexta Julii.

243. Porro hoc decretum Unionis his articulis continebatur: primo *Spiritum sanctum ex Patre & Filio æternaliter esse*, & *essentiam suam*, *suumque esse subsistens habere ex Patre simul*, & *Filio*, & *ex utroque æternaliter*, *tamquam ab uno principio*, & *unica spiratione procedere*. Secundo *explicationem verborum illorum Filioque veritatis declarandæ gratia*, & *imminente tunc necessitate licite*, & *rationabiliter Symbolo fuisse appositam*. Tertio *in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici*, *Sacerdotesque in altari ipsum Domini corpus conficere debere*, *juxta Ecclesiæ*, *sive Occidentalis*, *sive Orientalis consuetudinem*. Quarto animas Justorum, quæ in hac vita pro peccatis non plene satisfecerunt, *pœnis purgatorii purgari*. Quinto, *ut a pœnis hujusmodi releventur*, *prodesse eis fidelium vivorum suffragia*, *Missarum scilicet sacrificia*, *orationes*, *eleemosynas*, & *alia pietatis officia*. Sexto, illorum animas, quæ vel nullas peccati maculas contraxerunt, vel quæ ab illis jam sunt purgatæ, *in cœlum mox recipi*, & *intueri clare ipsum Deum unum*, & *trinum*, *sicuti est*, *pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius*. Septimo, *illorum autem animas*, *qui in actuali mortali peccato*, *vel solo originali decedunt*, *mox in infernum descendere*, *pœnis tamen disparibus puniendas*. Octavo, *sanctam Apostolicam Sedem*, & *Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum*, & *ipsum Romanum Pontificem successorem esse B. Petri Principis Apostolorum*, & *verum Christi Vicarium*, *totiusque Ecclesiæ caput*, & *omnium Christianorum Patrem*, & *Doctorem existere*, & *ipsi in B. Petro pascendi*, *regendi*, & *gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. J. C. plenam potestatem traditam esse*; *quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum*, & *in sacris canonibus continetur*. Demum renovatus fuit ordo sacris Canonibus jam sancitus, ut *Patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post sanctissimum Romanum Pontificem*, *tertius vero Alexandrinus*, *quartus autem Antiochenus*, & *quintus Jerosolymitanus* (a).

244. Hoc decreto firmiter stabilita videbatur pax, &

(a) Hinc patet, quinam olim fuerint errores, in quos Græci post Photianum schisma delapsi fuerant, & quos

& unio Ecclesiæ Orientalis cum Occidentali; sed unus Marcus Ephesius totum pacis negotium tanto labore confectum infeliciter turbavit, imo funditus evertit. In Græciam enim reversus multas, & varias calumnias contra sacrosanctum Concilium, & contra Latinos, ipsumque summum Pontificem sparsit, discordiæ facem ubique agitans. Imo quidam etiam ex eorum numero, qui Synodo præsentes adfuerant, & decreto unionis subscripserant cothurno versatiliores ad vomitum redierunt; & luctuosum schisma paullo post renovatum fuit, cujus extinguendi vix ulla modo spes affulget; ex quo enim Ecclesia Græca olim florentissima, & unita sub tyrannide Turcarum misere gemit, in variat partes, tanquam in totidem frusta divisa, in schismate magis magisque quotidie obduratur.

245. Ceterum Schismatici ad abstergendam infamiam, quod tam leviter, & perfide ab inita concordia recesserint, varios prætextus post eorum antesignanum Marcum Ephesium adducere solent, ut populares suos contra Romanam Ecclesiam incendant. Dicunt ergo primo, Græcos, qui decreto *Unionis* subscripserunt, fuisse aut pecunia corruptos, aut metu Imperatoris adactos. Et quantum ad pecuniam, narrat Sylvester Sguropolus in *Hist. Concilii Florent.* sect. X. cap. 4. Mithylensem Episcopum dixisse: *Det mihi Papa florenos, quos aliquibus dispertiam mihi probe notis, & faciam, ut ipsi morosi sine lucta definitionem subscribant, & unionem amplexentur. Quod ubi ad aures Papæ pervenisset, jussit homini florenos numerari.* Multa etiam adduut pro arbitrio suo de promissionibus dignitatum, honorum &c. &c.

246. Quantum autem ad vim, & terrorem incussum, dicunt, Imperatorem de pace ineunda ob rationes politicas admodum sollicitum suos impulisse ad subscribendum decreto unionis; & antea effecisse, ne Marcus Ephesius in postremis sessionibus Latinis disputaret. Nec denique prætermittunt dicere, fuisse quinque mensium pacta stipendia denegata, ut rerum inopia, atque egestate Græci ad consentiendum Latinis adigerentur.

247. At meras istas esse calumnias, ac commentitios prætextus, luculenter ostenderunt inter alios Joseph Methonensis in *Respons. ad libellum Marci Ephesii*, & Joannes Plusiadenus in Dialogo *de Synodo Florentina*. Et quidem verissimum est, magnam pecuniæ vim fuisse ab Eugenio Pontifice hac in causa liberaliter profusam, ita ut thesauro Apostolico demum exhausto quadraginta aureorum millia a Florentinis mutuo accipere debuerit, ipsis pretioso suo diademate oppignorato. Sed hæc tota pecunia insumpta fuit in expensis itinerum, victus, habitationis, aliisque necessariis, tum ad tutamen urbis Constantinopolis usque ad reditum Augusti, pro quo bis millia militum Pontificiis stipendiis conducta fuerant. *Quis esurivit?* Ita secure collegae suos interrogabat Joseph. Methonensis: *Quem affluxit inopia? Quis de fame conquestus est? Non enim ad alimenta solum impendebatur eis pecunia, sed multo etiam copiosior, ut suppeteret ad conficienda indumenta, & zonas, & vasa argentea, utique illi in patriam locupletati redirent.* Quod vero pecunia aliquibus privatim suppeditata fuerit, ad consensum coemendum, putida calumnia est, quæ magnam irrogat injuriam non Latinis solum, sed multo magis Græcis, quasi instar proditoris Judæ fidem Jesu Christi vendiderint.

248. Calumniam pariter esse, quod de vi sibi illata conqueruntur, liquidissime patet vel solo exemplo Marci Ephesii, qui pertinacissime restitit, quin tamen aliqua ipsi molestia creata fuerit. Potuissent ergo etiam alii eadem pertinacia impune resistere; nec illis fuissent omnia ad reditum necessaria denegata, si discedere voluissent. Sane, ut Acta testantur, sæpius Græci minitati sunt, se discessuros, quia diu concordia nonnumquam desperatum videbatur; neque tamen ulla legitur difficultas mota de commeatu ad reditum necessario. Quid plura? post ipsam concordiam initam in dogmate Imperator protestatus est, se discessurum, nisi quædam immutarentur, quæ in decreto unionis ipsi displicebant. Adeo falsum est, fuisse Græcos ad unionem adactos privatione rerum, quæ erant ad reditum necessariæ. Et si vera sunt, quæ Ducas narrat in sua Historia cap. 31. Episcopi reduces cum interrogarentur a suis, *num Franci tormentis ipsos subjecissent? num flagellassent, & in carcerem detrusissent? Respondebant, non ita habitos fuisse: sed quomodo hæc dextra subscripsit, dicebant, ita abscindatur: Lingua confessa est, radicibus evellatur. Nec quidquam aliud respondere poterant.*

249. Sic etiam frustra objiciunt Schismatici, Imperatorem rationibus politicis fuisse adactum ad pacem cum Latinis ineundam; ut nempe ab ipsis subsidia contra Turcas obtineret. Quæcumque enim fuerit ratio extinguendi schismatis, ac concordiæ redintegrandæ, sufficit, id totum libere fuisse factum; ac certum est, Antistites Græcos

iterum adoptarunt, quando in schisma ajuratum relapsi iterum sunt. Videri isti errores possunt in Libris eorum *Symbolicis*; cujusmodi sunt, quæ Jeremias Patriarcha nomine suæ Ecclesiæ Lutheranis respondit, quæque prostant in *Actis*, & *scriptis Theologorum Wittembergensium*, & *Patriarchæ Constantinopolit. Jeremiæ* &c. græce, & latine editis Wittembergæ 1584. in fol.; *Confessio catholica*, & *apostolica Ecclesiæ Orientalis*, quæ in Hollandia impressa, & ubique divulgata fuit; alia item *Confessio* similis a Methrophane Critopulo edita; ac nonnullis aliis prætermissis, celebris est apud Græcos *Orthodoxa Confessio catholicæ*, *atque apostolicæ Ecclesiæ Orientalis* a Petro Mogila Metropolita Kioviensi composita, & quæ Wratislaviæ anno 1751. græce, latine, & germanice prodiit in 8.

eos nonnisi post longas, ac sæpius iteratas disputationes varitati demum cessisse: & ita quidem ut multi eorum eidem usque ad mortem adhæsarint, non obstantibus persecutionibus Schismaticorum, in quibus exilia, bonorum expoliationem, flagella, oculorum effossionem, linguæ abscisionem, membrorum amputationem, atque ultimum supplicium pati debuerunt. Parum autem interest, si Marco Ephesio, jam toties audito, fuerit silentium impositum, ne repetitæ ad nauseam usque ejusdem cavillationes sanctæ unionis negotium in infinitum differrent.

250. Quod si aliqui vel dolose subscripserunt vel inconstanti mobilitate a pacta concordia recesserunt, id eorum honestati, ac pietati maculam æternam inurit, nullum autem veritati infert præjudicium. Et potius Schismaticos pudere deberet, tales hypocritas pro suis ducibus agnoscere, & venerari. Vera enim Ecclesia, utpote illa, ad quam divinæ promissiones pertinent, semper sibi constans, neque in hoc, neque in aliis dogmatibus aliquid immutari, unquam passa est; & quodvis temporale malum potius voluit tolerare, quam in fide variare. Ad id comprobandum vel ea sola sufficere possunt, quæ temporibus Arianorum pro puritate Fidei servanda Catholici passi sunt, quin unquam a recta fide deficerent.

251. Putida item calumnia est, qua duos insignes doctrina, & pietate viros, Bessarionem Nicænum Metropolitam, atque Isidorum Ruthenum, aliosque infamare audent, quasi scilicet datam in Synodo Florentina fidem, non religionis causa, sed ambitionis affectu servaverint. Quanta vero fuerit doctrina, & pietas Bessarionis ad Cardinalitiam purpuram merito evecti, præter libros, quibus de religione optime meritus fuit (de quibus agit Leo Allatius *de utriusque Ecclesiæ Occidentalis, atque Orientalis perpetua consensione* Lib. III. cap. 3.), abunde patet ex ejus vita, ac multis perhonorificis Legationibus nomine Sedis Apostolicæ feliciter gestis. Idem dici debet de Isidoro Thessalonicensi Ruthenorum Archiepiscopo, in sacrum Cardinalium Collegium pariter cooptatu; tum de Josepho Methonensi, de Gregorio Scholario, seu Gennadio, de Gregorio Proto-Syncello, aliisque, qui initæ concordiæ fideliter, ac constanter adhæserunt.

252. Ceterum de disputationibus habitis in Synodo, ac de ipsarum exitu dignus est qui audiatur Jo. Plusiadenus Græcus in Dialogo *de Synodo Florentina*; hæc enim inter alia multa habet de Episcopis græcis: „ Neque suo accessu subito unionem amplexi sunt, sed continuos duos „ annos utraque pars disputationibus incumbebat, & concertatio concertationem excipiebat, „ & congressus congressum; & qui disputationibus præerant, numquam quiescebant, sed argumenta animo volventes, noctes diesque pervigilabant, & quisque pro tuenda sua sententia nimio opere sumebat operam, quousque tandem res exitum habuit, & unio perfecta est „ cum gaudio varitatis, non munerum gratia: „ manusque dogmati dederunt, cum contra hisce re non possent, claro adeo, pateutique: læti- „ que subscripsere volentes, lubentesque, non „ coacti, ut vos dicitis; sacroque Missæ sacrificio „ peracto Definitio lecta est, nostrique Archiepiscopi sacris vestimentis induti omnes in ea aderant, & jurajurando super Dominicum cor- „ pus jam consecratum dato, acceptoque, ita se „ sentire, & imposterum crediturus omnes utriusque partis avida jurarunt, ita tenere, & credere, mutuisque se amplexibus osculabantur, „ non sine lacrymis, & inenarrabili gaudio, pro „ diuturno schismati remedio allato; & Christiani „ orthodoxi tum Græci, tum Latini in ea acclamati sunt, & Definitio per totum Christianum „ orbem pervolavit, græce, & latine conscripta. “

253. Nec pigeat eadem de re alterum Græcum audire, Cardinalem Bessarionem, qui in sua epistola generali *Multæ*, inquit, *ibi, & egregiæ pro hoc dogmate* (processionis Spiritus sancti a Filio) „ jacta sunt, quasi fundamenta, rationes. „ Multa ex utraque parte dicta; quæ propriam „ opinionem commendabant. Tandem vicit apud „ omnes, Patrem, & Filium unum esse principium Spiritus, & ex ambobus ipsum, tamquam „ ab uno productore procedere. Multa Sanctorum, & Doctorum, non tantum Occidentalium, „ sed etiam Orientalium, & nostrorum producta „ sunt testimonia hoc significantia. Multis ostensum est considerationibus. Num enim, Fratres, negligenter, unm obiter circa rem tanti „ ponderis nos exhibuimus? Multum vigilavimus, „ multum solliciti, ut scitis, fuimus. Verum cessimus veritati, locum dedimus Doctoribus. Absit anim, ut animus probus, & Christianus ostensæ veritati claudat oculos. “ In his autem disputationibus admodum inclaruerunt Andreas Rhodius, Joannes a Monte nigro, Joannes a Turre cremata, tres insignes Dominicani Theologi, qui acutissimi Marci Ephesii sophismata non detexerunt modo, sed in pulverem plane redegerunt.

254. Objicit præterea Theophanes Procopovvicz, Synodum Florentinam nec convocatione, nec celebratione, neque exitu fuisse œcumenicam, aut legitimam. Non *convocatione*; nam eo tempore celebrabatur Synodus Basileensis, ad quam fuerant Græci invitati, & quam Pontifex dissolvere non poterat, postquam Sess. VIII. omnibus cujuscumque status, aut dignitatis, *etiam Papalis, Imperialis, vel Regalis*, vetitum fuerat, *aliam congregationem sub nomine generalis Concilii facere, aut congregare*; quod iterum constitutum fuerat Sess. XI., quas ambas Sessiones ipse Eugenius Pontifex confirmaverat. Non fuit legitima *celebratione*; si enim omnia illius acta legantur, nonnisi inani verborum strepitu, captiosis argumentis, & sophismatibus in ea disputatum, & pugnatum fuisse inveniemus, quin aliquid

quid unquam de duobus præcipuis articulis controversis, nempe processionis Spiritus sancti a Filio, & additionis factæ Symbolo concluderetur. Neque demum Synodus illa fuit legitima *exitu*: nato Patriarcha Constantinopolit. morte præventus *Decreto unionis* non subscripsit; Marcus Ephesius aperte contradixit, cujus in resistendo constantiam cum Pontifex audisset, dixisse fertur, *Nihil effecimus*, reliqui metu; vel aliis rationibus impulsi, non sine gemitu, & lacrymis infelicem illam pactionem subsignarunt. Demum nec Galli hanc Synodum ut legitimam, & œcumenicam acceptarunt, ut patet ex Cardinalis Lotharingi commonitorio ad Britonem secretarium suum, ubi inquit: *Apud Gallos Constantiense Concilium in partibus suis omnibus, ut generale habetur, Basileense in auctoritatem admittitur, Florentinum perinde ac ne legitimum, nec generale repudiatur*. Hæc fusius, atque verbosius prosequitur Theophanes auctoritati potissimum schismatici Sguropoli innixus.

255. Verum Pater Natalis Alexander invictis argumentis ostendit, Synodum Florentinam fuisse legitimam, & œcumenicam, non obstantibus decretis Concilii Basileensis, cujus insignis hic Scriptor fuit defensor acerrimus, ut notum est. Quamquam enim Basileenses Patres omnem translationem prohibuissent, imo omnem operam dedissent, ut Græci ed eorum Synodum accederent; postquam tamen cognoverunt eosdem ad Concilium ab Eugenio Romano Pontifice Ferrariæ congregatum perrexisse, magna, & sanior ipsorum pars, una cum duobus Cardinalibus Sanctæ Sabinæ, & Sancti Petri ad Vincula Sedis Apostolicæ Legatis, & Concilii Præsidibus, in translationem Concilii consensit. Et licet altera pars numero major translationi repugnaret, alii tamen Patres merito censuerunt, id non obstare, quominus Romanus Pontifex pro suprema sua auctoritate, attenta rei necessitate, ad sacram cum Græcis unionem faciendam Concilium alio transferret. Ita etiam judicavit Nicolaus de Cusa, qui Concilii Basileensis partibus mordicus adhærebat, in epistola ad Rodericum Archidiaconum de Trevino; & videri hac de re potest Augustinus Patritius *in Hist. Conciliorum Basileensis, & Florentini*. Ulterius ipsi Patres Basileenses in Sess. XIX. iterum prohibentes Concilii dissolutionem, aut translationem, hanc apposuerunt clausulam, *nisi ex justis causis, & manifestis*. Justas autem fuisse hujus translationis causas, declaravit summus Pontifex in suo diplomate, quod incipit *Doctoris Gentium*.

256. Alterum, quod Theophanes opponit, levissimum est. Quid enim si de Spiritus sancti processione a Filio per biennium disputatum fuit? Aune propterea definitio Concilii falsa est, aut dubia? Imo hoc apprime demonstrat, primo liberum fuisse Patribus sententiam suam proponere, dilucide explicare, & quoad fieri poterat, argumentis comprobare: secundo nonnisi materia plene, atque accurate discussa ad definitionem ventum fuisse. Si quis autem eas disputationes legat, quæ prostant in Actis editis ab Horatio Justiniano, videbit profecto argumenta gravissima, & solidissima, quæ Patres omnes tandem moverunt, ut ad definitionem dogmatis procederent; & quorum vi, & efficacia ad optatissimam concordiam, & pacem perventum est, uno reclamante Marco Ephesio.

257. Josephus quidem Patriarcha Constantinopolitanus morte præventus *Decreto unionis* subscribere non potuit, illi tamen antea consenserat, & jamjam moriturus sententiam suam his verbis scribi voluit: *Joseph miseratione divina &c. Omnia, quæ sensit, & quæ dogmatizat Catholica, & Apostolica Ecclesia Dom. N. J. Christi senioris Romæ, ipse quoque sentio, & iis me acquiescentem do, & dico. &c.* De ipso autem hæc inter alia habet Josephus Methonensis in supra laud. *Resp. ad libellum Marci Ephesii: Is non metu, vel studio gloriæ, nec discessum inde* (Florentia) *sitiens sacram optabat Ecclesiæ unitatem, sed quia reipsa peractum vidit, quod multi ante illum Patriarchæ videre cupierunt, & non viderunt* (*vidit enim pacem Ecclesiæ, membra Dominici Corporis conjuncta*), *exultavit spiritu, & cum devotione subscripsit*, & quæ sequuntur.

258. Nihil demum unanimi aliorum omnium conspirationi obesse potuit unius Marci Ephesii dissensus; saltem quantum ad Concilii legitimam auctoritatem; quamvis Deo sic permittente multum obfuerit conservationi pacis, & concordiæ jam initæ. Et quæ adduntur de metu, de tædio, aliisque molestiis, vel rationibus politicis, aut falsa omnino sunt, aut si vera, malam nonnullorum fidem produnt, qui in re tam gravi, ubi agebatur de dogmate Fidei, simulatione, & mendacio religionem prodere voluerunt. Sed in Conciliis nonnisi ea attendi debent, quæ exterius aguntur: cordium enim scrutator est solus Deus.

259. Postremum, quod Concilium Florentinum in Gallia receptum non sit, falsum omnino esse, invicte probat Natalis Alexander, Gallus ipse, & Ecclesiæ Gallicanæ principiis mordicus adhærens. Verum quidem est, neminem Episcoporum, qui in Caroli VII. Regis Christianissimi ditionibus degebant, Concilio interfuisse, Rege id prohibente; fuerunt tamen omnes invitati; imo ab Eugenio Papa missa fuit ad Regem ipsum legatio, & datæ etiam litteræ. ad Parisiensem, aliasque florentissimi illius Regni Academias. Adfuerunt insuper ex Gallicana Ecclesia aliqui Episcopi ex provinciis eo tempore Regi minime subjectis; ut nihil prorsus deesset, quin Concilium convocatione, congregatione, & exitu œcumenicum haberetur.

260. Quæ autem protulit in suo *Commonitorio* celebris Cardinalis Lotharingus, idem Natalis

A-

Alexander, salva tanti Præsulis reverentia, falsa esse demonstrat, addens, Gallos litterariæ contentionis fervore abreptos, quandoque dixisse, Synodum Florentinam nec legitimam esse, neque œcumenicam, quia putarunt, in ipsa fuisse auctoritatem Pontificis supra universam Ecclesiam, & generale Concilium elevatam. Ceterum postquam attenta consideratione innotuit, Florentinum Concilium duobus præcedentibus Constantiensi, & Basileensi non repugnare, *ipsum & Galli plerique omnes Theologi excusso scrupulo œcumenicum absque hæsitatione appellarunt*. Ita Natalis Alexander studens Sorbonæ suæ sententias cum œcumenica Florentina Synodo conciliare, in qua definitum fuerat, *Sanctam, & Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, & Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, gubernandi Ecclesiam universalem a Christo plenam potestatem traditam esse*.

261. Objicit demum Theophanes Synodum habitam Constantinopoli anno 1440. sub Patriarcha Gregorio Melisseno, in qua consentientibus tribus Patriarchis, Alexandrino, Antiocheno, & Jerosolymitano, multis Episcopis doctisque Græcis, Gregorius ipse damnatus, & depositus fuit, quia concordiæ Florentinæ, cui subscripserat, nuncium remittere recusabat; quæ concordia tamquam simoniace ab ipso Imperatore, aliisque inita, omnino rescissa fuit, & ipsa Synodus Florentina ut temeraria, & sanctis, atque œcumenicis Conciliis adversa repudiata; doctrina denique Latinorum processionis Spiritus sancti a Filio proscripta. Acta hujus Synodi referuntur a Leone Allatio *De perpetua Ecclesiæ Occidentalis, atque Orientalis consensione* in addendis p. 1380. sequ.

262. Resp. cum eodem Leone Allatio, multis, ac luculentis momentis constare, totam hanc Synodum a quodam sycophanta ex variis Amyrutzii, Gemisti, & Gennadii contra Florentinam concordiam schismaticis scriptis concinnatam, & confictam. Pauca ex hoc Græco momenta breviter perstringam. Primo dicitur hæc fictitia Synodus celebrata anno uno cum dimidio post Florentinam; quod temporis incideret in annum 1440.; & postea impostor sui oblitus allegat Synodum trium Patriarcharum, quæ habita est triennio post, scilicet anno 1443. Secundo in eadem commentitia Synodo anni 1440. dicitur depositus a sede Patriarchali Gregorius, qui nonnisi anno 1445. Metrophani in Patriarchatu successit. Tertio, anno 1440. regnabat Joannes Palæologus, qui constans in concordia semper fuit, & nonnisi anno 1449. extremum diem obiit, qui certe non permisisset, hac pseudo-Synodo dissidia renovari, quæ tanto labore sublata paulo antea fuerant. Quarto Constantinus, qui Joanni successit, a Græculo illo fabulatore vocatur ejusdem Joannis filius, cum tamen fuerit frater. Quinto in primo congressu Patriarcha Antiochenus nominatur *Dorotheus*, in subscriptione autem non est amplius Dorotheus, sed Ananias: item consecrantes Athanasium in Patriarcham Constantinopolitanum vocantur Neophytus Episcopus Nicænus, & Metrophanes Cysicenus, qui postea in subscriptionibus mutato nomine appellantur, hic Parthenius, ille Stauracius. Ex his, & nonnullis aliis manifestæ suppositionis notis bene concludit Allatius, totam illam Synodum, quam postea Græci œcumenico Florentino Concilio ausi sunt opponere, fœtum esse alicujus nebulonis, qui illam totam cerebro suo male confarcinavit.

263. Sed fac, eam pseudo-Synodum vere celebratam fuisse; quid aliud inde colligere poterit Theophanes, nisi Græcos malæ fidei probrosum testimonium toti orbi dedisse, Schisma luctuosum, atque execrabile solemniter renovasse, ac propterea justa Deo pœnas dedisse, quando everso paulo post eorum imperio, & Constantinopoli capta, sub duro Turcarum jugo gemere coacti sunt; & quod his omnibus multo pejus est, ab una sancta, catholica, & apostolica Ecclesia rescissos æternæ damnationi factos esse obnoxios?

264. Atque ut magis appareat, quid Græcia mendax audeat in historia, obiter observamus cum laudato mox Allatio Lib. III. *de Ecclesiarum Occidentalis, & Orientalis perpetua consensione* cap. 4. commentitiam pariter esse Epistolam quamdam nomine Ecclesiæ Constantinopolitanæ (quæ ibidem inepte vocatur *mater omnium orthodoxorum, & magistra*) ad Bohemos, qui ab avita, & vera religione infeliciter defecerant. Tum etiam insulsam Dorothei Metropolitæ Monembasiensis fabulam, Nicolaum V. venisse cum triremibus Constantinopolim, & repulsam ab Imperatore passum, lata prius in eumdem Augustum excommunicatione, in montem sanctum, & Batopedi Monasterium secessisse, ibique Abbatem, & Monachos sibi resistentes diris antea tormentis excruciatos occidisse. Sed, quod omnem admirationem superat, fortasse integram Synodum, quæ pro Photii restitutione acta dicitur anno 879. præsidentibus Romani Pontificis Legatis, & in qua Synodus œcumenica VIII. antea legitime celebrata anno 869. in irritum missa fuit (vide supra in nota ad n. 88.) confingere, & posteris venditare ausi sunt, si bene conjectatur Leo Allatius, græcarum rerum peritissimus in Opere *de octava Synodo Photiana*; ubi pluribus argumentis hanc Synodum numquam fuisse celebratam contendit. Dignus est ipse Allatius, qui de his rebus legatur, non solum in hoc opere, sed in aliis pluribus, quæ contra populares suos Schismaticos edidit.

265. Ceterum clementissimus Deus non paucos ex infelici illa natione a Schismate immunes, atque Catholicæ Ecclesiæ fideles sibi servavit. Et qui-

quidem ipse Augustus Joannes Palæologus, concordiæ retinendæ, quoad vixit, omnem operam navavit: unde etiam Josepho in Synodo Florentina defuncto sufficì curavit in Patriarchatu Constantinopolitano Metrophanem pacis initæ retinentissimum. Illi successit Gregorius Melissenus, qui Imperatori a confessionibus erat, unitatis, cui in Concilio Florentino subscripserat, & veræ religionis cultor, qui postea dissidia in dies augeri dolens, sponte se Patriarchatu abdicavit. Multa etiam pro fide catholica scripsit, & Romæ in magna sanctitatis opinione obiit. Illi demum post captam a Turcis Constantinopolim successit Georgius ille Scholarius, qui tres in Concilio Florentino pro pace orationes edidit, & postea suum nomen mutavit, se Gennadium appellans. Non mutavit tamen mentem, quam semper orthodoxam, sanamque Deo adjuvante retinuit. Est autem diversus ab alio Georgio, seu Gennadio Scholario Monacho, Marci Ephesii discipulo, ac Latinorum osore, si Leoni Allatio credimus, apud quem multo plura invenientur de Græcis in concordia fideliter permanentibus, & de Rom. Pontificum pietate, ac sollicitudine pro pace Ecclesiæ vel conservanda, vel redintegranda; & quidem non sine fructu; nam ipse Theophanes Procopovvicz vel invitus fatetur, numerum Græcorum, quos λατινόφρονας vocat, seu *latine sentientes*, cum Apostolica Sede unitorum esse *maximum* (a).

266. Neque etiam prætereundum est, Græcos a Romana Ecclesia dissidentes, multo magis dissidere a Protestantibus, & Novatoribus; quod fortasse supervacaneum esset monere, nisi quidam ex istis contra manifestam veritatem id negare præsumerent; præcipue autem Frider. Spanhemius, qui in *Elencho Controversiarum* pag. 591. edit. Lugduni Batavorum 1687. asserit, controversias, quæ hodie inter Protestantes, ac Græcos agitantur, *spectare magis ad cultum*, *ad ritus*, & *disciplinam*, *quam ad fidem catholicam*; post autem vult a nobis Romanis Græcos dissidere in *dogmatibus fundamentalibus*. Frustra autem id suadere conatur, enumeratis pluribus, & varii generis controversiis, inter quas diversos ritus recenset, vel nullius, vel admodum exigui momenti, tantum ut numero aucto incautos lectores fallat.

267. At vero quantum Græci, & Orientales omnes a novis Lutheranorum, Calvinistarumque dogmatibus alieni sint, facile constare potest tum ex libris eorum symbolicis, tum etiam ex responsione data Theologis Tubingensibus a Patriarcha Constantinopolitano Jeremia. Cum enim Tubingenses Confessionem Augustanam a Philippo Melanchtone in græcum idioma conversam illi transmisissent, Jeremias post maturum rei examen eamdem omnino rejecit. Cumque Tubingenses hac responsione minime contenti, iterum, ac tertio suam doctrinam magis explicatam proposuissent, Jeremias sententiæ suæ tenax idem semper respondit, eosque rogavit, ut sibi molesti esse desinerent. Quæ omnia videri possunt in *Actis*, & *Scriptis Theologorum Wirtembergensium*, supra in nota ad n. 243. laudatis. Melius tamen erit consulere *Acta Ecclesiæ Orientalis contra hæresim Lutheri* Romæ ab Emmanuele à Schelestrate edita anno 1739. Videri etiam possunt Guill. Lindanus Episcopus Ruremondanus, celebris contra Lutheranos controversista, tum Jo. Baptista Ficklerus, aliique, qui hac Patriarchæ Constantinopolitani confessione ad demonstrandam perpetuitatem fidei orthodoxæ contra Novatores feliciter usi sunt, præcipue pro tuendo dogmate *transubstantiationis*, quod Græci nobiscum aperte confitentur. Idem etiam Patriarcha Jeremias in laudata responsione ad Theologos Tubingenses consensum eam Ecclesia Romana declaravit in septenario Sacramentorum numero, in cultu Sanctorum, Reliquiarum, & Imaginum, in vita monastica, ac pluribus aliis, quæ Sectarii pertinaciter inficiantur, quos propterea Jeremias temeritatis merito redarguit, quod omnia hæc dogmata se melius intelligere præsumant, quam vetus, & nova Roma.

268. Sperarunt quidem Protestantes, se posse cum Græcis contra Ecclesiam Romanam fœdus pacisci, quando famosus Cyrillus Lucaris Calvinistica lue infectus Constantinopolitanum thronum conscendit. Sed iterum decepti sunt; semel ac enim cœpit Lucaris suos Calvinianos errores in vulgus spargere, fuit illico ab illius Ecclesiæ proceribus e solio dejectus, & in exilium actus. Et quamvis postea opera, & ære Legati Hollandici Patriarchalem sedem recuperarit, eam tamen simul cum vita iterum amisit anno 1638. laqueo suffocatus. De Cyrillo Lucaris videndus Leo Allatius in Lib. III. *De Ecclesiæ Occidentalis*, & O-

(a) Aliqui tamen Allatio repugnant, putantes, unum fuisse Georgium Scholarium, *sive* Gennadium, primo *Latinis*, postea Schismaticis addictum. Ita Rich. Simonius in *De transubstantiatione*, & Eusebius Renaudotius in *Observ. ad Gennadii homilias*. Fridericus Spanhemius *De Ecclesiæ Orientalis ac Romanæ perpetua dissensione*, & *in Diss. Hist. de Orientalis Ecclesiæ statu* Græcos, qui initam concordiam religiose servarunt, vocare non veretur *spurios*, *neotericos*, *latinizatos*; & cum negare non posset, magnum eorum numerum esse, qui pro ortodoxo dogmate pugnarunt, quos recensent Possevinus, Arcudius, Morinus, Allatius, Labbeus, Echellensis, Helstenius, Raynaldus, Goarius, Arnaldus, Simonius, & alii, omnes istos nominare illi placuit *esurientes*, *venales*, *impense adulatores*, *honorumque simul*, & *nummorum avidissimos*. Et plurima, quæ a nobis afferri solent, Ecclesiastica monumenta unico flatu dispungere se putat, dicens: *Credere ne propera*, *falsa omnia*. Odium inextinguibile contra Ecclesiam Romanam hominem alias non ineruditum adeo excæcavit.

Orientalis perpetua consensione cap. 8., ubi etiam refert epistolam Gerasimi Patriarchæ Alexandrini ad Legatum Hollandicum, in qua testatur non posse a Græcis cum Calvinistis communionem iniri, propter diversa religionis capita, in quibus Calvinistæ non minus a Græca, quam a Romana Ecclesia dissentiunt. Post hæc, aliaque plurima, quæ brevitatis studio omittimus, apparet, solemniter mentiri eos Protestantes, qui scribere ausi sunt, Græcos a pseudo-reformatione nonnisi in paucis, ac minus essentialibus dissidere.

APPENDIX I.

De Symbolo Apostolorum, cui Nicæni, & Constantinopolitani Patres aliqua addiderunt ad pleniorem Mysterii Trinitatis explicationem.

269. Symboli nomine a Theologis intelligitur quædam verborum formula, qua unius Religionis homines præcipua suæ fidei capita complectuntur, ut a quibuscumque aliis diversæ fidei communionibus distinguantur. Ita Symbolum describit S. Maximus Episcopus Taurinensis Homilia 83. *de Diversis* in luculentissima editione Rom. an. 1784. jussu immortalis Pii VI. adornata, dicens p. 269. „ Cum apud Patres nostros, „ sicut liber Judicum refert, quædam Israeliticæ „ Tribus civili adversum se prælio decertarent, „ nec propter consimilem populi unius habitum „ inter bellantes posset esse discretio, tribus illa, „ cujus justior erat causa pugnandi, quia merito „ per Dei auxilium victoriam præsumebat, signum sibi certo in sermone constituit, ut quos „ una armorum facies confundebat, secretioris „ verbi distingueret sacramentum. Quod B. Apostoli, ut ego reor, exemplum sequentes, Ecclesiæ Dei, quam adversum militiam diabolici „ furoris armabant, mysterium Symboli tradiderunt, ut quia sub uno Christi nomine credentium erat futura diversitas, signaculum Symboli inter fideles, perfidosque secerneret, & alienus a fide, atque hostis appareret Ecclesiæ, „ aut tamquam baptizatus nescisset, aut tamquam „ hæreticus corrupisset ". Atque ita prosequitur, totum Symbolum breviter exponens, ac demum ita in fine concludens: „ Hoc est, charissimi, „ Symbolum, cujus veritas unumquemque credentem efficit Christianum; hoc est Symbolum, „ quod & viventes sanctificat, & mortuos reducit „ ad vitam ".

270. Eadem fere habet Ruffinus S. Maximo coævus *de expositione Symboli ad Laurentium* inquiens: *Quemadmodum in bellis civilibus ... ne qua doli subreptio fiat, Symbola distincta unusquisque dux suis militibus tradit, quæ latine signa, vel indicia nuncupantur; ut si forte occurrerit quis, de quo dubitatur, interrogatus symbolum prodat*, ita dicit fuisse ab Apostolis Symbolum fidei fidelibus traditum.

271. Tria autem in Ecclesia sunt hujusmodi Symbola. Primum, quod communiter Apostolorum dicitur, quia ut ostendemus, merito creditur ab ipsis Apostolis confectum, & a fidelibus solet in quotidianis precibus sæpius recitari. Alterum, quod Nicænum, vel Constantinopolitanum audit, quodque nihil est aliud, quam ipsum Symbolum Apostolorum aliquibus tantum vocibus, primo quidem in Concilio Nicæno contra Arianorum blasphemias, post autem in Conc. Constantinop. contra Macedonianos auctum, & in Missæ solemniis cantari, aut recitari solet. Tertium est illud, quod vulgo S. Athanasio tribuitur, & incipit: *Quicumque vult salvus esse*; atque a Clericis Dominicis diebus recitandum præcipitur.

272. Jam vero ut ad primum veniamus, Calvinus Lib. II. Inst. Cap. 16. de hujus symboli auctore minime laborandum esse statuit: post autem ejus discipulus Daniel Chamierus in sua *Panstratia* Lib. IX. de Can. cap. 16., an reipsa fœtus Apostolorum sit, quemadmodum hactenus fuerat creditum, in dubium revocare cœpit, quem imitatus est Erasmus *in Præfat. ad Lect. Paraph. S. Matth.* Sed Joan. Gerhardus Vossius longius progressus in Lib. *de tribus symb.* Diss. I. Symbolum hoc Apostolis omnino abjudicandum censuit, quem postea multi alii intemperantiores Critici secuti sunt, contendentes, non alia ratione hoc symbolum posse *Apostolicum* nuncupari, nisi quia doctrinam ab Apostolicis initio traditam continet (a).

273. Sed contra hos omnes hoc Symbolum fuisse vere ab Apostolis confectum, prob. primo verbis clarissimis Ruffini, qui in Præfat. *Exposit. Symb. ad Laurentium* (inter opera S. Hieronym. Tom. V. Ed. Maur.) hæc habet: *Tradunt majores nostri ... quod* (Apostoli) *discessuri ab invicem normam sibi prius futuræ prædicationis in communi constituerunt, ne forte alii alio ad-* du-

(a) Ita Petrus Kingius Anglus auctor *Historiæ Symboli Apostolici ecclesiasticis, & historicis observationibus illustratæ* (a Godfr. Oleario latine ex Anglico conversæ Lips. 1704. in 8., iterum autem recusæ Basileæ) cap. 1., Sam. Basnagius ad ann. Chr. 42.; atque etiam inter Catholicos Dupinius in *nova Biblioth.* Tom. I., contra quem stylum acuit Matthæus Petitdidier *Remarques sur les premiers tomes de la Bibliothéque Ecclesiastique de M. Dupin*; cui tamen respondit Dupinius in Tom. VI. Nec mentionem videntur meruri absurdæ quædam opiniones de hujus Symboli auctore, ut illa Laur. Valla, qui in *Antidoto in Poggium* Lib. IV. a Nicænis Patribus illud compositum fuisse somniavit (Videri potest Erasmus in *Apologia ad 24. libros Alberti Pii, Carporum Comitis* Tom. IX. Opp. Erasmi p. 958.); aut illa adhuc absurdior Sandii, qui in *Nucleo Histor. Eccles.* asserere non est veritus, Symbolum, quod Apostolicum dicitur, fuisse ab Arianis compositum, & illud, quod dicitur Nicænum, ab Homœusianis.

ducti diversum aliquid his, qui ad fidem Christi invitabantur, exponerent. Omnes igitur in uno positi, & Spiritu S. repleti breve istud futuræ sibi, ut diximus, prædicationis indicium, in unum conferendo, quod sentiebat unusquisque, componunt; atque credentibus dandam esse regulam statuunt. Porro etsi Ruffinus nonnisi IV. sæculo inclinante floruit; antiquam tamen hujus rei traditionem nobis exponit, dicens: *Tradunt majores nostri &c.*

274. Hujus etiam antiquæ traditionis a Ruffino commemoratæ aliqua habemus vestigia apud S. Irenæum, qui Lib. I. cap. 10. *Ecclesia*, inquit, *per universum orbem usque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis, & a Discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in unum Deum omnipotentem &c.* (Vid. nota P. Marsuet ibid.). Tertullianus item *de Præscript. Hæreticorum* cap. 37. *In ea regula incedimus*, inquit, *quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit*. Nomine autem *regulæ* nihil aliud se intellexisse, quam Apostolorum Symbolum, idem Tertullianus indicat *De velandis Virginibus* cap. 1. inquiens: *Regula fidei una omnino est, sola immobilis, credendi scilicet in unum Deum omnipotentem, mundi creatorem, & in Filium ejus Jesum Christum*; & ita pergit, præcipuos recitans Symboli Apostolici articulos. His accedit Lucifer Calaritanus, qui Lib. II. adv. *Constantium* Symbolum hoc appellat *formam disciplinæ, & regulam fidei per Apostolos traditam*. Quæ quidem testimonia, quanquam per se non sunt omnino clara, si tamen cum prioribus Ruffini verbis conferantur, argumentum efficiunt satis firmum, ut dicamus, hoc Symbolum esse reipsa Apostolorum fœtum.

275. Ruffini auctoritati vim plurimam addit aliorum Patrum consensus, qui Ruffino aut suppares, aut paullo posteriores fuere. Nam S. Ambrosius *Serm. ult. de Jejunio Eliæ* Tom. I. *Duodecim Apostolorum Symbolum*, inquit, *fides sancta concepta est, qui veluti periti artifices in unum convenientes clavim suo Symbolo conflaverunt*. Et iterum Lib. I. Epist. 42. *Quod si*, inquit, *doctrinis non creditur Sacerdotum... credatur Symbolum Apostolorum... quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit, & servat*.

276. S. Hieronymus, qui, ut notum est, Ruffini minime amicus, quidquid in eo censura dignum invenit, non præterivit, hac in parte Ruffino consentiens *in Symbolo*, inquit in Libro *contr. Jo. Jerosol. n. 28., fidei, & spei nostræ quod ab Apostolis traditum &c.*

277. S. Cælestinus R. P. in epist. ad Nestorium, symbolum hoc vocat *symbolum ab Apostolis traditum*; & Ephesina Synodus *in Relat. ad Theodos. de Nestorii depositione* eodem sensu dicit, hoc symbolum esse *Fidem, initio quidem a sanctis Apostolis traditam, postea vero à 318. Patribus in Metropoli Nicæna expositam*.

278. Ita quoque S. Leo epistola XXVII. *ad Pulcheriam Augustam* Symbolum appellat *brevem, & perfectam confessionem, quæ duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis* (a).

279. Nec dissimiliter Cassianus Lib. VI. *de Incarnatione* cap. 3. & 4. Symbolum nuncupat *collatam ab Apostolis Domini totius Catholicæ legis fidem*.

280. Demum, ut alios omittam, Sanctus Maximus Taurinensis Episcopus præter verba superius num. 266. allata, in alio Sermone, qui est septimus *de die Dominicæ Ascensionis* hæc habet: *Symbolum est spirituale signaculum, est cordis nostri meditatio, & quasi semper præsens custodia, certe thesaurus cordis nostri... Sancti ergo Apostoli in unum convenientes breviarium fidei fecerunt, ubi breviter fidei totius seriem comprehendamus: brevitas necessaria est, ut semper memoria, & recordatione teneatur... Ergo Apostoli sancti convenientes fecerunt Symbolum*. Sunt quidam, qui de hoc Sermone dubitant, an germinus Sancti Maximi fœtus sit. Verumtamen cum in antiquo Codice Monasterii Lambacensis Ord. S. Benedicti tribuatur Sancto Maximo, & doctrinam contineat laudat. superius Homiliæ LXXXIII. omnino consonam, non video, quare huic S. Episcopo denegari debeat.

281. Accedit postremo & illa generalis regula a Sancto Augustino constituta Lib. IV. *contr. Donat.* cap. 24., & cordatioribus Criticis probata, *Ut quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum certissime creditur*. At vero Symbolum Apostolorum a nullo certe Concilio confectum est; cum ante Nicænam Synodum omnium primam in Ecclesiis jam legeretur, quod Vossius ipse non diffitetur: ergo nonnisi Apostolica potest esse ejusdem origo.

282. Objic. primo. Neque ex sacris Litteris, neque ex traditione colligitur, Apostolos fuisse Symboli auctores. Nulla enim est apud S. Lucam aut apud alios sacros Scriptores ejus vel minima mentio. Etiam veteres sancti Patres illud alto premunt silentio; nemo unus eo utitur ad revincendos hæreticos. Primus qui id expresse docuerit, allegatur Ruffinus; at præterquamquod non admodum magna est ejus auctoritas, eam etiam hujus rei causam allegat, quæ gravem Apostolis injuriam irrogat; dicit enim, hoc Symbolum fuisse ab eis conditum, tamquam *normam futuræ prædicationis*,

(a) Lambecius Lib. V. *Comment. de Biblioth. Cæsarea* pag. 319. novæ edit. affert codicem ms., in quo continetur Symbolum Apostolorum divisum in 12. sententias, quarum unicuique in margine appositum est nomen Apostoli, qui illam Symbolo contulit.

nis, ne forte alii alio adducti diversum aliquid his, qui ad fidem Christi invitabantur, exponerent: quasi vero potuerint Apostoli eodem Spiritu sancto afflati diversam doctrinam fidelium animis instillare.

283. Resp. Cum multa alia fuerint in sacris Litteris omissa, mirabile videri non debet, quod nulla a S. Luca, vel ab alio Scriptore sacro Symboli mentio facta fuerit, præcipue quia, ut S. Hieronymus ait (In Lib. *contr. Jo. Jerosolym.* num. 23. Tom. II. nov. edit.), *non scribitur in charta, & atramento, sed in tabulis cordis carnalibus.* Nihil vero magis a veritate alienum, quam sanctos Patres hoc Symbolum ad revincendos Hæreticos non adhibuisse, nam S. Ambrosius Hæreticos perpetuam Mariæ virginitatem negantes ex Symbolo confutat Libr. I. epist. 42., S. Irenæus etiam, & Tertullianus locis superius citatis idipsum præstant. Quod si sæpius id non fecerunt, ea causa fuit, vel quia Hæretici verbum Dei traditum, cujusmodi est Symbolum, respuebant, ad solas Scripturas provocantes, vel quia cum Symbolum brevis esset credendorum regula, non ea continebat, quibus eorum tergiversationes præcludi possent. Sic ad hæresim Arianam condemnandam non satis erant verba Symboli Apostolici, quibus Christus appellatur *filius Dei unicus;* sed necesse fuit, ut Patres Nicæni aliquas facerent additiones, quod similiter in synodo Constantinop. contra Macedonianos fieri debuit.

284. Quod autem ex Basnagio ad an. 42. n. 18. ad elevandam Ruffini auctoritatem adjectum est, facile expeditur. Neque enim ea verba significant, ideo ab Apostolis fuisse Symbolum conditum, ne diversum aliquid prædicarent, quantum ad dogmata, & substantiam, quod fieri certe nullo modo poterat; sed ut etiam in verbis, & modo, quæ maxime haberi posset, uniformitas servaretur; ut enim docet S. Thomas 2. 2. q. 1. art. 9. *necessarium fuit fidei veritatem in unum colligi, ut facilius posset omnibus proponi, ne aliquis per ignorantiam fidei a veritate deficeret.* Quis autem non videt, non parum ad hujusmodi scopum conferre, si uniformitas etiam in modo servaretur?

285. Inst. Ex quo sancti Patres Symbolum vocent *Apostolicum*, erui quidem potest, illud continere Apostolorum doctrinam, non autem fuisse ab Apostolis reipsa confectum. Nam sanctus Athanasius epist. ad Jovianum Symbolum Nicænum vocat *Fidem Divinam, & Apostolicam;* nec tamen quis inde inferet, Symbolum Nicænum fuisse a Deo immediate, vel ab Apostolis conditum.

286. Resp., non ex eo tantum nos concludere, Symbolum Apostolorum fuisse reipsa ab Apostolis conditum, quod *Apostolici* nomen obtinuerit; sed quod dicatur ab Apostolis *compositum*, & credentibus tamquam regulam *datum* ex Ruffino supr. n. 270. & seq., ab Apostolis traditum, tamquam *fidei signaculum;* quod nullo Ecclesiæ Concilio constitutum, quod denique communis hæc fuerit fidelium persuasio, cui refragari ob leves conjecturas minime licet. Sed ulterius S. Ambrosius superius num. 275. laud. iis, qui Mariæ Virginitatem ab Ecclesiæ Patribus traditam credere recusabant, Symbolum Apostolorum opponit: quod plane inutile foret, si non alia ratione Symbolum Apostolorum diceretur, nisi quia eorumdem doctrinam contineret a Patribus in Symbolum digestam; tunc enim non majoris auctoritatis esset Symbolum, quam Patrum doctrinam.

287. Obj. 2. Si Apostoli Symbolum ad fidei unitatem conservandam confecissent, illud debuisset ubique locorum idem, & invariatum servari; at vero incredibilis ipsius est Ecclesiarum diversitate varietas, neque in verbis solum, sed vel in ipsis sententiis; nam quidam articuli in aliquibus Ecclesiis prætermissi sunt, qui in aliis recitabantur.

288. Resp. ex testimonio S. Ambrosii superius relato n. 275. Symbolum Apostolorum fuisse in Ecclesia Romana intemeratum custoditum, & asservatum; in aliis autem Ecclesiis nonnulla identidem fuere adjecta, quæ tamen implicite in eodem Symbolo continebantur; idque propter hæreses in iis exortas. Audiatur Ruffinus. *Illud*, inquit in exposit. Symboli, *non importune commonendum puto, quod in diversis Ecclesiis aliqua in his verbis inveniuntur adjecta. In Ecclesia tamen urbis Romæ hoc non deprehenditur factum; quod ergo propterea esse arbitror, quod neque hæresis nulla illic sumpsit exordium, & mos ibi servatur antiquus, eos, qui gratiam baptismi suscepturi sunt, publice, idest fidelium populo audiente, Symbolum reddere.* Ad hæc, cum Symbolum non charta, & atramento scriberetur, sed solum memoriæ a Fidelibus mandaretur, mirabile videri non debet, quasdam in illud irrepsisse mutationes. Sane si in ipsas Scripturas sacras tot variantes lectiones invectæ sunt, ut est a Jo. Millio in N. T. præ cæteris summo labore ostensum, multo minus mirari quis debet, in Symbolo memoriæ solum commendato multa fuisse mutata.

289. Sed operæ pretium est, eas additiones observare, quæ majoris momenti esse videntur. In aliquibus Symbolis inveniuntur adjecta primo articulo ea verba *Creatorem cœli, & terræ*, quæ neque in Romano, neque in Aquilejensi leguntur; id autem factum putatur contra errorem eorum, qui cœlum, & terram ab æterno fuisse effutiebant. Contra vero in Symbolo Aquilejensi hæc alia verba ponuntur *invisibilem, & impassibilem*, quæ in cæteris desiderantur; id autem factum est, ut Ruffinus tradit, ad præcavendam Patripassianorum hæresim, qui Patrem incarnatum, & passum esse fabulabantur.

290. In 4. Articulo Symboli Aquilejensis ita dicitur: *Qui natus est ex Spiritu S. ex Maria Virgine:* omittuntur item ea verba *mortuus, & sepultus:* Romanum autem non habet hæc alia: *De-*

Descendit ad inferos. Verum quantum ad primum, parva est verborum, non autem sensus discrepantia, ut res per se loquitur. Nihil etiam obest omissio duarum vocum *mortuus & sepultus*, quarum sensus satis exprimitur in aliis *Passus sub Pontio Pilato*, *crucifixus*, *resurrexit*. Major videtur esse difficultas de *descensu ad inferos*, qui articulus in plerisque Symbolis prætermissus est; verum, ut Ruffinus exposuit, *vis verbi eadem videtur esse in eo*, *quod sepultus dicitur*. Quemadmodum enim per hæc verba significatur, corpus fuisse terra tumulatum, ita etiam subindicatur, animam ad inferos descendisse, ubi justorum animæ degebant.

291. In Symbolo Aquilejensi desideratur nonus art. *de Sanctorum communione*; verum ut habet Catechismus Rom. I. P. *de nono Symboli art. n.* 24., *articulus iste est illius, qui de una sancta Ecclesia catholica antea positus est*, *veluti explicatio quædam: unitas enim Spiritus*, *a quo illa regitur*, *efficit*, *ut quidquid in ea collatum est*, *commune sit*. Eademque ratione omissus est in nonnullis Symbolis ultimus articulus *de vita æterna*, quia & ipse in præcedenti articulo *de carnis resurrectione* implicite continetur, ut quid enim Deus & justos, & impios in vitam revocabit, nisi ut primi æternam vitam in gloria, & felicitate, alii autem in pœnis, & ignominia habeant? Vid. Bern. de Rubeis in *Dissert. variæ erudit.* cap. 2., & Ceillier *Hist. des Aut. Sacr.* Tom. I. p. 521.

292. Inst. 2. Tertullianus in Lib. *de velandis Virginibus* c. 1. Symbolum ita mutilum exhibet, ut nulla sit mentio *descensus Christi ad inferos*, *Spiritus Sancti*, *Ecclesiæ catholicæ*, *Sanctorum communionis*, *remissionis peccatorum*, *& vitæ æternæ:* ergo etiam quantum ad substantiam factæ sunt in Symbolo mutationes, quod certe nec Tertullianus, nec quilibet alius ausus fuisset in Symbolo ab ipsis Apostolis confecto.

293. Resp., Tertullianum eo loco non integrum describere Symbolum, prout ab Apostolis traditum fuit, & in Ecclesia recitari consueverat, sed ea duntaxat capita excerpere voluisse, quæ ad rem suam illi maxime idonea videbantur.

294. Instat 3. Basnagius. Pro magna profecto haberi deberet irreverentia, & aperta injuria Apostolis irrogata quæcumque mutatio, etiam verborum duntaxat, & accidentalis, si vere fuisset Symbolum ab Apostolis traditum, quasi melioribus verbis posset fides exponi. Imo, si Patres Concilii Ephesini districte vetuerunt, vel unam voculam in Symbolo Nicæno immutari, quanto hoc fuisset in Apostolorum Symbolo intolerabilius?

295. Resp. nefas profecto esse, aliquam in verbo Dei ab Apostolis, aliisque Θεοπνεύστοις auctoribus scripto etiam minimam mutationem facere, quod utique a Deo prohibitum esse novimus: *Non addetis ad verbum*, *quod vobis loquor*, *nec auferetis ex eo* Deut. IV. 2. Sed de verbo Dei tradito res aliter se habet; dummodo enim sensus servetur incolumis, licuit, semperque licebit aliquid addere, vel immutare majoris explicationis gratia; si tamen non privato cujusque consilio, sed Pastorum, & Ecclesiæ auctoritate ad hæreses de novo exortas præcavendas id fiat. *Sicuti*, inquit S. Thomas q. 10. *de potentia* art. 4. ad 13., *si insurgeret hæresis*, *quæ negaret Spiritum sanctum esse factorem cœli*, *& terræ*, *oporteret hoc explicite poni*, *cum in Symbolo hoc non dicatur*, *nisi de Patre*. Prohibitio autem illa Synodi Ephesinæ non ad Ecclesiam spectat, cujus auctoritati nihil detractum est, aut detrahi potuit, sed ad privatas duntaxat personas, ut alibi demonstravimus n. 197. & seq. Jam vero ut ad rem nostram veniamus, cum Symbolum Apostolorum non in *charta*, *aut atramento*, sed *in tabulis cordis carnalibus* scriptum ab Apostolis fuerit, ut S. Hieronymus ait supra n. 283. nil mirum, quasdam in eo pro temporum circumstantiis factas fuisse mutationes (a).

296. Obj. tertio. Sed si ab Apostolis fuisset Symbolum totidem plane verbis confectum, deberet ut sacra Scriptura haberi, & adorari. Nec refert, inquit Basnagius n. 19., si dicatur, non fuisse scriptum, sed oretenus solum traditum. Neque enim aliquid dicitur *canonicum*, quod scripto sit exaratum, sed quod divina in eo sit materia, divina verba, divinus ordo. Annon Apostolorum epistolas ut canonicas veneramur? Nec tamen fuerunt omnes Apostolorum manibus conscriptæ, sed plerumque ab amanuensibus, ut epistola ad Ephesios per Tychicum, ad Romanos per Phœben (rectius per Tertium XXI. 22.), ad Philippenses per Epaphroditum.

297. Resp. Symbolum non esse Scripturis canonicis accensendum, quia traditum est, non ut scribatur charta, & atramento, sed ut tabulis cordis per auditum insculpatur. *Symbolum*, inquit sanct. Augustinus initio *Sermonis ad Catechumenos de Symbolo* Tomo VI., *nemo scribit*, *ut legi possit: sed ad recensendum*, *ne forte deleat oblivio*, *quod tradidit diligentia: sit vobis codex vestra memoria*. Vid. nota ad n. 295. Quod vero Basnagius addit, id omne canonicum esse, cujus materia, verba, ordo divinitus inspirata sunt, cum distinctione est accipiendum. Si enim sensus sit, Symbolum Apostolicum esse canonicum, hoc est, nostræ fidei regulam, ut ceteræ omnes sunt divinæ traditiones, tam verum est,

(a) In Liturgia Gallicana a Mabilonio edita p. 340. cautum erat, ne Symbolum scriberetur, sed solum memoriæ mandari debebat. Idem constat ex S. Petro Chrysologo Serm. 61. *in Symb.*, & S. Augustinus Serm. 212. *de Trad. Symb.*, etiam rationem reddit, propter quam Symbolum *nec in tabulis*, *nec in aliqua materia*, sed in corde scribitur.

est, quam quod maxime. Si vero contendat Basnagius, Symbolum, aut alias Traditiones esse in canonem divinarum Scripturarum recensendas, id falsissimum est, cum Scripturæ canonicæ nonnisi eæ sint, quæ a Scriptoribus sacris Spiritu S. dictante exaratæ fuere. Nihil autem interest, utrum sacri, & inspirati scriptores propria, vel aliena manu id præstiterint.

298. Si autem quis rationem exposcat, cur Symbolum scriptum consignatum fuerit, ea esse potest, quam S. Petrus Chrysologus reddit Serm. LVIII., qui est secundus *de Symbolo*, inquiens: *Ne profanus arbiter, ne improbus, quod dilaceret, discussor inveniat: & fiat ad contemnentis, & ignorantis ruinam, quod confitentis, & credentis donatum est ad salutem*. Sozomenus Lib. I. *Hist. Eccl.* cap. 20. hac eadem de causa se reticuisse dicit Symbolum Nicænum, persuasum scilicet ab amicis, ut ea, *quæ a solis initiatis, ac Sacerdotibus dici, audirique fas est, silentio involveret*.

299. Obj. quarto. Si hoc Symbolum pro genuino Apostolorum fœtu habitum fuisset, mirabile videri deberet, in Concilio Nicæno fuisse aliud conditum, itemque in Concilio Constantin. fuisse Nicænum retentum, & non potius Symbolum Apostolorum alteri prælatum. Mirabile etiam esset, Apostolorum Symbolo neglecto, solum Nicænum in Ecclesia Græca invaluisse; idque ex decreto Concilii Chalcedonensis, ut testatur Basilius Seleucensis in *epist. Synod.* ad Leonem Augustum, inquiens: *Patres, qui S. Concilium Chalcedone celebrarunt, Symbolum Patrum Nicænorum pro lapide sumentes, ubique hoc solum circumferri, & prædicari ad illuminationem fidelium sanciverunt*. Mirabile denique esset, Ecclesiam nedum Græcam, sed etiam Latinam in Missæ Sacrificio non Symbolum, quod Apostolorum dicitur, sed Nicænum, vel Constantinopolitanum recitare.

300. Resp. ad 1., duo Symbola Nicænum, & Constantinopolitanum non esse a Symbolo Apostolorum re, seu quoad ad substantiam, sed solum verbis diversa, si quædam pauca excipiantur, quæ ad hæreses Arii, & Macedonii condemnandas addita fuere.

301. Ad 2., fuisse in Ecclesia Orientali Cathecumenis Symbolum Nicænum, vel Constantinopolitanum potius, quam Apostolorum traditum, ut contra hæreses Arii, & Macedonii, quæ ibi grassatæ maxime fuerant, præmunirentur. Neque tamen putandum est, fuisse Symbolum Apostolorum plane omissum, quod incredibile prorsus est, præcipue quia in Symbolo Nicæno quinque postremi articuli *de sancta Ecclesia, Sanctorum communione, remissione peccatorum, carnis resurrectione, & vita æterna* prætermissi fuerant. Ecclesiæ tamen Occidentales constantes in antiqua disciplina perseverarunt, & Apostolorum Symbolum Catechumenis addiscendum profitendumque tradebant, ut pluribus argumentis, si opus esset, ostendi posset. Una tamen excipienda est Ecclesia Hispanica, quæ ut ex III. Concilio Toletano colligitur, græcum morem sectabatur propter hæresim Arianam, quæ Gothis, & Vandalis imperantibus ibidem infeliciter grassabatur.

302. Ad tertium. Communis opinio est, Symbolum Apostolorum submissa voce ab Ecclesia recitari solere, ad designanda persecutionum tempora, in quibus ab Apostolis conditum, & in Ecclesia propagatum fuit; alterum autem publice recitari, immo solemniter cantari, quia eo tempore fuit confectum, quo Ecclesia extinctis tyrannis sub Constantino, & Theodosio Imperatoribus Christianis suam fidem palam profitebatur. Ceterum Ecclesia multo frequentius Symbolum Apostolorum, quam Constantinopolitanum recitat; hoc enim nonnisi aliquando, & in sacrosancto Missæ Sacrificio solum, aliud autem quotidie, & sæpius in Officio adhibet.

303. Obj. quinto. Non constat de tempore, de modo, aut de fine, quo Symbolum ab Apostolis conditum fuit. Nam quantum ad tempus attinet, aliqui ex Ruffino illud ante Apostolorum dispersionem concinnatum opinantur, alii serius Concilio coacto. Quantum spectat ad modum, si Augustino fides est, Serm. CXV. *de tempore*, & S. Clementi in Epistola ad Jacobum fratrem Domini, Apostoli singuli suum apposuere articulum, ita ut Petrus exorsus fuerit: *Credo in Deum Patrem omnipotentem*; Joannes autem subjunxerit: *Creatorem cœli, & terræ*, & sic de reliquis. Alii autem putant, omnium consilio totum, & integrum Symbolum fuisse exaratum. Demum quantum ad finem, variæ condendi Symboli rationes afferri solent, sed illa præcipua, ut fideles hoc Symbolo ab Hæreticis, quasi tessera quadam distinguerentur; quæ tamen ratio inepta est. Vel enim ab Hæreticis illius ævi tantummodo Catholici erant hoc Symbolo distinguendi, vel etiam a futuris: si primum, præterquamquod nullæ adhuc tunc exortæ erant hæreses, cur in Symbolo quidam alii prædamnantur errores, nonnisi multo produtri? Si secundum, cur non omnes hæreses eodem Symbolo explicatissime præfocatæ sunt, ut necesse non fuisset alia postea condere Symbola?

304. Resp. Etiamsi tempus, & modus, & finis, aliæque Symboli condendi circumstantiæ nos omnino laterent, inepte tamen quis inde inferret, illud non esse Apostolis tribuendum. Sexcenta enim in historia occurrunt, de quorum existentia nemo cordatus dubitat, quorum nihilominus circumstantiæ vel omnino latent, vel diversimode a variis auctoribus referuntur. Sed quantum ad tempus attinet, edisserant nobis Adversarii, qui Symbolum Apostolis abjudicant, qua primum ætate, quove auctore fuerit illud confectum? Alii sæc. V., nonnulli IV., quidam ab auctoribus canonum Apostolicorum; Basnagius non quidem totum

tum uno simul tempore, nec ab uno Scriptore, sed pauletim, & per partes, prout novæ hæreses pullulabant, efformatum arbitratur. Nos contra ex eo, quod nulla certa illius epocha constitui possit, verisimilius colligimus, fuisse illud primitus ab Apostolis traditum, præcipue quia si privato aliquorum consilio fuisset confectum, vix tantam potuisset in omnibus Ecclesiis obtinere auctoritatem. Quantum ad modum attinet, quo illud conditum fuit, rejecto Pseudo-Augustini, & Pseudo-Clementis testimonio (constat enim ea opera esse apocryphe), probabilius creditur, Apostolos in unum collatis consiliis omnes articulos condidisse.

305. Variæ demum potuerunt esse Symboli hujus condendi rationes, inter se quidem diversæ, non tamen pugnantes: illa certe potissima, ut fideles brevissima quadem regula, quæ facile a rudibus addisci, & memoriæ mandari posset, præcipua fidei nostræ capita semper præ oculis haberent (a). Etiam id fieri potuit, ut hec quasi tessera ab Hæreticis postea exorituris orthodoxi secernerentur. Omnes autem, quæ deinceps, ut Apostoli ipsi prædixerunt, erupturæ erant hæreses, implicite saltem hoc Symbolo prædamnatæ sunt, ut proinde verissime, non exaggerate, ut Basnagius blateret, dictum a S. Leone fuerit epist. XXVII. ad Pulcheriam: *Omnes Hæreticorum opiniones solo ipsius* (Symboli) *posse gladio detruncari*. Quod si aliqua Symbolo addere subsequentibus temporibus opportunum visum fuit; id non ex tali necessitate factum est, quesi Apostolorum Symbolum mancum, & imperfectum esset, sed ad majorem explicationem, majoremque Fidelium utilitatem, ac potissimum propter pervicaciam Hæreticorum.

306. Obj. ultimo. Vox illa *Catholicam Ecclesiam* apecte demonstrat, Symbolum esse Apostolorum ævo recentius. Nam S. Pacianus epist. ad Sympronianum testatur, Apostolorum ætate non fuisse Christianos appelletos *Catholicos*, nec Ecclesiam *Catholicam*. Deinde teste Vincentio Lirinensi in *Commonitorio* Catholica significat *Universalis*; quomodo autem Ecclesia dici poterat Apostolorum tempore universalis, quando scilicet intra paucissimorum hominum cœtum continebatur?

307. Resp., reipsa in nonnullis Symbolis, ut in Aquilejensi, hanc vocem *Catholicam* desiderari; unde aliqui suspicantur, eam fuisse postea adjectam. Verum, tametsi dicamus, eam vocem non esse adscititiam, sed ab ipsis Apostolis primitus in Symbolo positam, nihil erit absurdi: esto enim tunc temporis non fuisset Ecclesia ubique diffusa, brevi tamen eret diffundenda, juxta Domini præceptum: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ* Marci XVI. 15. (b).

APPENDIX.

De auctore Symboli Quicumque, *quod vulgo S. Athanasii dicitur.*

308. Symbolum, quod vulgo *Athanasianum* nuncupatur, illud est, quod Dominicis diebus ad Primam solet a Clericis recitari, & incipit: *Quicumque vult salvus esse &c.* Magna de ejus auctore controversia est, si numerum litigantium spectes; non tamen tanta videtur, si rei utilitatem consideres: quamobrem nos breviter eam, mollique brachio tractabimus (c).

PROPOSITIO.

Nullo satis firmo argumento probari potest, Symbolum Quicumque, *quod Athanasii nomen præfert, fuisse ab Athanasio reipsa compositum.*

309. Quanquam ad hanc nostram propositionem comprobandem satis est contraria argumenta dissolvere, nonnulla tamen rationum momenta afferemus, licet non omuino demonstrativa. Et quidem

(a) *Cum non omnes possint Scripturas legere, sed alios quidem imperitia, alios vero occupatio quædam a cognitione impediat, ne anima per ignorantiam intereat, paucis versiculis universum fidei dogma concipimus.* Verba sunt S. Cyrilli Jerosolym. in fine Catechesis V.

(b) Henr. Valesius in not. (c) ad cap. 10. Lib. VII. H. E. Eusebii hæc habet: *Catholicæ nomen quando primum adhæserit Ecclesiæ Dei, difficile est dicere. In epist. quidem Smyrnæorum de martyrio beati Polycarpi mentio fit Ecclesiæ Catholicæ. Item in actis passionis Pionis martyris . . . apparet igitur, hoc cognomen Ecclesiæ inditum esse circa primam Apostolorum successionem &c.*

(c) Critici recentiores fere communi calculo Symbolum Athanasio abjudicant, ut Nat. Alexander in Sæc. IV. cap. 6. ert. 8., Dupinius Tom. II. *Bibl.*, Ceillier *des Auteurs Eccles.* Tom. V. p. 292., Editores Opp. S. Athanasii in *Diatribe*, Quesnellus Diss. XIV. ad Leonis M. opera, Jo. Cabassutius in *Histor. Synopsi* Sæc. II., Michael le-Quien Dissertatione I. *Damascenica* num. 17., Ludovicus Muratorius Tom. II. *Anecdot. latin.*, P. Dominicus Maria Speronius in Diss. I. *de Symbolo vulgo S. Athanasii* Patavii 1750., &, ut inquit Benedictus XIII. in *Synodico Beneventano* pag. 56. eruditissimi plerique. Ex Heterodoxis autem Vossius *de tribus Symbolis*, Jo. Henr. Heideggerus in Dissert. *de Symb. Athanasiano* Tom. II. *Diss. Select.* Casimirus Oudinus in *Commentario de Script. Eccles.* Sæc. IV., aliique innumeri. Fatendum est tamen, etiam sententiæ contrariæ non deesse patronos, eosque magni nominis, ut sunt Baronius ad an. 340., Ant. Possevinus in *Apparatu voce Athanasius*, Severinus Binius in notis ad hoc Symbolum, Bellarminus *de Script. Eccl.*, Meratus in notis ad Gavantum, auctor Gallus anonymus *Dissertation touchant l'auteur de Symbole Quicumque &c.* par un Licencié de Sorbonne à

dem primò altum est hujus Symboli silentium apud Auctores Athanasio synchronos, vel propinquiores. Nihil de eo dicunt Theodoretus, Socrates, Sozomenus, qui ejusdem tamen commemorandi occasionem habuerunt, dum de Concilio Romano in causa Athanasii coacto verba faciunt. Nihil in antiquissimo illo Romanæ Ecclesiæ codice, quem ex duobus Manuscriptis Thuaneo, & Oxoniensi Quesnellus edidit in appendice ad Opera S. Leonis. Nihil in vetustioribus S. Athanasii cum græcis, tum latinis codicibus. Nec S. Cyrillus, nec Ephesina Synodus, neque S. Cælestinus, neque Cassianus contra Nestorianos, neque Patres Calcedonenses contra Eutychianos hoc Symbolum adhibuerunt, cum tamen utraque hæc hæresis clare atque explicatissime in eo profligata reperiatur; S. autem Leo in epist. ad Leonem Augustum verba quidem S. Athanasii ex epistola ad Epictetum allegat, Symboli autem, quod ad rem multo magis fuisset, ne meminit quidem. Immo nec Latini ante Gregorium IX., id est ante annum 1233. hoc Symbolo contra Græcos usi sunt, ut Photianos Spiritus sancti processionem a Filio negantes tanti Ecclesiæ Græcæ luminis auctoritate confunderent. Quod argumentum etsi negativum, robore non caret, cum nulla suppetant contraria satis firma momenta.

310. Accedit, latinam videri potius, quam græcam primam hujus Symboli originem. Id constat vel ex eo solum, quod in græcis exemplaribus magna habetur varietas, contra vero in latinis summa consensio (a): hæc autem græcorum exemplarium varietas nonnisi ex diverso interpretum genio oriri potuit. At vero quanquam Athanasius inter Latinos aliquandio commoratus fuerit, quando scilicet ab Ecclesia sua pulsus errabat, vix tamen est credibile, eum ætate jam provectum ita bene latinas litteras didicisse, ut opus hoc non omnino inelegans elucubrare potuerit; quod enim aliqui dicunt, eum non minus latinam quam græcam linguam calluisse (ap. Murator. Tom. II. *Anecdot.* p. 220., & Bollandianos 2. Maji cap. 10.) valde incertum est.

311. Demum falso hoc Symbolum Athanasio tribui, indicat etiam auctorum dissidium de tempore, loco, & causa illius edendi. Multorum opinio fuit, Treviris in aliquo puteo diu S. Athanasium latitasse, ut se ab Arianorum insidiis tueretur; immo hodie etiam puteum ostendi dicunt, in cujus latebria hanc fidei suæ confessionem exaravit. Sed commentitia hæc fabula est; Vossio observante, inde probabiliter orta, quod Russinus Lib. X. *Hist. Eccles.* cap. 18. Athanasium sexennium in cisterna delituisse narret, quod tamen non Treviris, sed in Ægypto factum scripsit Ruffinus, immo de hoc ipso dubitare videtur.

312. Alii vero post Baronium, Symbolum ab Athanasio editum opinantur, cum Romam venisset, fidei suæ professionem Julio R. P., eique assidentibus Episcopis oblaturus. Sed hoc sine ullo fundamento fingitur, præcipue cum sub Julio non de Athanasii fide, sed innocentia solum quæstio mota esset; multa enim crimina ipsi fuerant per calumniam afficta, a quibus, cum apud Apostolicam Sedem, tum in Synodo Sardicensi cumulatissime se purgavit. Sed si etiam fidei suæ rationem reddere debuisset, certe particulam ὁμοούσιον, pro qua strenue semper pugnaverat, haud omisisset; quemadmodum nec omnino omisit in altera *Expositione Fidei*, de cujus tamen αὐθεντία nonnulli dubitant (V. Ceillier T. V. p. 187.). Sane in epistola catholica *Symbolum*, inquit, *tesseraque fidei nostræ est consubstantialis Trinitas:* neque contentus fuisset eamdem Filii consubstantialitatem verbis solum æquivalentibus indicare, præcipue si verum est, hanc fidei professionem Julio R. Pontifici fuisse ab Athanas. exhibitam, nulla enim erat vocis ὁμοούσιον reticendæ causa. Neque Julius R. P. in epistola ad Antiochenos, in qua rationem reddit, cur S. Athanasium in suam communionem receperit, Symbolum ab illo editum silentio pressisset.

313. Hæc omnia, sin minus divisim, saltem simul sumpta, verosimiliter ostendunt, Symbolum *Quicumque* non esse S. Athanasii germinum fœtum (b); præcipue cum nulla satis firma argumenta pro contraria sententia militent, quod mox videbimus. Secus autem esset, si gravi aliquò monumento Symbolum *Quicumque* posset Athanasio vindicari; tunc enim allatæ hactenus conjecturæ omni nervo carerent.

314. Obj. primo. Hoc Symbolum Athanasio tribuunt antiquissimi Scriptores. Primo quidem subobscure S. Gregorius Nezianzenus *de Laudibus Athanasii*, dicens, eum in confessione fidei oblata Joviano Imperatori Spiritus sancti divinitatem fuisse confessum. Secundo in codice quodam Dervernensi *Fragmentorum S. Hilarii* post Symbolum Nicænum, & damnationem Arii sequitur *Fides dicta a S. Athanasio*; Ita etiam codex Pithœanus habet. Tertio Ughellus Tomo IV. *Italiæ Sacræ* p. 508. de S. Gaudentio Brixiensi Episcopo hæc scribit: *In Symbolum M. Athanasii edidit commentarium, ut in veterum Patrum Bibliotheca habetur.* Id ipsum referunt Capreolus Lib. III. *Hist. Brix.*, & Ferrarius in *Catalo-*

Lyon 1730., & non ita pridem Antonius Sandinus in *Disputat. Hist. XIV.* Neque inter Protestantes desunt, qui eidem sententiæ subscribant, ut apud Abrahamum Calovium *Theol. natur. & revelat.* Libr. I. pag. 63. videri potest.

(a) Si unum excipiatur editum a Muratorio T. II. *Anecdot.* p. 225. ex Cod. Biblioth. Ambros., & alterum Colbertinæ Biblioth. laudatum a Montfauconio in T. II. Operum S. Athanasii pag. 726.

(b) Nonnulla alia momenta omisimus, quia minus solida demonstrata sunt a Sandino *Disp. hist.* XIV.

logo SS. Italiæ. Quarto S. Augustinus id etiam confirmat, inquiens Enarr. in Ps. CXX. *Pater Athanasius Alexandriæ Episcopus ita pulchre locutus est: Filius*, inquit, *a Patre solo est*, *non factus*, *nec creatus*, *sed genitus*. Quinto Synodos Augustodunensis sub S. Leodegario habita an. 670. vel 673. *Si quis Presbyter*, inquit, *Diaconus*, *Subdiaconus*, *vel Clericus Symbolum*, *quod sancta inspiratione Apostoli tradiderunt*, *& fidem S. Athanasii Præsulis irreprehensibiliter non recensuerit*, *ab Episcopo condemnetur*, & antea in Synodo IV. Toletana an. 633. ejusdem mentio habetur. Sexto in capitulari Hattonis Basileensis Sæc. VIII. ap. Dacheryum Tom. IV. *Spicilegii*, ita præcipitur: *Fides Athanasii a Sacerdotibus dicatur*, *& ex corde die Dominico ad Primam recitetur*. Septimo Ussesius in epistola ad Jo. Ger. Vossium duo latina Psalteria Mss. a se visa refert, in quibus hoc Symbolum apicibus antiquissimis sub Athanasii nomine descriptum erat, immo unum ex his non esse Gregorio M., hoc est Sæc. VI. posterius, Vossius ipse autumat. Addi possunt & tres alii vetustissimi codices, Vaticanus, Sangermanensis, & Palatinus, in quibus hoc Symbolum nomen Athanasii præfert; tum Bodlejanus, & Lipsiensis ap. Le-Quien Dissert. I. *Damasc.* §. 17., & alii, quos Maurini laudant Tom. II. Opp. Sanct. Athanasii pag. 721. Demum sæculis posterioribus ejusdem Symboli mentionem sub Athanasii nomine faciunt Regino Lib. 1. *de Eccles. discipl.* num. 85., Theodulfus, Agobardus, Ratramnus, Æneas Paris, Hincmarus Remensis, Ratherius Leodiensis, aliique in Tomo II. Oper. Sancti Athanasii p. 720.; unde & communis prorsus hæc opinio evasit.

315. Resp. ad primum, confessionem a S. Gregorio Nazianz. commemoratum non fuisse Symbolum *Quicumque*, sed Epistolam Synodicam nomine Episcoporum Ægypti, Thebaidis, & Libyarum scriptam ad hæresim Pneumatomachorum profligandam, quam Theodoretus refert Lib. IV. cap. 8. (vid. not. (a) Valesii).

316. Ad secundum. Verisimile est, verba illa fuisse codici Pithœano addita, qui recentiore manu exaratus fuit, ut Nicolaus Faber in præfatione testatur.

317. Ad tertium. Hujus S. Gaudentii commentarii nullum plane est, neque in *Bibliotheca Patrum*, neque apud alios probatos auctores vestigium (V. Præf. ad opera S. Gaudentii n. 19. edit. Brix. 1738.).

318. Quantum vero attinet ad locum S. Augustini, bene notarunt Monachi Benedictini, fuisse deceptos Possevinum *in Apparatu voce Athanasius*, Torrensem in *extr. præf. ad Confess. Augustinian.* Bellarminum Lib. II. *de Christo* c. 25., aliosque non infimi subselli Theologos, fuisse inquam deceptos a quibusdam Venetis, & Parisiensibus editionibus; hæc enim verba in omnibus Miss. a se visis, necnon in editionibus Amerbachii, Erasmi, Lovaniensium, aliisque desiderari. Consentit etiam Petavius Lib. VII. *de Trin.* cap. 8. n. 7.

319. Ad sextum. Probabiliter Patres Synodi Augustodunensis nomine *Fidei Athanasii* nihil aliud intellexere, quam Dialogum Vigilii Tapsensis, qui S. Athanasius inducit disputantem adversus Sabellium, Photinum, & Arium (a); nisi dicere velimus extitisse jam tunc hoc symbolum sub fictitio Athanasii nomine; reipsa enim plerique putant, fuisse a Vigilio Dapsensi in Africa Episcopo Sæc. V. elucubratum, & sub nomine S. Athanasii in lucem emissum, ut majorem illi auctoritatem conciliaret, quod non semel ab hoc auctore factitatum observavit Quesnellus Dissert. XIV. in Opera S. Leonis.

320. Ad reliqua idem dici potest, videlicet suppositionem hujus Symboli, esse antiquissimam; unde mirum non est, si plures auctores re minime discussa illud sub nomine S. Athanasii laudaverint. De illius antiquitate vid. Ballerini §. 3. *Observat.* in Dissert. XIV. Quesnelli.

321. Obj. secundo. Apocrisarii Gregorii IX. Constantinopolim missi Symbolum hoc sub nomine S. Athanasii, Græcis nullatenus contradicentibus in definitione fidei catholicæ allegarunt. Eugenius IV. illud pariter appellavit *compendiosam fidei regulam per beatissimum Athanasium editam* in decreto unionis Armenorum; ac demum universa Ecclesia illud in Breviario sub nomine S. Athanasii recitat.

322. Resp. Græcos, si non reclamarunt, fuisse in eodem errore facti, quantum ad hoc, quo alii ætate non admodum erudita, tenebantur. Hinc potius illud miserabile, infandumque effugium excogitarunt, ut dicerent, ea verba, quæ Spiritus sancti processionem a Filio clarissime explicant, vel fuisse adulterina manu assuta, vel a S. Athanasio, mero incalescente, incante prolata, ut Gennadius refert (b) in *Defensione Conc. Florentini* c. 1. in *Bibl. PP.* Tom. IV. Cardinalis tamen Bessarion in celebri illa Oratione, quam pro Spiritus sancti processione a Filio adversus Græcos habuit, quanquam omnia Græcorum Patrum loca

(a) Daniel Papebrochius *in respons. ad exhibitionem errorum* P. I. art. 13. n. 36. putavit fidem S. Athanasii a Synodo Augustodun. commemoratam nihil esse aliud, quam Symbolum Nicænum Athanasio allaborante confectum.

(b) *Non verentur dicere*, inquit laud. Gennadius de Græcis, *Athanasium ebrium fuisse*, *cum hæc scriberet*, *& vini plenum*. Vid. etiam Leo Allatius cum in Tract. *de Symbolo S. Athanasii*, tum *de consensu &c.* Lib. II. cap. 6. Locum autem fuisse corruptum evincere conatus est inter alios Josephus Briennius in Tom. II. Operum, quæ cura Eugenii Diaconi Bulgariensis collecta prodierunt Lipsiæ in 8. an. 1768.

ea studiosissime collegit, nihil de S. Athanasii Symbolo addendum putavit. Quod vero R. Pontifex Eugenius, imo & ipsa Ecclesia S. Athanasii nomen Symbolo *Quicumque* apposuerit, res facti est, quam nec Pontificem, nec Ecclesiam definire voluisse, plusquam certum est.

523. Quæres, quisnam fuerit illius Symboli Auctor?

524. Resp., id certo determinari non posse; variæ enim, & admodum discrepantes sunt Scriptorum sententiæ; ut videri potest apud doctissimos Fratres Ballerinios in adnotationibus ad Dissert. XIV. Quesnelli in Appendice ad Tomum III. Operum S. Leonis. Sunt, qui Eusebio Vercellensi illud adscribunt, sed parum verisimiliter, vixit enim Sæc. IV., fuitque S. Athanasio coævus.

525. Idemque fere dicendum de opinione Cl. Galeardi, qui in *Præfat.* ad Opera S. Gaudentii n. 15. illud S. Philastrio deberi censuit.

526. Pithœus *de proces. Spir. S.*, & Ger. Vossius in Dissert. *de tribus Symbolis* illud ab anonymo Gallo Sæc. VIII. sub Pipino, vel Carolo M. prodiisse putant, cum scilicet quæstio de processione Spiritus S. in Gallia mota esset.

527. Joseph Anthelmus in *Nova disput. de Symbolo Athanasiano* illud tribuit Vincentio Lorinensi. Lud. Muratorius Venantium Fortunatum hujus Symboli auctorem fuisse opinatur.

528. Alii Anastasium Synaitam, alii Athanasium Spirensem, quidam Hilarium Pictaviensem, & quidam Anastasium I. Rom. Pont.. Confer. le Quien Dissert. I. *Damasc.* §. 17.. Nec defuerunt, qui illud a Patribus Nicænis compositum dicerent. V. Fabricius in *Bibl. Græca* Vol. XI. pag. 361.

529. Venerabilis autem Cardinalis Thomasius suspicatus est, hoc Symbolum esse velut *Hypomnesticon* quoddam, sive *Commonitorium* ad Catholicorum instructionem contra varias hæreses, & græce, & latine primo confectum ex iis, quæ de Trinitate, & de Incarnatione, tum voce, tum scripto in Concilio Alexandrino S. Athanasio præside disputata sunt. Vid. ejusdem piissimi & doctissimi Cardinalis Psalterium pag. 685. edit. Vien.. Observat enim ibidem, ea quæ Ruffinus Lib. X. *Hist. Eccl.* cap. 29., & epistola ipsa ejusdem Concilii apud S. Athanasium in epist. ad Antiochenos habent, si considerentur attentius, verbatimque expendantur, pene totum illud Symbolum summatim repræsentare.

530. Sed omnium probabilior videtur Paschalis Quesnelli opinio, qui in Dissert. XIV. in Opera S. Leonis hoc Symbolum Vigilio Tapsensi adscribendum esse, non ineptis argumentis ostendit; cui opinioni Natalis Alexander in Sæc. IV. cap. 6. art. 8. cum plerisque aliis eruditis subscribit.

Totum hunc tractatum iis verbis concludo, quibus S. Augustinus suos XV. Libros de *Trinitate* absolvit: *Domine Deus une, Deus Trinitas, quodcumque dixi in his libris de tuo, agnoscant & tui: si quæ de meo, & tu ignosce, & tui. Amen.* Antea autem S. Pater Librum septimum de hoc sacrosancto Mysterio ita concluserat: *Quod si intellectu capi non potest, fide teneatur, donec illucescat in cordibus ille, qui ait per Prophetam* (Isai. VII. 9.) *Nisi credideritis, non intelligetis.* Addo etiam illud præclarum S. Gregorii Nazianz. monitum Orat. XXXI., alias XXXVII. n. 28.: *Colamus Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, tres proprietates, unam divinitatem, nec gloria, nec honore, nec essentia, nec regno divisum.*

BREVIS TRACTATUS

De rerum Creatione.

Postquam Angelicus noster Præceptor I. P. q. 27. & seq. omnia exposuit, quæ ad processiones divinarum Personarum spectant; unde augustissimum sanctissimæ, & individuæ Trinitatis mysterium constituitur, pergit quæstione 44. disputare de processione creaturarum a Deo. Et certe rectus doctrinæ ordo postulabat, ut postquam dictum est de divinis attributis, quæ *absoluta* vocantur, sequeretur tractatus de divinis attributis *relativis*, quæ divinas Personas constituunt, & distinguunt; ac demum ageretur de aliis divinis attributis, quæ creaturas respiciunt, suntque tribus Personis communia. Hic autem nonnisi ea expendemus, quæ generaliter spectant ad hujus universi creationem; in sequenti autem volumine tractabimus de Angelis, ac de Homine qui inter omnes creaturas Dei nobilissimum occupant locum.

CAPUT I.

De Creatione ex nihilo. Recensentur veterum, ac recentiorum errores.

1. Primus fidei nostræ articulus jubet, ut credamus *in unum Deum creatorem cœli, & terræ*; unde etiam antiquissimus Scriptor Hermas in *Pastore* Lib. II. mandato 1. (apud Cotelerium Tom. I. *Patrum Apostolic.*) inquiebat: *Primum omnium crede, quia unus est Deus, qui omnia creavit, & ex nihilo fecit.* De hoc primo, & fundamentali Religionis nostræ articulo eo accuratius agendum est, quo a pluribus, variique generis adversariis oppugnatum fuit.

2. Veteres Philosophi (paucis fortasse exceptis) creationem ex nihilo aut ignorarunt penitus, aut data opera impugnarunt, potissimum ex pervulgato illo principio *ex nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.* Valde autem laborabant, atque inter se acriter digladiabantur, cum de hujus mundi genesi quæstio oriebatur. Alii enim mundum, qualis nunc est, ab æterno, & a se extitisse comminiscebantur. Alii vero materiam solam ponebant æternam, & improductam, ex qua postea, nescio

quo

quo modo, mundus fortuito formatus esset. Alii alia absurda de adspectabili hujus universi conformatione sibi effingebant systemata, veram ejus originem ab infinita, & sapientissima divina mente ignorantes, aut fateri nolentes (a).

3. Neque mirum est, ita veteres Philosophos desipuisse; quamvis enim, ut postea ostendemus, ipsa recta ratio nos aperte doceat, nihil esse posse increatum, & a se ipso præter Deum, Ens infinitum, & perfectissimum, in his tamen ignorantiæ tenebris, in quas nos Adami culpa conjecit, rationis acies adeo est hebetata, ut non inepte fuerit ab ipsis Ethnicis noctuæ oculis comparata. Et quemadmodum aliæ multæ veritates naturales fuerunt ab ipsis ignoratæ, ita & hæc potuit ipsos latere.

4. Mirandum potius est, in ipsa divinæ revelationis luce inventos fuisse aliquos, qui hoc principale Religionis nostræ dogma non viderent. Beausobrius (*Hist. des dogmes de Manichée* Lib. V. c. 5.) fidenter asserit veteres saltem Judæos, ac Philonem imprimis, materiam æternam, atque increatam credidisse; nimia enim evidentia coactus fatetur, recentiores Judæos materiæ creationem agnoscere. Ego vero inficias non ibo, fuisse aliquos sive inter veteres, sive inter recentiores Judæos, qui Mosaicæ legis studio seposito, & græcæ Philosophiæ plus æquo addicti sicut in aliis multis, ita etiam in hoc sacro Religionis dogmate erraverint. Sed incredibile prorsus est, hanc veritatem fundamentalem fuisse communiter apud Judæos vel ignoratam, vel rejectam. Jac. Bruckerus (in *Hist. Crit. Phil.* Tom. II. Period. II. P. I. Lib. II. c. 1.) ostendit, Karaitas, quæ secta erat apud Judæos antiquissima, qui S. Scripturæ adhærens, & Rabbinitarum, ac Pharasaicarum traditionum inimica, creationem ex nihilo credidisse, atque ipsa Karaitarum verba ad id confirmandum ex Triglandio affert, ubi iste Auctor de Karæis disserit (a).

5. Multo certius est, non paucos fuisse inter ipsos Christianos, qui ita delirarunt, ut materiam crederent æternam, & increatam. Marcion Sæculi II. hæreticus, teste Theodoreto Lib. I. *Hæret. fabularum* c. 14., mundum hunc ex materia ab æterno præexistente formatum esse docebat, & quidem non a Deo bono, sed a Deo malo: quemadmodum etiam Manichæi, aliique Dualistæ nugati sunt; de quibus S. Joan. Chrysostomus Hom. II. in Genesim ajebat: " Sive Manichæus prodeat, „ materiam prius extitisse dicens, sive Marcion, „ sive Valentinus, sive Gentiles, dicito ipsis: *In* „ *principio creavit Deus cœlum, & terram* ".

6. Eodem luto hæserunt etiam Gnostici, Cerdoniani, Priscillianistæ (qui postremi IV. sæculo in Hispania grassati sunt), aliique duorum principiorum assertores, de quibus agunt S. Augustinus, Philastrius, & Epiphanius in suis tractatibus *de hæresibus*.

7. Hermogenes quoque inter veteres a Tertulliano singulari libro reprehensus, & confutatus est, quod materiam, ut æternum, & increatum principium, agnosceret, ac de ipso ajebat laudatus Africanus Doctor (initio Libri contra ipsum): *Totum, quod Deus est, aufert, nolens ipsum ex nihilo universa fecisse;* eumque, ac ipsius asseclas vocare solebat *Materiarios*.

8. Sed & Sabelliani magna hujus erroris suspicione laborarunt; quamobrem S. Augustinus, & Philastrius eos *Hermogenianos* appellarunt. Certe S. Dionysius Alexandrinus Sabellium impugnans errorem de materia increata illi exprobrat, apud Eusebium Lib. VII. *Præparat. Evang.* cap. 19.

9. Denique Procopius Gazæus (in Comment. in Genes.) aliquos commemorat ex Christianis sui temporis, hoc est Sæculi VI., qui ex ipso Moyse materiæ æternitatem colligi posse, stulte putabant.

10. Nostra etiam, Patrumque nostrorum ætate hic error infeliciter propagatus est. Sociniani imprimis ejus accusantur; & quamvis Samoel Crellius inter eos magni nominis luculenter asserat, *mundum hunc a Deo ex nihilo productum* (*de attributis divinis* c. 17.), Volkelius tamen in Libro *de vera Religione* de hac re se dubium ostendit, & Socinianorum more saltem libertatem *ambigendi* de hoc dogmate, quin & *dissentiendi*, aut etiam illud plane *ignorandi*, omnibus relinqui cupit (b).

11. Increduli vero, infelicis hujus ævi pestis, multa in hoc genere turbant; & quamvis plerique eorum videri velint, & vocari *Theistæ*, quasi vere Deum admittant rerum omnium principium, & causam, sæpius tamen eo delabuntur, ut cum A-

(a) Magna controversia est inter eruditos an aliqui saltem ex Ethnicis Philosophis naturæ lumine, vel traditione, vel alio modo creationem rerum ex nihilo agnoverint. De hac controversia vid. quæ notavimus in I. Tomo Diss. I. num. 109. & 112.

(b) Morinus *in Exercitationibus biblicis* Libro II. Exercit. 7. cap. 2. pag. 307. putavit, Karaitarum sectam non esse sæc. VIII. antiquiorem. Repugnant tamen alii, contendentes, Karaitas esse Christiana epocha priores: Confer Jac. Triglandii diatriben *de Secta Karæorum* impressam Delphis 1703. una cum opusculis Serarii, Drusii, & Scaligeri *de tribus Judæorum sectis*, aliosque Auctores recensitos a P. Gab. Fabricy *Des titres primitifs de la revelation* T. II. p. 320. in not.

(c) A qua indulgentia nec Beausobrius alienus est; dum in Libro V. *Hist. des dogmes de Manichée* cap. 5. n. 7. ita scribit: *Quamvis materiæ æternitas magnus sit error, & ex principiis nostræ Metaphysicæ possint ex eo perniciosa consectaria deduci, fateor tamen, me in plurium Doctorum sententiam trahi, qui hunc errorem inter mortales non reponunt, dummodo, qui eo decepti tenentur, ea consectaria rejiciant.* Nescio, an tolerantia possit latius extendi.

Atheis materiam esse æternam, & improductam blasphement (*a*).

CAPUT II.

Ostenditur cum ex Sacris Litteris, tum ex ratione, mundum fuisse ex nihilo per creationem extractum. S. Thomas I. P. q. 44. & 45., tum Lib. II. contra Gentes *cap.* 15, *&* 16., *ac Quæst. III.* de potentia *art.* 5.

12. Præmittendum autem est, parum ad præsentem rem nostram pertinere, sive dicatur, mundum, cujusmodi nunc est, fuiese ex nihilo extractum, sive dicatur, eumdem formatum ex materia informi, quæ prius fuerit a Deo ex nihilo extracta. In prima hypothesi mundi creatio vocari posset *immediata*, in altera vero *mediata*; utraque tamen supponit, nihil esse in hac rerum natura æternum, & improductum. Unde S. Augustinus Lib. I. *de Genesi contra Manichæos* cap. 4. Tomo I. *Deus*, inquit, *rectissime creditur omnia de nihilo fecisse, quia etsi omnia de ipsa materia formata sunt, hæc ipsa materia tamen de omnino nihilo facta est*.

13. Jam vero ad probandam rerum creationem ex nihilo locus videtur apertissimus in cap. I. Geneseos, ubi noster Vulgatus interpres sic habet: *In principio creavit Deus cœlum, & terram*. Quod sæpius repetitum invenimus in sacris litteris, ut in Psalmo CXLVIII. 5. *Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt*. Sapientiæ I. 14. *Creavit Deus, ut essent omnia*; & in epist. ad Hebræos cap. III. 4. *Qui autem creavit omnia, Deus est;* ac denique Apoc. IV. ultim. *Tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt*.

14. Vocabulum autem illud *creare*, ut Glossa habet, *est aliquid ex nihilo extrahere*; & S. Jo. Chrysostomus (in cap. V. epist. 2. ad Corinthios ad vers. 17.) *Creatio*, inquit, *in Scriptura dicitur e nihilo in aliquid productio*. Atque, ut alios omittam, S. Hieronymus linguæ hæbraicæ peritissimus in epist. 140. ad Cyprianum num. 6. *Creatio*, inquit, *est ejus, qui prius non erat, conditionis exordium*.

15. Septuaginta quidem Interpretes vocem hebraicam ברא *barà* verterunt ἐποίησε *fecit;* observante tamen S. Gregorio Nysseno Orat. IV. contra Eunomium, ποιεῖν idem prorsus est, ac κτίζειν, quod significat *creare* (*b*).

16. Dices. Hebraica vox ברא *barà* in sacris litteris usurpatur ad significandam etiam productionem ex præjacente materia; ut in eodem cap. I. Geneseos 27. dicitur *creasse* hominem, qui tamen *formatus* fuit de limo cap. II. 1. Hinc non desunt etiam inter Catholicos, qui ex illa voce efficax argumentum trahi posse negant, ad probandam creationem rerum ex nihilo (*c*).

17. Resp., si omnia bene perpendantur, manifesto apparere, in capite illo primo Geneseos nonnisi de productione ex nihilo sermonem esse. Nam primo ita illam vocem ברא intellexerunt Rabbini peritissimi, ut videri potest apud R. Maimonidem in suo *More Nevochim* P. II. cap. 30. (*d*), & apud R. Aben-Hezra in Comment. ad initium Geneseos. Secundo, in illo Genesis exordio sermo est de materia informi: dicitur enim: *terra autem erat inanis, & vacua*: illa autem materia informis non poterat esse ex alia materia jam præe-

(*a*) Inter alios auctor impiissimi libri, cui titulus *Le systeme de la nature* pag. 25. hæc habet: *Que la matière ait pû commencer d'exister, c'est une hypothèse, qui jusqu'ici n'a jamais été demontrée par des preuves valables. L'eduction du néant, ou la création, n'est, qu'un mot, qui ne peut nous donner aucune idée de la formation de l'univers; il ne presente aucun sens, auquel l'esprit puisse s'arrêter &c.* Ita hic Atheus ex suo tripode. Sed quam falso, mox videbimus. Præiverat illi Boulainvilliersius in suo Libro, cui mendacem hunc apposuit titulum: *Refutatio systematis Spinozæ*, cum potius deberet inscribi: *Defensio systematis Spinozæ*, cum in eo argumenta Spinozæ proponantur quidem, sed non solvantur, & cum pag. 68. hic idem auctor scribere non sit veritus, nihil esse magis a ratione alienum in doctrina christiana de prima rerum creatione. Jo. etiam Marchio d'Argens in sua Philosophia, quam illi appellare placuit *de bon sens* reflex. 3. §. 7. creationem rerum ex nihilo fide credi oportere, dicit, ratione omnino repugnante; quæ phrasis ad mentem pseudo-philosophorum nostri ævi nihil aliud sonat, quam mysteria fidei, utpote rationi repugnantia, inter fabulae amandanda esse. Voltairius in sua *Philosophia Historica* scepticum agit, & cap. 17. omnes eos irridet, qui mundi originem, primamque rerum creationem indagare voluerunt, & potius hac in re silendum consulit. Rousseavius denique, ut alios taceam, in scurrili illa, erroribusque plena epistola, quam ad Archiepiscopum Parisiensem dedit, quæ de creatione rerum, in suo impio libro *l'Emile*, dubia jam proposuerat, pyrrhonica methodo iterum renovat, & confirmare studet: & quod non satis in viro ingenioso mirari possumus, absurdissima illa hypothesi duorum prinsipiorum, boni scilicet, & mali, constitutionem hujus universi melius explicari posse, somniat. Sed notæ sunt hujus pseudo-Philosophi paradoxæ opiniones. Hæc breviter adnotare placuit, ut appareat quanta sit hanc materiam accurate pertractandi necessitas.

(*b*) Procopius Gazæus eruditus Sæculi VI. Scriptor in suo Comment. in Octateuchum recte observavit, male a LXX. Interpretibus fuisse adhibitum verbum ἐποίησε, quod non respondet vi vocis ברא *barà* a Moyse adhibitæ. Quamquam non unus est hic locus, in quo versio LXX. omni jure meritoque reprehenditur, ut videri potest apud Patrem Gabr. Fabricy in Tomo I. præclari sui operis *Des titres primitifs de la revelation* pag. 148. seq.

(*c*) Confer Rich. Simonium *Hist. Crit. du vieux Test.* Lib. II. cap. 5., & Petavium *De Opificio sex dierum* Lib. I. cap. 1. n. 8.

(*d*) Seu *Doctor perplexorum*. Ubi obiter noto, ver-

existente producta (*a*). Ac demum, cum ratio ipsa, ut mox videbimus, luculenter nos doceat, primam rerum productionem nonnisi ex nihilo fieri potuisse, consequenter etiam docere videtur, eam vocem ברא hoc in loco significare veri nominis creationem ex nihilo.

18. Sed hic Geneseos locus alio mirifice confirmatur, qui nulla potest detorsione eludi S. cilicet Lib. II. Machabæorum cap. VII. 28. mater septem martyrum ita unum ex filiis suis ad mortem fortiter pro sancta Religione tolerandam exhortabatur: *Peto, nate, ut aspicias ad cœlum, & terram, & ad omnia, quæ in eis sunt, & intelliges, quia ex nihilo fecit illa Deus.* Hunc locum tamquam prorsus decretorium ad probandam creationem ex nihilo allegavit etiam Origenes Lib. II. *De Principiis* c. 1.

19. Accedunt ulterius ea sacr. litterarum loca, in quibus dicitur, omnia a Deo esse facta. In Psalmo CXLV. 6. *Qui fecit cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt.* In Evangelio S. Joannis cap. I. 3. de Verbo divino dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt:* & ad Romanos XI. 36. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula sæculorum, amen.* Jam vero dici minime posset, omnia a Deo facta esse sine ulla exceptione, si aliquod jam extitisset subjectum increatum, unde mundus fuisset factus (*b*).

20. Prob. denique hoc fundamentale Religionis dogma ratione, quam plerique adversariorum nostrorum libentius audiunt, quam Scripturam sacram. Quod est improductum, & a seipso existens, debet esse omnino necessarium, atque omni perfectionum genere cumulatissimum: quod enim productum est, ab alia causa pendet, ut sit; ens autem improductum a nulla omnino causa pendet; non ergo contingens esse potest, sed necessarium esse debet. Rursus quod a se ipso est, nullos habere potest perfectionum limites; quemadmodum enim a nulla causa dependet, ut sit, ita a nulla causa coarctari potest ad certos & determinatos perfectionum gradus, ut majores non habeat. Jam vero quis asserere audeat, aut mundum universum, aut varia, quæ in eo sunt, rerum genera, aut primam omnium materiam, esse ita necessaria, ut ne fingere quidem possimus, ea non existere? Vel quis dicet, ea esse ita perfecta, ut nulla iis fieri possit perfectionis accessio? Cum potius videamus, & multas in omnibus esse imperfectiones, & illas ipsas paucas, ac tenues perfectiones, quæ mundo conveniunt, ita ei convenire, ut ab eo sejungi possint: non igitur mundus, vel materia a se esse potuerunt, sed debuerunt ab alia causa produci. Ne autem procedatur in infinitum, eo tandem deveniendum erit, ut dicatur, hæc omnia fuisse ab infinita Dei omnipotentia e nihilo extracta.

21. Quod magis etiam apparebit, si consideremus, materiam hujus universi, utut mole immanem, habere tamen suos magnitudinis fines, suam determinatam figuram, certum locum, & situm; neque enim reor, adversarios sibi persuasuros, quod nemini veterum Philosophorum in mentem venit, hoc universum esse mole infinitum. At vero si materia esset æterna, increata, & a se, quis illi certos posuisset extensionis limites? Quis determinasset illi locum, & situm? Cur non alia majora, vel minora spatia occupavit? Cur ubique, & perfecte homogenea non fuit? Quis demum illi certam motus quantitatem impressit? Et quis hunc motum certis legibus adstrinxit? Hæc, & multo plura id genus intelligi facile possunt, posita materiæ creatione ex nihilo; intelligi autem nullo modo possunt, ea sublata. Vide, quæ hac de re dicta sunt Tomo I. Diss. I. num. 49. & seq.

22. Accedit, in Ente, quod a se ipso sine ulla causa existit, ita relucere existentiam, ut ne fingendo quidem possimus cogitare ens per se existens non existere, quia hæc contradictoria sunt. Quænam autem est repugnantia, si cogitemus, hæc omnia, quæ nos circumstant, aut non fuisse olim, aut iterum in nihilum redigi? Nihil ergo præter Deum optimum maximum a se ipso existit, sed omnia ab ipso Deo producta sunt, utique ex nihilo (*c*).

23. Atque hæc non opinio tantum est Philosophorum, aut Theologorum, sed dogma inconcussum Ecclesiæ, quod Fideles in Apostolorum Symbo-

sionem latinam celebria hujus operis curatam a Jo. Buxtorfio anno 1629. longe præferendam esse alteri vetustiori anni 1580.; quæ admodum obscura est, multisque erroribus scatet.

(*a*) Adi-sis doctissimum Alexium Symmachum Mazochium in *Spicilegio Biblico* Dissert. I. in Genesim *de Chao, deque ovo primigenio.* Porro Mosaico pene sensu Ovidius cecinisse videtur Lib. I. *Metam.* vers. 7. & seq.

Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere Chaos, rudis, indigestaque moles.
Nec quidquam nisi pondus iners, congestaque eodem
Non bene junctarum discordia semina rerum.

(*b*) Hæc si attendisset Beausobrius, non tam facile pronuncîasset, hanc veritatem certam quidem esse ex invictis rationibus naturali lumine notis, non autem ex sacris litteris, quasi qui eam negare ausus fuerit, peccet quidem contra rectam, sanamque rationem, non autem divinæ revelationi repugnet. Præiverat autem illi in hac indulgentia Simon Episcopius Lib. IV. *Instit.* Sect. 4. cap. 14. dicens, *nusquam in terminis, aut sine controversia asseri in Scripturis, materiam a nihilo factam.* Quasi vero ad aliquam veritatem ex Scripturis comprobandam necesse sit, eam totidem apicibus in iisdem contineri, & non sufficiat, si aliis quidem verbis, eodem tamen sensu contineatur.

(*c*) Multo plures rationes, & quidem efficacissimæ videri possunt apud Sanctum Thomam Libro II. *Contra Gentes* capp. 15. & 16., & Qu. III. *de potentia* art. 1. & 5. Legi etiam meretur Pater Thomas Vin-

bolo profitentur iis verbis: *Credo in Deum .... Creatorem cœli, & terræ*. Quibus verbis Concilium Constantinopol. I. hæc alia addidit: *visibilium omnium, & invisibilium*.

24. Neque obest, ea verba in nonnullis Symbolis desiderari, ut in Romano, Aquilejensi, Orientali, & aliis. Non enim hoc probat, non fuisse id creditum a fidelibus, sed tantummodo ea verba fuisse addita, ubi, & quando aliqui male feriati homines id negare ausi sunt. Vide superius dicta Dissert. V. num. 289.

25. Denique hæc veritas fuit in Concilio Lateranensi IV. sub Innocent. III. anno 1215. solemniter confirmata; nam in primo capite *Firmiter* definitum fuit, *Deum esse unum universorum principium, creatorem omnium visibilium, & invisibilium, spiritualium, & corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam &c.* (*a*).

26. Objic. primo ex sacris litteris. Sapientiæ XI. 18. dicitur, Deum *creasse orbem terrarum ex materia invisa*; vel ut habet textus Græcus, *ex materia informi* ἀμόρφου.

27. Resp., ea verba esse intelligenda de materia informi, creata tamen a Deo, quod Mosaicæ narrationi mire consentit; dicitur enim Gen. I.: *In principio creavit Deus cœlum, & terram; terra autem erat inanis, & vacua*; hoc est sine herbis, plantis, animalibus, hominibus &c. Ita hunc Sapientiæ locum exponit S. Augustinus in Lib. I. *Contra Adversarium Legis, & Prophetarum* Tom. VIII. Procopius autem Gazæus dicit invisibilem fuisse appellatam terram, *quod esset subdita, & obruta aquis*. Vid. S. Thomas I. P. q. 66. art. 1.

29. Resp. Diabolum appellari *Deum, Principem, & Rectorem mundi*, idest peccatorum, qui in mundo sunt, & Diabolo serviunt, quemadmodum dicebat Jesus Judæis apud Joann. VIII. 44.: *Vos ex patre diabolo estis*; & Apostolus Philipp. III. 19.: *Quorum Deus venter est*. Error autem, & tenebræ dicuntur *concreata peccatoribus*, quatenus homines peccando errant, & odio habentes lucem diligunt tenebras.

30. Obj. secundo. Non defuerunt inter veteres Ecclesiæ Patres, qui aut materiam æternam, & increatam agnoverunt, aut saltem id sine piaculo dici, aut putari permiserunt. Nam primo Athenagoras Sæcul. II. scriptor in *Apologia*, vel *Legatione* M. Aurelio Imperat., ejusque filio Commodo oblata de mundi opificio loquens num. 15. comparat Deum figulo, qui ex luto præexistente vasa format, unde etiam colligit, quemadmodum figulum ejus operibus figlinis merito præferimus, ita potiore jure a Christianis Deum omnibus hujus mundi rebus præferri, eumque solum adorari. Porro observat Beausobrius, hoc Athenagoræ argumentum fuisse futurum efficacius, si ille credidisset, ac dixisset, Deum solum esse colendum, quia nedum ex materia præexistente omnia formavit, sicut figulus, sed etiam materiam ipsam ex nihilo extraxit. Accedit, quod ibidem num. 19. hoc quasi generale principium statuit: *Opus est & materiæ opifex, & materia opifici*, quod generaliter prolatum etiam ad Deum extendi videtur, ut ille quoque ad hunc mundum formandum materia indiguerit. Tertio n. 10. ostendens, quomodo Verbum ab æterno Patre procedens naturam rerum informem, & confusam in ordinem redegerit, nihil prorsus addit de prævia hujus materiæ creatione, cum tamen locus esset opportunissimus id explicandi.

31. Præterea Clemens Alexandrinus, qui Sæculo III. magna cum doctrinæ laude florebat, materiam æternam, atque increatam agnovit in suis *Hypotyposibus*, quemadmodum Photius refert in *Biblioth.* cod. 109. Ejusdem erroris vestigia apparent etiam in Lib. V. *Stromatum* n. 14. quo in loco probare videtur Heracliti Ephesii opinionem de duobus mundis, quorum unus sempiternus potitur, & a nemine conditus, alter caducus est, ac periens; ubi certum est, nomine mundi sempiterni, & increati fuisse ab Heraclito intellectam materiam, nomine vero alterius mundi caduci, & perituri hanc aspectabilem Universi formam vicissitudinibus, mutationibusque obnoxiam (*b*).

32. Resp., mirum plane esse, Athenagoram in suspicionem negatæ creationis ex nihilo vocari, cum in ipsa *Legatione pro Christianis* eamdem claris, rotundisque verbis asserat. *Non discernentes plerique*, ait, *quid materia sit, quid Deus, & quantum utrinque intervalli pateat, compactis materiæ simulacris accedunt. Nos vero discrimen facimus inter genitum, & ingenitum,* in-

cent. Moniglia Ord. Prædicator. in *Dissert. contra i Materialisti* Tomo I. Part. I. sez. 3. Multa in hanc rem egregia attulerunt quoque veteres Ecclesiæ Patres, & præcipue Tertullianus *contra Hermogenem, & contra Marcionem*, Theophylus Antiochenus in secundo Libro *ad Autolycum*, Dionysius Alexandrinus apud Eusebium Libro VII. *Præparat. Evangelicæ* cap. 19. & nonnulli alii. Nec prætereundum, quod Bælius (nomen apud nostros pseudo-philosophos illustre) nimia evidentia coactus confessus est, creationem ex nihilo adeo evidenter ostendi, ut sine absurditate negari non possit. In *Diction.* art. *Epicure* rem. T.

(*a*) Hinc recte S. Augustinus in Libro imperfecto *de Genesi ad litteram* cap. 1. Tomo III. inquiebat: *Deum fecisse, & creasse omnia, quæ sunt, & quantum sunt, catholica disciplina dici jubet, ita ut creatura omnis, sive intellectualis, sive corporalis, vel quod brevius dici potest secundum verba divinarum scripturarum, sive invisibilis, sive visibilis, non de Dei natura, sed a Deo sit facta de nihilo*. Ita magnus ille Ecclesiæ Doctor jamdiu Socinianorum, atque eorum similium tolerantiam explosit.

(*b*) Joann. Clericus Sanctorum Patrum minime amicus in sua prima *Epist. Critica*, quæ est ad Archic-

Inter ens, *& non ens &c.*, videlicet inter materiam *creatam*, & Deum increatum, inter Deum, qui est ens a se, & nihilum, unde facta sunt omnia. Ex quo solo testimonio cadunt omnes conjecturæ Beausobrianæ; atque luculenter apparet, in eo tantum positam esse comparationem figuli, ut quemadmodum artifex quicumque merito omnibus suis operibus longe præfertur, ita congruum sit, Deum omnibus creaturis longe antepoui, eumque solum adorari.

33. Quod si alicubi subobscurius loqui videtur, nec materiæ creationem apertissime confiteri, id facit, vel quia id ejus scopus minime poscebat; vel ut modo loquendi adversariorum, quos demulcere studebat, quoad fieri posset, se accommodaret. Nam ex hoc, quod Ethnici concedebant, Deum materiæ informi aspectabilem, & pulcherrimam hanc mundi faciem indidisse, efficax ducebat ille argumentum, Deum solum esse cultu nostro dignum, indigna autem eodem cultu esse quæcumque a Deo facta erant.

34. Clementis *Hypotyposes* ab hæreticis longe ante tempora Photii vitiatas, nemo est, qui ignoret. Nec Photius ipse id ignoravit, qui eodem in loco multa in iis contineri blasphema, atque absurda observat, ab eodem Clemente in aliis suis libris refutata. Præterea Eusebius materiæ increatæ impugnator acerrimus, dum in sua *Historia Eccl.* Lib. VI. cap. VI. cap. 11. *Hypotyposeon* Clementis mentionem cum laude facit, satis aperte significat, hujusmodi errorem in iis non extitisse. Aliqui putant, fuisse a Clemente creditam materiam æternam, creatam tamen a Deo: quæ sententia licet absurda, dogmati tamen Christiano de creatione rerum ex nihilo nullatenus opponitur.

35. Nullum autem nobis negotium facessit, quod Clemens in Lib. V. *Stromatum* Heracliti Ephesii errorem de materia increata non refellat; cum id ad ejus institutum minime pertineret; eo enim in loco sollicitus tantum erat, ut ostenderet, pleraque a Philosophis Ethnicis fuisse ex nostris sacris libris deprompta, ac inter alia futuram aliquando mundi restaurationem per ignem. Hoc autem ut probaret Clemens, attulit sententiam Heracliti duplicem mundum distinguentis; contentus autem ea parte, quæ vera est, scilicet mundum visibilem esse conflagrandum, alteram de materia increata refellere prætermisit. Plures alias veterum opiniones eodem loco sine ulla refutatione Clemens recitat, quas tamen certe non probavit, ut veras. Sic Zoroastrem duodecimo ab interitu die revixisse narrat ex Platone, cui profecto fidem non adhibuit, inde tamen conjicit, fuisse a Gentilibus resurrectionem corporum saltem indicatam. Sic supra attulerat illas Socratis preces: *O Pan*, *& Dii alii*, *date mihi*, *ut intus sim pulcher*, non profecto ad idololatriam confirmandam, sed ut probet etiam a Philosophis paganis virtutem fuisse reputatam veram animi pulchritudinem.

36. Ceterum & id addi debet, non tantam esse Clementis Alexandrini auctoritatem in Religionis negotio, quanta est aliorum veterum. Cassiodorus enim cap. 8. *Divin. Institutionum ipsum aliqua incaute locutum fuisse*, testatur, & Gelasius Papa in Synodo Romana ejus libros in apocryphorum classem rejecit (*a*).

37. Obiter hic castiganda venit Jo. Jac. Rousseavii temeritas, qui in sua illa procaci epistola ad Archiepiscopum Parisiensem scribere ausus est (pag. 55. not. 27.), Justinum martyrem, Origenem, *aliosque plures* Ecclesiæ Patres materiam increatam admisisse.

38. Sed qua fronte Genevensis hic pseudo-philosophus potuit id scribere de S. Justino, qui in *Cohortatione ad Græcos* n. 22. expresse dicit: *Solus* (Deus) *est*, *qui semper existat*, *nec factus sit?* Et num. 23. hanc ipsam erroneam opinionem materiæ increatæ, quam tribuit Platoni, hoc invicto ratiocinio refellit: *Materiæ vim*, *utpote ingenitam*, *&*, *ut ipse opinatur Plato*, *æqualem opifici*, *& coævam obluctari par est ipsius voluntati*; *ei enim*, *qui non creavit*, *nulla est in id*, *quod est increatum*, *potestas*, *unde nec vis ulla ei inferri potest*, *cum ab omni externa necessitate libera sit* (*b*).

39. Neque vero quis objiciat, S. Justinum *in Apologia* I. num. 59. putasse Platonem Moysi consentire in explicanda rerum genesi; certum autem esse, Platonem posuisse materiam æternam, & increatam.

40. Respondeo enim, non putasse Justinum perfectam esse Platonis cum Moyse consensionem, sed aliquam tantum, in eo scilicet, quod uterque dixerit, Deum ex materia informi mundum condidisse, non autem quod Moyses docuerit, materiam esse increatam, quemadmodum docuit Plato; quod numquam potuit Sancto Justino in mentem venire. Quamquam hic Sanct. Pater studio pertrahendi Gentiles ad Christianam religionem, omnia ex Ethnica Philosophia coacervavit, quæ po-

piscopum Cantuariensem, hanc calumniam admissæ materiæ increatæ Clementi Alexandrino appinxit. Ejus vestigia postea secuti sunt Voltairius, Rousseavius, aliique nostræ ætatis hypercritici.

(*a*) Videri merentur, quæ de Clemente Alexandrino scripsit sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. in *Litteris Apostolicis* ad Joan. V. Portugalliæ Regem præfixis novæ editioni Martyrologii Romani §. 19. & seq.

(*b*) Multo plura Sancti Justini testimonia in hanc rem afferri possent, si opus esset; ut illud, quod habet in *Dialogo cum Tryphone* n. 6. ubi inquit: *Solus Deus est*, *qui nec genitus sit*, *nec corruptioni obnoxius*, *ac propterea Deus est*; *reliqua vero omnia*, *quæ post eum sunt*, *genita*, *& corruptioni obnoxia*. De Justini, atque Athenagoræ mente quantum ad creationem materiæ, adi-sis doctissimum utriusque operum editorem D. Prudentium Maran in Præfat. Part. II. cap. 2.

poterant aliquo modo cum Christianis dogmatibus convenire. Neque omnino certum est a Platone fuisse creationem rerum ex nihilo ignoratam, vel negatam (*a*).

41. Quam falso etiam Origenes Hæreticis materiariis accenseatur a Rousseavio, vel ex solo cap. 3. Lib. I. *de principiis* liquido apparet; ibi enim totus est, ut nonnisi unum rerum omnium principium statuat, nempe Deum. Et Lib. II. cap. 1. jure miratur, Anaxagoram, Pythagoram, & Stoicos, summos alioquin Philosophos in eam amentiam fuisse delapsos, ut ingenitam, idest non ab ipso Deo omnium conditore factam materiam putaverint.

42. Nimis autem longum esset, de ceteris Patribus dicere, qui omnes uno consensu Marcionis, Hermogenis, Manichæorum, ceterorumque Dualistarum deliria, tamquam impiissimas blasphemias insectati sunt (*b*).

43. Obj. tertio. Quod fit ex nihilo, habet esse post non esse: aut ergo in eodem instanti, in quo antea non erat, accepit esse, aut in instanti subsequente; non in eodem instanti; alias verum esset, rem in eodem instanti esse & non esse: non in sequenti; cum enim inter illa duo instantia sit tempus medium, sequeretur, in tempore illo medio nec dici posse rem esse, utpote quia nondum est illud instans, in quo creata dicitur, neque rem non esse, cum illud postremum instans, in quo res non erat, jam præterierit: creatio igitur ex nihilo contradictionem involvit, adeoque &c.

44. Resp., hoc merum esse sophisma, quo, si aliquid valeret, probari etiam posset, res produci non posse naturali generatione. Illud tamen solvit egregie pro more suo acutissimus S. Thomas Qu. III. *de potentia* art. 1. ad 10. his verbis: „ Cum „ sit aliquid ex nihilo, esse quidem ejus, quod „ sit, est primo in aliquo instanti, non esse ante„ tem non est in illo instanti, nec in aliquo rea„ li, sed in aliquo imaginario tantum. Sicut e„ nim extra universum non est aliqua dimensio „ realis, sed imaginaria tantum, secundum quam „ possumus dicere, quod Deus potest aliquid fa„ cere extra universum, tantum, vel tantum di„ stans ab universo; ita aut principium mundi „ non fuit aliquod tempus reale, sed imaginarium; „ & in illo possibile est imaginari aliquod instans, „ in quo ultimo fuit non ens. Nec oportet, quod „ inter duo ista instantia sit tempus medium, cum „ tempus verum, & tempus imaginarium non „ continuentur. “

45. Inst. In rebus hujus mundi multæ inveniuntur imperfectiones, & una res est imperfectior altera: sed istarum imperfectionum Deus auctor esse non potest; superest igitur ut illæ originem trahant a materia, quæ a Deo non sit.

46. Resp. S. Thomas loco cit. ad 14., proprie loquendo hujusmodi defectus, qui in rebus inveniuntur majores, vel minores, non posse appellari „ imperfectiones: nam imperfectio designat „ carentiam alicujus, quod natum est haberi, „ vel debet haberi. Unde & in gloria quamvis „ unus Sanctorum alium excedat, nullus tamen „ imperfectus erit. Si tamen aliqua imperfectio „ in creaturis sit, non oportet, quod sit ex Deo, „ neque ex materia, sed inquantum creatura est „ ex nihilo (*c*).

47. Obj. quarto. Commune est Philosophorum proloquium, *essentias rerum esse æternas, improductas, atque a Deo independentes:* non ergo Deus eas ex nihilo creavit; adeoque &c.

48. Resp., id verum esse in sensu *logico*, & *ideali*, prout nempe essentiæ rerum important connexionem suorum prædicatorum essentialium, quæ connexio est æternæ veritatis, non autem id verum esse in sensu *reali*, nam istæ essentiæ, ut reipsa existerent, Dei creatrice manu indigebant, sine qua in possibilium infinito regno adhuc continerentur.

49. Obj. quinto. Torqueat se, quantum vult, humana ratio, nullam unquam poterit sibi ideam efformare creationis ex nihilo: immo hæc e diametro pugnat cum illo principio: *ex nihilo nihil fit*. Quamobrem nec in mentem venit alicujus ex Philosophis antiquis, quibus potius impossibilis videbatur, unde illud Ciceronis Lib. II. *de Divina-*

(*a*) Ea placet exscribere, quæ eruditissimus Daniel Huetius habet in Lib. II. *Quæstionum alnetanarum* initio c. 5. „ Plato suam de mundi ortu sententiam cum „ pluribus locis, sed præcipue in *Timeo*, & *Sophista* „ diserte expressam consignavit, hujusque opificii mo„ litionem palam ad Deum retulit: quodque diligenti „ observatione dignissimum est, Deum non ex æterna „ materia, sui coæquali, mundum compegisse ratus „ est, sed eduxisse ex nihilo, solaque sua voluntate „ ad id egisse. Idoneum testem damus Hieroclem in „ libello *de providentia*, & *fato*, cujus hæc verba „ sunt: *Hæc speculatio, juxta Platonem, Deum ipsum* „ *statuit omnis adspectabilis mundi opificem, quem e* „ *nulla re subjecta artifex eduxerit: cum propria ejus* „ *voluntas sufficiat, ut res existant*. Quæ mere Mosai„ ca sunt; uti & quæ de siderum procreatione disse„ ruit. Uterque enim, & Moses, & Plato, posita ea „ dixit in cælo, ad generationem, distinctionemque „ temporum ... Atque hæc Mosis, & Platonis consen„ sio acute ab Eusebio, & Augustino observata est. „ Itaque uno ore sententiam hanc adscribunt Platoni, „ non prisci solum Christiani scriptores, Justinus, „ Theophilus, Tertullianus, Minutius, Lactantius, „ aliique multi, sed Ethnici quoque “. Quod vir in doctrina Veterum apprime versatus demonstrare pergit.

(*b*) Qui plura de his desiderat, legere poterit elegantissimum non minus, quam doctissimum Religionis vindicem P. Antoninum Valsecchium *Dei fondamenti della Religione* Lib. III. cap. 3. num. 9.

(*c*) Difficultates autem, quas veteres, recentesque Manichæi objiciunt ex consideratione mali moralis, quod nonnisi a principio malo oriri autumant, invenientur solutæ in nostris Prælectionibus Tomo I. Dissert. II. *De Providentia*.

natione cap. 16. *Erit ne aliquid, quod ex nihilo oriatur, aut in nihilum occidat? Quis hoc Physicus dixit unquam?*

50. Resp., nullam quidem creationis ex nihilo ideam sensibilem, & phantasticam efformari posse, qualem in generationibus habemus, quæ ex præjacente subjecto fiunt; potest tamen facile intelligi, primam rerum omnium productionem factam esse ex nihilo cum ipsa ratio doceat, non posse in productione rerum in infinitum nos progredi, & propterea tandem perveniendum esse ad aliquam primam rerum productionem, quæ ex nihilo sit facta.

51. Illud autem commune principium, *ex nihilo nihil fit* verum est, si recte intelligatur, nempe nihil fieri ex nihilo, tanquam ex principio, vel subjecto; falsum est autem, si ea ratione intelligatur, qua Deus omnipotens effecit, ut ea, quæ ante non erant, inciperent esse.

52. Quod si Philosophi gentiles obtenebratum habentes intellectum id non viderunt (de qua tamen re acris est inter eruditos controversia), non propterea sequitur, id esse falsum: nam multa alia fuerunt ab ipsis ignorata, quæ ratio nostra revelationis lumine confortata postea feliciter adinvenit. Ceterum creationem lumine naturali cognosci posse, octo plane argumentis evincit perdoctus Bened. Peterius Lib. V. *de commem. principiis* cap. 7.

53. In eo etiam corrigenda est nostra imaginatio, quod nihilum concipimus, quasi terminum, vel extremum aliquod, perinde ac si creatio esset duorum extremorum nihili, & entis unio; ac proinde superanda esset distantia infinita inter nihilum, & ens. Hæc falsa imaginatio ex eo oritur, quod creationem concipimus, quasi mutationem rei de non esse ad esse, quod tamen falsum est; nam mutatio exigit aliquod subjectum transiens de uno termino ad alium. Creatio igitur melius explicatur exemplo temporis, puta cum de mane fit meridies, non quasi mane transeat in meridiem, aut fiat duorum extremorum unio, sed solum quia meridies succedit tempori matutino: ita etiam in creatione esse rei succedit nihilo.

54. Inst. Si Deus mundum, vel materiam ex nihilo creasset, vel id fecisset ab æterno, vel non ab æterno: primum certe falsum est, imo a plerisque impossibile reputatur, alterum etiam manifeste repugnat; si enim Deus mundum condidit non ab æterno, debemus fateri, decretum divinum creandi mundum tota æternitate ejusdem creationem præcessisse, in quo duo impossibilia inveniuntur: primum, quod in æternitate aliquid prius ponatur, aliud posterius, quod notioni æternitatis repugnat: secundum, quod tota æternitas pertransierit, antequam conderetur mundus.

55. Resp. primo, iisdem difficultatibus premi, qui fingunt, materiam informem extitisse a tota æternitate, ex ea autem postea, nescio quo modo, hanc pulcherrimam mundi formam prodiisse. Qui autem mundum, qualis nunc est, ab æterno semper fuisse comminiscuntur, multis aliis incommodis subsunt, ut seq. Cap. IV. ostendetur.

56. Ut autem propositæ difficultati satis fiat, omnino dicendum est, mundum non fuisse ab æterno creatum, & decretum creandi mundum in mente divina fuisse æternum, ut proinde ipsam creationem præcesserit, non tempore aliquo, quod in æternitate nullum est, sed quodam nostro concipiendi modo: nihil enim prohibet, quin nos in æternitate omnino simplici duo veluti puncta fingamus: alterum, quo Deus voluit creare mundum: alterum, quo reipsa illum creavit. Verius autem dicitur, Deum a tota æternitate decrevisse, ut mundus existeret, non tamen in ipsa æternitate, sed in tempore, vel potius una simul cum tempore. Ita pro modulo nostro.

57. Fatendum quidem est, has, & multas id genus difficultates numquam plene, atque evidenter enodari posse, quia nullam claram, distinctamque æternitatis notionem habemus: quamobrem S. Paulus ad Hebr. XI. 3. inquiebat: *Fide intelligimus aptata esse sæcula Verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent*. Hæc tamen obscuritas non impedit, quin creationem ex nihilo non modo possibilem, sed etiam reipsa factam esse credamus; cum solum modus, quo facta est, densissimis tenebris involvatur. Atque hic locum habet illud sapientissimum S. Augustini monitum Lib. II. *de Civitate Dei* cap. 15. Tom. VII. *Has argumentationes si ratio refutare non posset, fides irridere deberet* (a).

CAPUT III.

Solvuntur breviter nonnullæ quæstiones de rerum creatione.

58. Quæres primo, *an virtus creandi ex nihilo soli Deo competat?*

59. Resp., errasse in hac re multos priorum sæculorum hæreticos, Simonem, ejusque discipulum Menandrum, tum Saturninum, Basilidem, Carpocratem, Cerinthum, ac Valentinianos, qui mundum ab Angelis veluti a minoribus Diis conditum esse dixerunt. Illorum errorem refutarunt potissimum S. Irenæus Lib. II. *adv. hæreses* cap. 1. & 2., Sanctus Epiphanius *hæresi* XXII. & Theo-

(a) Inter multos, qui de creatione rerum ex nihilo scripserunt, legi meretur acuta juxta ac solida dissertatio Patris Vincent. Thomæ Moniglia Ord. Prædicator. contra Materialistas Tom. II. 8. Patavii 1750., tum Pater Benedictus Pererius *De communibus principiis*, atque in primis Sanctus Thomas Lib. II. *Contra Gentes* cap. 15. & seq.

Theodoretus Lib. V. *hæreticarum fabularum* cap. 4. Quidam autem pejus delirantes mundi fabricam Deo malo, vel principio malo adscribebant, ut Cerdo, Marcion, Manichæi, & Priscillianistæ, contra quos Concilium Bracarense I. celebratum circa annum 563. ita definivit: *Si quis dixerit, creationem universæ carnis non opificium esse Dei, sed malorum Angelorum, sicut Manichæus, & Priscillianus dixerunt, anathema sit.*

60. Facile autem prob. cum S. Thoma I. P. quæst. 45. art. 5., nullam creaturam esse posse causam, aut principalem, aut saltem instrumentalem creationis. Et prima pars ita ab Angelico invicte demonstratur: *Oportet universaliores effectus in universaliores, & priores causas reducere: inter omnes autem effectus universalissimum est ipsum esse, unde oportet, quod sit proprius effectus primæ & universalissimæ causæ, quæ est Deus ... Producere autem esse absolute, non inquantum est hoc vel tale, pertinet ad rationem creationis; unde manifestum est, quod creatio est propria actio Dei.*

61. Ulterius ad producendum aliquid ex nihilo requiritur virtus infinita; utpote quia res non extrahitur ex aliqua potentia, ut contingit in formis substantialibus, & accidentalibus, quæ educuntur ex potentia materiæ, in qua continebantur. Cum igitur constet, nullam creaturam capacem esse virtutis infinitæ, sequitur manifeste &c.

62. Hinc S. August. Lib. III. *de Trinitate* cap. 8. & 9. Tom. VIII. ostendit, neque malos Angelos, neque bonos esse posse alicujus rei creatores; & Lib. XI. *de Civit. Dei* c. 4. T. VII. *Exceptis*, inquit, *propheticis vocibus mundus ipse ordinatissima sua mobilitate, mutabilitate, & visibilium omnium pulcherrima specie quodammodo tacitus & factum se esse, & nonnisi a Deo ineffabiliter, atque invisibiliter magno, ineffabiliter, atque invisibiliter pulchro fieri se potuisse proclamat.*

63. Alteram autem partem ita probat Angelicus: *Causa secunda instrumentalis non participat actionem causæ superioris, nisi in quantum per aliquid sibi proprium dispositive operatur ad effectum principalis agentis ... Illud autem, quod est proprius effectus Dei creantis, est illud, quod præsupponitur omnibus aliis, scilicet esse absolute: Unde non potest aliquid operari dispositive & instrumentaliter ad hunc effectum, cum creatio non sit ex aliquo præsupposito, quod possit disponi per actionem instrumentaliter agentis.*

64. Contraria tamen sententia aliquos patronos habet, ut Petrum Lombardum in Lib. IV. *Sententiarum* Dist. 5., cujus opinionem, sicuti etiam quorumdam aliorum, refert S. Thomas in Comment. ibidem Quæst. I. art. 1. Solut. 3. ad 4. Si quis autem de his rebus plura desiderat, adeat Scholasticos, præcipue Guill. Estium in Lib. III. *Sententiarum* Dist. I. §. 4. & 5.

65. Quæres secundo, *an opus creationis sit toti Sanctissimæ Trinitati commune?*

66. Respondet S. Thomas affirmative I. P. qu. 45. art. 6., cujus ratio est, *quia creare convenit Deo secundum suum esse, quod est ejus essentia, quæ est communis tribus Personis.* Id etiam definitum fuit in Concilio Lateranensi IV. ut supra innuimus num. 25.

67. Monet tamen Angelicus ibidem, „ divinas „ Personas secundum rationem suæ Processionis „ habere causalitatem respectu creationis rerum. „ Deus enim est causa rerum per suum intelle„ ctum, & voluntatem ... Unde Deus Pater ope„ ratus est creaturam per suum Verbum, quod „ est Filius, & per suum amorem, qui est Spi„ ritus sanctus. “ Et insuper in resp. ad 2. observat, „ quod sicut natura divina, licet sit com„ munis tribus Personis, ordine tamen quodam „ eis convenit, inquantum Filius accipit naturam „ divinam a Patre, & Spiritus S. ab utroque, „ ita etiam virtus creandi licet sit communis tri„ bus personis, ordine tamen quodam eis conve„ nit. Nam Filius habet eam a Patre, & Spiri„ tus sanctus ab utroque. Unde creatorem esse „ attribuitur Patri, ut ei, qui non habet virtu„ tem creandi ab alio. De Filio autem dicitur: „ per quem omnia facta sunt, inquantum habet „ eamdem virtutem, sed ab alio; nam præ„ positio *per* solet denotare causam mediam, sive „ principium de principio. Sed Spiritui sancto, „ qui habet eamdem virtutem ab utroque, attri„ buitur, quod dominando gubernet, & vivificet, „ quæ sunt creata a Patre per Filium.

68. Quæres tertio, *an rerum creatio descripta a Moyse intelligenda sit in sensu figurato, & mystico?*

69. Resp., fuisse hunc unum ex erroribus, quos in Origene merito reprehendebat S. Epiphanius, cum in Lib. *de Hæresibus* num. 64., tum multo acrius in *Ancorato*, quod videlicet totam Mosaicam historiam de mundi genesi ad sensum spiritualem, & mysticum referret. Vetitum tamen non est, ubi gravia adsint fundamenta, vel ex aliis S. Scripturæ locis, vel etiam ex perspicua ratione, quædam ibi exposita figurato sensu intelligere, in quo plerique Sanct. Patrum exemplo suo viam nobis monstrarunt.

70. Sic licuit S. Augustino distinctam sex dierum enumerationem a Moyse factam figurate explicare de distincta solum operationum, & operum natura, vel de distincta Angelorum cognitione, de qua S. Augustini opinione aliquid postea dicimus. Licuit aliis *principii* nomine, quo Moyses usus est, Verbum divinum intelligere. Ita Tertullianus *contra Praxeam* cap. 5., S. Basilius Hom. I. *in Genesim*, S. Ambrosius Lib. I. *Hexaemeron*, S. August. Lib. XI. *Confessionum* cap. 9. & 10., & alibi sæpe, S. Hieron. initio *Traditionum Hebraicarum in Genesim*, & S. Thomas I. P. qu. 46. art. 3. Ac demum, ut plura

ra alia omittam exempla, non desunt doctissimi viri, qui per lucem, quam a Deo conditam dicit Moyses die prima, mystice intelligunt Angelos. Ita inter alios S. August. *de Genesi ad litt.* c. 17., quamquam bene multi nobiles interpretes lucem corpoream iis verbis expressam fuisse censent. Non itaque vetitum omnino est ad mysticum, & ad figuratum sensum verba Mosaica aliquando transferre. Sed cavendum est, ne id temere, & inconsiderate fiat.

CAPUT IV.

Ostenditur, mundum non fuisse creatum ab æterno.

71. Id autem ostenditur primo ex Sacris Litteris, quæ multis, & luculentissimis testimoniis id nos docent. Nam Geneseos I. Moyses mundi creationem describens, eam factam fuisse dicit spatio sex dierum, quod cum ejus æternitate cohærere non potest. Quod iterum repetitur Exodi XX. 11. Præterea Prov. VIII. 22. inquit æterna Sapientia: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio*; & iterum vers. 26. *Adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines Orbis terræ; quando præparabat cælos, aderam*. Ps. CI. 26. *Initio tu Domine terram fundasti*. Christus etiam apud Jo. XVII. 5. in Patrem orabat: *Clarifica me, tu Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te*. Et Paulus Apostolus ad Ephesios I. 4. dicit, nos electos fuisse in Christo *ante mundi constitutionem*; ac nimium prolixi essemus, si omnia testimonia huc spectantia coacervare vellemus.

72. His animadversis S. Thomas I. P. q. 46. art. 2., & quæst. 61. art. 2. indubitate asserit, *articulum fidei esse*, mundum non semper extitisse, sed cœpisse initio temporis; quod etiam definivit Synodus IV. Lateranensis his verbis: *Deus sua omnipotenti virtute ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam &c.* Vide supra n. 25.

73. Et quidem hæc sententia adeo semper communis fuit inter Christianos, ut vel ipsi hæretici, qui materiam æternam, & improductam commenti sunt (supra num. 5. & seq.), mundi tamen conformationem fuisse in tempore, vel potius una simul cum tempore factum, ferme omnes confiterentur. Solum inter Ethnicos Philosophos inventi sunt qui absurdam hanc de mundi æternitate opinionem tuerentur (*a*).

74. Quanquam vero hæc omnia divinarum Scripturarum loca de mundi hujus, qualis nunc est, initio intelligi posse videntur, dubitandum tamen non est, materiam quoque, ex qua formatus est mundus, fuisse creatam initio temporis, non autem a tota æternitate præextitisse. Primo enim id significari videtur initio Geneseos, ubi dicitur: *In principio creavit Deus cœlum, & terram; terra autem erat inanis, & vacua*; quibus, ut supra observavimus, luculenter significatur, prius a Deo fuisse creatam materiam informem, deinde pulcherrimam hujus mundi faciem efformatam. Ulterius non apparet, cur Deus voluerit ab æterno creare materiam, ut ex illa postea initio temporis mundum formaret. Denique pondus hac etiam in re, auctoritatemque habere debet veterum Patrum sententia, qui nomine cœli, & terræ rudem, indigestamque materiæ molem intelligunt. Audiatur nomine omnium S. Augustinus in Lib. I. *de Genesi contra Manichæum* Tom. I. ubi ait: *Prima materia facta est confusa, & informis, unde omnia fierent, quæ distincta, atque formata sunt, quod credo a Græcis chaos appellari*. Id autem frequenter S. Doctor in suis operibus repetit.

75. Aliam tamen etiam sententiam nonnunquam S. Pater adoptavit, eodem scilicet tempore & ma-

te-

(*a*) Hujus erroris accensantur a Censorino in suo tractatu *De die natali* Pythagoras Samius, Ocellus Lucanus, & Architas Tarentinus, Plato item, Xenocrates, & Dicæarchus Messanensis. Potissimum autem hic error tribuitur Aristoteli in Lib. *De cælo*, tum etiam in *Physicis*, & *Metaphysicis*; qua de re videri possunt Ben. Pererius in *Physicis Instit.* & Clarckius *De exist. Dei* Part. I. cap. 4. Observat tamen S. Thomas I. P. qu. 46. art. 1. Aristotelem habuisse hanc opinionem de mundi æternitate solum ut probabilem, non autem utundequaque certam; nam in Lib. I. *Topicorum* c. 9. dicit, quædam esse *problemata dialectica*, de quibus non habemus rationes, sicuti utrum mundus sit æternus. Hanc erroneam opinionem, quæ potissimum apud Græcos obtinuit, nervose refutat Procopius Gazæus in suis *Comment. ad Genesim* cap. 1. Dignus est etiam, qui legatur, noster Vener. P. Moneta Lib. V. advers. Catharos, & Vald. cap. 12. edit. Rom. 1743. in fol. a P. Th. Aug. Ricchinio curatæ.

Philosophi, qui mundi æternitatem adoptabant, eas postea excitarunt quæstiones, an ova præcesserint aves, vel contra prius aves fuerint, quæ ova genuerint: an dies fuerit posterior nocte, vel prior, & ita quasi in labyrintho errantes nugabantur.

Accusatur quidem inter Christianos Origenes ejusdem erroris a Methodio Martyre apud Photium in *Bibliotheca* cod. 235., & a Justiniano Imperatore in *Tract. adv. Origenis errores*. Verumtamen, ut apparet ex ejus Lib. III. *de principiis* c. 5. Origenes potius volebat, innumerabiles mundos fuisse ante hunc nostrum, & innumerabiles etiam post futuros. Consul. Huetius in *Origenianis* Lib. II. qu. 5. num. 1. & qu. 12.

Inter recentiorum pseudo-philosophorum portenta hoc etiam invenitur ex extinctis veterum cineribus exsuscitatum; præcipue autem in quodam Libro, cui titulus *l' eternité du monde*, qui Boullangero tribuitur, aliorum id genus impiorum operum auctori.

Ceterum novitatem hujus nostri mundi plures etiam Ethnici Philosophi cognoverunt, qui postea eo devolvebantur, ut diversas fingerent revolutiones, quibus sæpius fuerit renovatus. Legatur, si lubet, Macrobius *de somnio Scipionis* cap. 10. Lib. II.

teriam & formam hujus mundi creatam fuisse, ut nulla alia sit inter utramque prioritas, quam originis, & naturæ. Ita in Lib. I. *de Genesi ad litt.* cap. 15. Tomo III. docet, *utrumque fuisse simul concreatum & unde factum est*, (scilicet materiam), *& quod factum est*, (nempe mundum); quod explicat exemplo verborum, quæ simul cum voce proferuntur, ita tamen ut vox origine præcedat verba, quæ ex voce formantur. Utraque sententia probat, materiam non minus, quam mundum ipsum fuisse initio temporis, seu cum tempore creatam; de qua re copiose tractat S. Thomas I. P. quæst. 66. art. 1. & seq.

76. Obj. primo contra hanc fidei veritatem. Mundus ab æterno erat *in potentia ad esse*; sed quod est in potentia ad esse, dicitur materia; ergo materia erat ab æterno; & cum hæc sine forma esse non possit, etiam &c.

77. Respondet S. Thomas I. P. quæst. 46. art. 1. ad 1., *mundum fuisse ab æterno possibilem, non secundum potentiam passivam, quæ est materia, sed secundum potentiam activam Dei*, qui ipsum ex nihilo extrahere poterat. Observat etiam Angelicus, mundum fuisse possibilem, antequam crearetur, *ex sola habitudine terminorum, qui sibi non repugnant, secundum quod possibile opponitur impossibili*.

78. Dices. Materia est *ingenita*, & *incorruptibilis*. Ergo saltem ista fuit æterna.

79. Resp., materiam dici *ingenitam*, non quasi sit a se, aut nunquam inceperit esse, sed quia non est facta per generationem, ut fiunt *mixta*. Sic etiam dicitur *incorruptibilis*, quia non subest vicissitudinibus formarum, quæ generantur, & corrumpuntur; non autem quasi non possit ab infinita virtute Dei in nihilum redigi. Eademque ratione cœlum dici solet a Philosophis *ingenitum*, & *incorruptibile*, non quasi a Deo factum non fuerit, aut non possit a suo Creatore destrui: unde etiam Christus Dominus dicebat Matth. V. 18. *donec transeat cœlum, & terra*, & cap. XXIV. 35.: *cœlum, & terra transibunt*.

80. Objic. 2. Vel Deus voluit ab æterno creare mundum, & non potuit, vel potuit, & noluit, vel nec voluit, nec potuit. Si primum, vel tertium dicatur, Deus non est omnipotens. Si secundum, Deus est invidus: quæ cum sint absurda, sequitur, Deum potuisse, & voluisse mundum ab æterno creare, & reipsa creasse.

81. Resp. Quæstionem esse apud Theologos nondum plene definitam, an Deus potuerit hunc mundum, qualis nunc est, ab æterno creare, de qua nos infra pauca dicemus. Sed etiamsi potuisset, certe noluit; quod nobis ea momenta persuadent, quæ superius attulimus. Nullo autem modo propterea invidiæ accusandus est, si noluit; neque enim propter nos, sed propter seipsum creavit Dominus mundum; eumque creavit, quando infinita ejus sapientia id expedire judicavit. *Deus*, inquit S. Thomas q. 3. *de potentia* art. 17. ad 7., *de necessitate vult suam bonitatem, & omne id, sine quo sua bonitas esse non potest; tale autem non est creaturarum productio* (a).

82. Obj. tertio. Posita causa sufficiente ponitur effectus; sed Deus est causa sufficiens effectiva mundi propter suam omnipotentiam; est etiam causa finalis ratione suæ bonitatis; ac demum causa exemplaris ratione suæ sapientiæ: Ergo quemadmodum Deus est ab æterno, ita & mundus (b).

83. Resp. cum S. Thoma laud. quæst. 46. I. P. art. 1. ad. 9., majorem propositionem esse veram de causa, quæ necessario agit; non autem de causa libera, quæ agit per voluntatem, cujusmodi est Deus, qui ab æterno quidem voluit creare mundum, cum omnia decreta Dei sint æterna; simul tamen voluit, ut mundus existeret non ab æterno, sed una cum tempore.

84. Inst.. Actio, qua Deus mundum creavit, est æterna, cum sit ipsius substantia, & cum Deus ab æterno fuerit in actu creandi. Ergo etiam effectus debuit esse æternus. Id ipsum confirmatur ex eo, quod Deum conciperemus, quasi otiosum, antequam mundum conderet, & gubernaret (c). Ac deinum intelligi non potest, cur Deus tam sero, & non prius manum operi tam præclaro admoverit.

85. Resp. cum S. Thoma ibidem ad 10., ab agentibus liberis effectum produci, qualem & quo tempore agens illum producere voluit. Actio itaque Dei, seu decretum ejus voluntatis creandi mundum fuit ab æterno; sed tale fuit, ut mundus existeret eo modo, & eo, ut ita dicam, puncto temporis, quo voluit.

86. Altera difficultas primo innititur falsæ suppositioni, quasi tempus jam esset, antequam crearetur mundus: cum potius simul cum mundo inceperit etiam tempus; ut enim inquit S. Augustinus Libro I. *de Genesi contra Manichæos* cap. 2.,

(a) Observat insuper S. Thomas cit. loco q. 3. *potentia* ad 8., convenientius fuisse, ad ostensionem divinæ Omnipotentiæ Creaturas non produci ab æterno; *quia in hoc manifeste apparet, quod ab alio sint eductæ in esse, & quod creatura omnino divinæ subjacent voluntati*. Plura in hanc rem invenientur apud S. August. Lib. XII. *de civitate Dei* cap. 12. Tom. VII.

(b) Hoc potissimum argumento se triumphare putant recentiores æternitatis mundi defensores, ut apparet ex impiis eorum libris *Dieu, & les hommes*. *Questions sur l'Encyclopedie* verbo *Eternité*; *De la nature*, aliisque ejusdem furfuris.

(c) Hanc objectionem refert Origenes Lib. III. *de Principiis* cap. 5. n. 3., cui ille ex præjudicata sua opinione respondet, *quod non tunc primum, cum visibilem istum mundum fecit Deus, cœperit operari; sed sicut post corruptionem hujus erit alius mundus, ita & antequam hic esset, fuisse alios credimus &c.*

2., *ante principium temporis non erat tempus. Deus enim fecit & tempora; & ideo antequam faceret tempora, non erant tempora.* Sed quomodocumque id intelligatur, Deus erat, est, & erit in sua æternitate nunquam otiosus, sed intelligens & amans se ipsum, ac in seipso plene beatus.

87. Postremam difficultatem ita diluit Arnobius Lib. I. *adv. Gentes*. *In infinitis perpetuis sæculis nihil omnino dicendum est serum. Ubi enim finis, & initium nullum est, nihil præmaturum est, nihil tardum.* Quamvis etiamsi conciperemus æternitatem instar temporis infiniti, in quo infinita esset momentorum successio, facile posset responderi, Deum eo tempore creasse mundum, quo voluit; quare autem ita voluerit, penes ipsum esse (*a*).

88. Eademque ratione solvitur similis difficultas, qua aliquibus videtur Deus immutatus, si mundum ab æterno non creavit; quasi factus fuerit Creator, & Dominus, cum antea non esset. Et quidem si S. Methodio fides est apud Photium in *Biblioth.* cod. 235., Origenes inde motus est, ut mundum ab æterno fuisse statueret, quia nec Creator, nec Dominus ab æterno fuisset, ac proinde mutatus. Hæc difficultas inde oritur, quod Deum creantem nobis fingimus eo modo, quo artifex manum operi admovet. At vero Deus mundum creavit actu suæ voluntatis, quo ab æterno voluit, & decrevit, ut mundus initio temporis, seu cum tempore esset. *Dixit, & facta sunt; mandavit, & creata sunt.* Ut sic tota mutatio sit in mundo, qui cum antea non esset, esse cœpit, non autem in Deo, qui idem semper fuit, & permansit. Methodius autem Origenem refellens plura adducit, ut evincat, Deum, etiam antequam existeret mundus, fuisse undequaque perfectum, ut nulla potuerit ipsi fieri perfectionis accessio; ut proinde & Creator, & Dominus, & Omnipotens semper fuerit, etiam antequam istæ res mutabiles existerent, in quas dominium suum exerceret.

89. Inst. Cum Deo nihil possit de novo accedere, quemadmodum modo est Dominus supremus, sic debuit Dominus ab æterno esse. Ergo etiam ab æterno fuit mundus, in quo suum dominium exerceret.

90. Respondet S. Thomas q. 3. *de potentia* art. 17. ad 21.: *Si relatio dominii intelligatur consequi actionem, qua Deus actualiter creaturas gubernat, sic non est ab æterno Dominus. Si autem intelligatur consequi ipsam potestatem gubernandi, sic competit ei ab æterno; nec tamen oportet creaturas ab æterno ponere, nisi in potentia* (*b*).

91. Obj. quarto. Si mundus semper non fuit, sed hoc secundum involvit contradictionem; sequeretur enim, tempus *aliquando* non fuisse; illud autem *aliquando* significat tempus; itaque aliquo tempore non fuisset tempus, quod repugnat.

92. Resp., illo adverbio *aliquando* non significari tempus *reale*, sed *imaginarium*, atque hæc res melius explicatur negatione, dicendo: *tempus non fuit ab æterno*.

93. Postremo loco objiciuntur ea verba Ecclesiastici I. 10.: *nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere: ecce hoc recens est; jam præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos.* Videtur hic Ecclesiastes innuere alias revolutiones mundi numero infinitas jam præcessisse, ut proinde nulla sit prima ipsius origo (*c*).

94. Resp., sacri illius textus hunc esse sensum,

(*a*) Contra has, & similes argutias dignus est, qui legatur S. Augustinus Lib. XI. *Confessionum* cap. 10. & seq., ubi inter alia hæc habet: *Respondeo dicenti, quid faciebat Deus, antequam faceret cœlum, & terram? Respondeo, non illud, quod quidam respondisse perhibetur, joculariter eludens quæstionis violentiam: alta, inquit, scrutantibus gehennas parabat .... Libentius responderim; nescio, quod nescio, quam illud, unde irridetur, qui alta interrogavit, & laudatur, qui falsa respondit* &c.

(*b*) Responsionem S. Thomæ carpere ausus est Theoph. Raynaudus in *Theologia naturali* Distinct. VII. quæst. 1. art. 5. num. 74., sed immerito; est enim e veteribus Patribus desumpta. Nam Tertullianus in Libro contra *Hermogenem* hanc ipsam difficultatem expediens, inquiebat cap. 3.: *Dei nomen dicimus semper fuisse apud semetipsum, & in semetipso; Dominus vero non semper; diversa enim utriusque conditio. Deus substantiæ ipsius nomen, idest Divinitatis; Dominus vero non substantiæ, sed potestatis .... Nam ex quo esse cœperunt, in quæ potestas Dei ageret, ex illo per accessionem potestatis est factus & Dominus* &c. S. Augustinus in fine Libri V. *de Trinitate* Tom. VIII. omnino affirmat, appellationem *Domini* relativam esse ad creaturas, & propterea in Deo non esse sempiternam; ne cogamur etiam creaturam dicere sempiternam; & cum plura hac de re disputasset, demum concludit, ut *quamvis Deus temporaliter incipiat dici Dominus, non tamen illi substantiæ Dei accidisse aliquid intelligimus, sed illi creaturæ, ad quam dicitur;* quod nonnullis exemplis S. Doctor illustrat. Eadem responsio adhibita fuit a Card. Nicolao Cusano in Libro *de docta ignorantia* cap. 24.; quemadmodum ostendit Petavius Lib. III. *de Deo* cap. 2. num. 9, ubi etiam observat, communi usu loquendi vocari architectos, & pictores, qui hujusmodi artes exercere valent, etsi non exercent.

(*c*) Quidam inter Judæos putarunt, fuisse alium mundum hoc priorem; idque inepte colligebant ex littera ב *beth*, qua Moyses hujus mundi genesim exorsus est, quæque est Alphabeti hebraici secunda. Fabulabantur insuper, post hunc mundum alios futuros sine fine, semper tamen minoris perfectionis: & unicuique durationem septem mille annorum assignabant. R. Maimonides in *More Nevochim* P. II. cap. 30. opinionem refert quorumdam Rabbinorum, qui plures jam mundos præcessisse, multosque alios successuros putabant.

Longum autem esset dicere de veterum Philosophorum hac in parte erroribus. Stoici quasi periodos quasdam mundorum, qui destruebantur, & reficiebantur,

sum, eadem fere in hoc mundo evenire cum illis, quæ jam fuere, non in mundo aliquo præcedenti, sed in hoc ipso nostro, quod maxime apparet in naturali rerum generatione; eædem enim renascuntur species animantium, vegetabilium &c. In ordine etiam morali non magna est diversitas, saltem quantum ad plurima, cum eadem fere appetant homines, vel fugiant, iisdemque propemodum utantur mediis ad suos fines consequendos. Hujusmodi explicatio consonat sacro textui; versu enim præcedenti dictum fuerat: *Quid est, quid fuit? ipsum, quod factum est. Quid est, quod factum est? ipsum quod faciendum est*. Ita etiam hunc locum exponit S. Augustinus Lib. XII. *de Civitate Dei* cap. 13. atque addit: *Quamvis hæc verba quidam sic intellexerint, tanquam in prædestinatione Dei jam facta fuisse omnia, sapiens ille voluisset intelligi, & ideo nihil recens sub sole* (*a*).

95. Quæres, *an mundus potuerit ab æterno creari?*

96. Resp. Cum omnes orthodoxi plane consentiant, mundi creationem non esse ab æterno, dissentiunt postea inter se, ubi quæritur, an saltem potuerit mundus ab æterno creari. Aliqui, ut Gregorius Arimin., affirmantem sententiam libere tuentur, cum nulla, ut ipsis videtur, appareat in hoc repugnantia. Hanc sententiam adoptavit non ita pridem P. Salvator Maria Roselli in *Summa Philosophica* secunda secundæ partis quæst. 1. art. 6.

97. Secundo. Alii excipiunt animas rationales; quia cum istæ sint immortales, sequeretur modo existere infinitas numero; quod fieri non posse demonstratur ex doctrina Sancti Thomæ I. P. quæst. 7. art. 4., ubi probat, *impossibile esse multitudinem infinitam in actu*. Qua in re alii etiam Theologi fere consentiunt.

98. Tertia sententia est eorum, qui concedunt mundum ab æterno creari potuisse, quantum ad res permanentes, non autem quantum ad eas, quæ motu, & successione generantur, quia tunc generatio præsens alicujus rei dependeret ab infinitis generationibus præcedentibus, quas præteriisse necesse foret, cum tamen infinitum præterire omnino non possit, ut bene advertit Angelicus mox laudatus.

99. Dominicus Soto quartam opinionem invenit in quæst. 2. super Lib. VIII. *Physicorum*, putans solas creaturas incorruptibiles, cujusmodi sunt Angeli, animæ rationales, & corpora cœlestia esse potuisse ab æterno, non autem cetera entia.

100. Quinto alii dixerunt, mundum potuisse ab æterno creari, sed immutatis rerum proprietatibus, & in alio ordine, ab eo, qui nunc est, prorsus diverso.

101. Postrema, & communior sententia est, nihil omnino potuisse æternum esse præter Deum. Hanc sententiam adoptasse etiam videntur nonnulli Ecclesiæ Patres Sæc. IV., qui contra Arianos probabant, Verbum esse verum Deum Patri consubstantialem, quia semper fuit. Unde etiam Synodus Nicæna ita contra Arianos colligebat: *Quicumque dicit, Filium esse creaturam, dicit eum cæpisse* (*b*).

102. S. Thomas I. P. quæst. 46. art. 1. hanc quæstionem ita absolute resolvit: *Respondeo, dicendum, quod nihil potest præter Deum ab æterno fuisse* (*c*); quibus verbis mundi æternitatem possibilem esse, apertissime negatur. Hinc Estius, & Sylvius nobilissimi S. Thomæ interpretes colligunt, S. Doctorem ea retractasse, quæ de possibili mundi æternitate junior docuerat tum in opusculo *de æternitate mundi*, tum in q. 3. *de potentia* art. 14.

103. Obstare tamen videtur, quod artic. 2. laud. q. 46. aperte dicat, & probet, *mundum incepisse, esse tantum credibile, non autem demonstrabile, vel scibile*. Imo rationes eorum solvit, qui evincere nisi sunt, mundum non potuisse ab æterno creari.

104. Memorati mox Estius, & Sylvius putarunt, ibi S. Doctorem exponere, non tam quid ipse, quam quid alii de hoc problemate sentiant, præcipue cum quæst. præcedenti art. 3. ad 3. expresse dicat, creationem importare habitudinem creaturæ ad creatorem cum quadam novitate, seu inceptione, quæ certe novitas, & inceptio in æternitate intelligi non potest. Verum de hac quæstio-

effinxerunt. Mirum est, etiam Origenem commentitiæ huic fabulæ subscripsisse, ut supra innuimus, de quo propterea ita S. Hieronymus scribit in epist. 124. ad Avitum c. 9. *Mundos asserit innumerabiles, non juxta Epicurum uno tempore plurimos, & sui similes, sed post alterius mundi finem alterius esse principium &c.... Cum hæc dicat, nonne manifestissime gentium sequitur errorem, & Philosophorum deliramenta simplicitati ingerit Christianæ?* Eamdem fabulam nonnulli recentiores pseudo-philosophi recudere conati sunt.

(*a*) Multas alias veterum argutias a recentioribus rursum productas suppeditabit S. Thomas, cum in laud. sæpius art. I. P., tum in Lib. II. *contra gentes*, cap. 32., & duobus seq., tum etiam in quæst. 3. *de potentia* art. 17. ac demum in Lib. II. *Sentent.* Dist. I. quæst. 1. art. 5. Addi potest Ben. Pererius Lib. XV. *de commun. principiis*.

(*b*) S. Athanasius Orat. I. *Contra Arianos* n. 29. probat, *res factas æternas esse non potuisse, etiamsi eas semper potuerit facere Deus. Illa enim ex nihilo sunt, nec erant, antequam fierent. Quæ autem non erant, antequam fierent, quomodo simul cum Deo, qui semper est possint existere?*

(*c*) Editiones autem *Summæ* S. Thomæ Duaci factæ ita habent: *Resp. dicendum, quod nihil oportet præter Deum ab æterno fuisse*. Plurimi tamen S. Thomæ interpretes, ut Cajetanus, Seraph. Capponi, Raph. Ripa, Gab. Vasquez, & Paulus Nazarius constanter legerunt: *nihil potest* etc.

stione consulantur, si lubet, ipse S. Thom. in locis supra indicatis, & Scholastici, ac præterea Ven. noster P. Moneta Lib. V. *adv. Catharos, & Valdenses* cap. 11. §. 5., P. Th. Vinc. Moniglia *Dissert. contro i Materialisti, ed increduli*. P. I. Ses. 2. §. 7. & seq., ac Dion. Petavius Lib. III. *de Deo* cap. 6.

105. Quæres secundo, *an distinctio sex dierum a Moyse facta in creatione mundi debeat litteraliter intelligi?*

106. Communis fere olim erat Interpretum sententia, reipsa sex distinctis diebus fuisse Universi hujus creationem perfectam. Sed Sanctus Augustinus, qui merito inter Doctores Ecclesiæ aquilæ comparari solet, altius assurgens, postquam diu multumque hac de re cogitasset, aliam Mosaicæ narrationis expositionem nobis tradidit; videlicet omnia fuisse simul a Deo creata, distinctionem vero dierum a Moyse propositam esse in sensu allegorico accipiendam, idque duplici ratione: primo ut per distinctionem dierum nihil aliud designetur, quam distinctio operum suapte natura inter se diversorum. Secundo ut illa distinctio dierum referatur ad Angelos, qui distinctam rerum creatarum habuerunt cognitionem. Et quia Moyses singulis diebus assignat *mane & vespere*, ideo S. Doctor duplicem posuit Angelorum cognitionem, quæ postea celebris in scholis facta est, & usitata; scilicet *vespertinam*, eamque obscuram, qua Angeli res factas immediate per earum species sibi inditas naturali modo cognoscunt; aliam *matutinam*, idest clariorem; qua easdem res in Divino Verbo per lumen gloriæ vident. Hæc S. Augustinus pluribus in locis exposuit, præcipue vero in Libris IV. V. & VI. *de Genesi ad litteram*, item Lib. XII. *de Civit. Dei* cap. 7., 9., 30., & 31.

107. Hæc sententia, saltem quantum attinet ad simultaneam rerum omnium creationem, tradita jam fuerat a Philone Lib. I. *Allegoriarum*, ubi *rusticanæ*, inquit, *simplicitatis esse, putare, sex diebus, aut utique certo tempore mundum conditum*. Origenes etiam eamdem sæpius insinuaverat Lib. I. *de principiis* cap. 2. & Libro VI. *contra Celsum*, & alibi; nec paucos post S. Augustinum invenit patronos, atque inter alios Albertum magnum l. P. *Summæ* q. 12. *de quatuor coævis*, & S. Bonaventuram in Libro II. *Sentent.* distinct. 15. art. 1. (*a*). Imo ipse S. Thomas in eam inclinavit in Lib. II. *Sentent.* dist. 12. q. 1. art. 2., & alibi, quamvis postea in *Summa theol.* q. 74. art. 2. se se ancipitem ostendat, & quæstionem indefinitam relinquat.

108. Multo tamen plures in hac re ab Augustino discedunt, tam ex antiquis Patribus qui post ejus mortem floruerunt, quam ex recentioribus Theologis, quorum aliqui intemperantem censuram in S. Doctorem exercentes ab illius vindice Card. Norisio merito castigati sunt in *Vindiciis Augustin.* cap. 4. §. 9. (*b*).

CAPUT V.

De Mundi perfectione.

109. Moyses totum mundi opificium his verbis conclusit Genes. I. vers. ult. *Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, quam Divini Opificis approbationem Moyses memoraverat in singulis fere sex dierum operibus. Id ipsum non semel repetitur in aliis locis sacrarum Scripturarum; ut in Psalmo CII. 24. dicitur Deo: *Omnia in sapientia fecisti*, & S. Paulus in prima epist. ad Timotheum IV. 4. inquit: *Omnis creatura Dei bona est*. Ex quibus stultissima Manichæorum, & Priscillianistarum hæresis refellitur, qui creaturas esse malas, & a Deo malo conditas impie blasphemabant; & qui propterea fuerunt non semel merito ab Ecclesia proscripti. In ea impietate profliganda multi S. Patres utilissimam operam navarunt; præcipue autem S. Augustinus, cujus etiam sunt pulchra illa Carmina Lib. XV. *de Civit. Dei* cap. 22. ita Deum alloquentis: *Hæc tua sunt; bona sunt, quia tu bonus ista creasti. Nihil nostrum est in eis, nisi quod peccamus amantes, ordine neglecto pro te, quod conditur abs te*.

110. Agit de hac rerum creatarum bonitate etiam S. Hieronymus in epist. XLVIII., alias L. ad Pammachium num. 14., ubi sibi objicit illud Ecclesiastes l. 2. *Vanitas vanitatum, omnia vanitas*. Ita vero respondet: *Quæ per se bona sunt, & a bono creatore condita ad comparationem meliorum vanitas appellantur; verbi gratia lucerna lampadis comparatione pro nihilo est: lampas stellæ comparatione non lucet: Stellam Lunæ confer, cæca est: Lunam Soli junge, non rutilat: Solem Christo confer, & tenebræ sunt. Ego sum, inquit, qui sum. Exodi III. 14. Omnem igitur creaturam si Deo contuleris, non subsistit*.

111. Ex quo autem Deus bonus mundum bonum creaverit, non sequitur, nulla in mundo esse

(*a*) Addi possunt Ægidius Romanus, Dionysius Carthusianus, Card. Cajetanus in *Comment.* ad caput 1. Geneseos, Emman. Cerda in suis *Quodlibetis theol.*, Card. Moreau in *Vindiciis pacificis*, Hyac. Serry de *mundi opificio*, aliique.

(*b*) Ferri nullo modo potest sententia Thomæ Burneti, & Detlevi Cluverii, quorum alter in *Archæologia*, alter in *Geologia Sacra* annorum plane distinctionem in rerum creatione posuerunt: quam paradoxam opinionem Melchior Leydekkerus confutavit in *Archæologia Sacra*. Prodiit etiam Amstelod. anno 1694. liber anonymus inscriptus *Moses vindicatus &c. adv. Th. Burnetii Archæologias philosophicas*.

se mala; nam primo est in omnibus creaturis malum metaphysicum, sive imperfectio, quæ oritur ex earumdem limitatione; eo ipso enim, quod sunt ex nihilo, finitæ, & defectibiles esse debent; & solus Deus, quia est ens a se, infinitus est, & perfectissimus. Vide in I. Tomo n. 51. Sunt etiam in mundo mala physica, & moralia; atque hæc postrema, nempe mala culpæ ab hominum malitia, qui libero arbitrio perverse abutuntur, originem trahunt, nullatenus autem a Deo oriuntur, vel oriri possunt, quia Deus est causa efficiens omnis boni; non autem est, aut esse potest causa deficiens, & origo mali. Vide quæ diximus Tomo I. Diss. I. n. 222. & seq. Mala denique physica sunt innumeræ, quas patimur, calamitates, quæque a Deo bono simul & justo ad puniendas nostras culpas, vel aliis de causis immittuntur. Atque hæc fere sine controversia docentur.

112. Controversia postea nata est admodum gravis, & difficilis, excitata a Godofredo Guillelmo Leibnitio Lipsiensi, qui sæc. elapso ex principiis a se factis in Metaphysica has consecutiones elicuit. Primo, aliquam in Deo esse debuisse rationem sufficientem, qua determinatus fuerit ad unum potius, quam ad aliud ex infinitis possibilibus in mente Dei existentibus eligendum; secundo, hanc rationem sufficientem reperiri non posse, nisi in gradibus perfectionis quam unum individuum præ alio continet: tertio hanc perfectionem, quam Deus infinita sua sapientia cognoscit, etiam debere pro sua bonitate eligere, & pro sua potentia producere. Et hinc orta est celeberrima ejus opinio, quod mundus hic noster sit omnium perfectissimus, & optimus, qui a Deo creari potuerit, adeo ut divinæ bonitati, ac sapientiæ repugnet, aut hunc mundum in meliorem formam redigere, aut alium perfectiorem creare (a).

113. Ut vero in hac quæstione admodum subtili, & difficili æquivocationes vitentur, primo observandum est, aliam esse perfectionem majorem accidentalem, aliam essentialem: prima perfectio si addatur, eadem remanet mundi essentia; sed eadem non remaneret mundi essentia, si alia adderetur perfectio essentialis; sicuti non variatur essentia hominis, quando ætate, ac viribus tum corporis, tum animi perfectior evadit; tolleretur autem ejusdem hominis essentia, si in prædicatis essentialibus mutatio fieret. Si ergo Leibnitiani solum contenderent, non posse a Deo condi mundum meliorem in partibus ejus essentialibus, qui idem sit, ac mundus iste noster, nemo eis repugnabit; nam essentiæ rerum sunt invariabiles, &, ut inquit S. Thomas II. *Cont. Gent.*, *Deus non potest facere, quod rei desit aliquid suorum principiorum essentialium, ipsa remanente*. Sed illi insuper contendunt, non potuisse *absolute* Deum alios mundos creare huic nostro similes, aut etiam perfectiores, aut plane diversæ naturæ, sed pro infinita sua sapientia, ac bonitate debuisse omnibus mundis possibilibus eum præferre, qui esset optimus, & cui nihil addi posset, cujusmodi esse nostrum, sibi persuadent.

114. Observandum insuper est, non favere Leibnitiano systemati Veterum loquendi formulas, quibus admirantes hujus universi pulchritudinem, affirmabant, *nihil melius esse mundo*, *nihil præstabilius*, *nihil pulchrius*, & *nihil melius excogitari posse*: ita enim loquebatur Balbus Stoicus apud Ciceronem Lib. II. *de natura Deorum*. Sed id illi asserebant, attenta duntaxat finita nostra imaginandi vi, quæ nihil melius potest sibi imaginari, aut fingere; non autem considerata infini-

(a) Hæc Leibnitii opinio, quam postea Christianus Wolfius, quantum potuit, illustravit, & defendit, multarum controversiarum causa fuit, quarum litterariam notitiam exhibet Carolus Guntherus Ludovici in *Hist. Phil. Leibn.* P. II. cap. 23. Haud difficile est demonstrare, novam hanc Leibnitii opinionem non esse; eam enim tradidit Sæc. XII. celebris Petrus Abælardus, qui in sua *Theologia Christiana* (contenta in Tomo I. *Thesauri novi Anecdot.* Martene, & Durand. col. 1353.) postquam laudavit sententiam Platonis, *Deum non potuisse mundum meliorem facere, quam fecit*, probare nisus est, *Deum facere omnia, quæ potest, & tantum bene, quantum potest*; alias nec bonus, nec justus esset: atque ita concludit, *Deum nullatenus posse plura facere, quam faciat, aut melius facere, aut ab his cessare*. Quem tamen errorem Abælardus scriptis, & clamoribus multorum lacessitus, una cum aliis pluribus retractavit in *Responsione contra calumnias objectorum*, quæ proprie Retractatio est, & quæ prostat in T. IV. *Biblioth. Cisterc.* P. Bertrandi Tissier. Abælardi doctrinam postea suscitavit sæculo XVI. Joannes Wiclefus, ut videri potest apud Thomam Waldensem laudatissimum Carmelitam Anglum in *Doctrinali antiquitatis Fidei* Tom. I. Lib. VI. cap. 10. & seq. Wiclefus enim, postquam docuit cum Abælardo, Deum non posse plura facere, quam fecit, expresse addebat, *Deum non posse mundum majorare, vel minorare*.

Solertissimus vetustatis indagator Lud. Dutens in suo elaboratissimo opere inscripto *Recherches sur l'Origine des Découvertes attribuées aux modernes* Tomo II. cap. 5. *Optimismum Mundi* ab antiquis Philosophis, præcipue vero a Timæo Locrensi celebri inter Pythagoricos, tum etiam a Platone, allatis ipsorum verbis traditum fuisse, contendit. Ipsis tamen eorum verbis bene consideratis manifeste apparet, fuisse appellatum Mundum *Dei pulcherrimum factum*, aut etiam *optimum*, attenta finita nostra intelligendi vi, non attenta infinita Dei sapientia, & potentia. Plato quidem dixit in *Timæo*: *Fas autem nec est, nec unquam fuit, quidquam nisi pulcherrime facere eum, qui sit optimus*. Sed vox illa *pulcherrime* non semper sumitur stricte in sensu comparativo, prout sumitur a Leibnitio; sed potest etiam significare opus admodum pulchrum: cujusmodi certe est mundus; non autem talem esse, ut pulchriorem, & perfectiorem nec ipse Deus efficere possit, quemadmodum vult Leibnitius.

nita Dei sapientia, & potentia. His breviter prænotatis sit

PROPOSITIO

Admitti non potest opinio Leibnitiana de mundo optimo, & perfectissimo.

115. Et primo observatum fuit a doctissimis viris, si Leibnitii rationes valerent, ut Deus pro sua bonitate adstrictus fuerit ad seligendum inter infinitos mundos possibilas illum, qui omnium perfectissimus, & optimus esset, atiam similes rationes veterum Philosophorum probare, debuisse Deum hunc mundum a tota æternitate ereare; dicebant enim, Deum agere ex necessitate naturæ, adeoque debuissa Deum suam bonitatem exterius ab æterno communicare. Ita doctissimus P. Benedictus Pererius in Libro XV. *Physicæ* cap. 2. eorum argumentum exponit: *Deus & natura semper faciunt ex possibilibus, quod melius est: melius est autem, mundum esse, ac semper esse, quam non semper esse: est autem hoc possibile, qui enim de novo factus est, potuit ante fieri; & ab æterno fieri, nisi forte potentia Dei varietur, suscipiens magis, & minus. Porro sicut melius est esse, quam non esse, ita melius procul dubio est semper esse, quam non semper esse: mundum igitur semper fuisse, & semper fore, melius est, quam non semper fuisse: ergo Deus ab æterno mundum fecit.* Porro si semel constituatur principium Leibnitianum, Deum scilicet ex infinita sua bonitata teneri ad illud eligendum, quod melius est; non video, quid solidi possit huic argumento repoui: saltem in sententia eorum, qui putant, impossibilem non esse mundi æternitatem. Vide dicta superius n. 95. & seq.

116. Accedit, quod eadem ratione probaretur, mundum destrui non posse, quia *de natura boni est seipsum cum aliis communicare, suamque bonitatem aliis rebus, quantum fieri potest, impertiri:* repugnaret itaqua infinitæ Dei bonitati, mundum perfectissimum & optimum in nihilum redigere; nec apparet, quænam ratio sufficiens posset Deum movera ad destruendum hoc perfectissimum suarum manuum opus. Reipsa nulli veteres hoc argumento evincere se possa putabant, mundum sempiternum fore, & ut initio, ita fine carere. Sic ergo concludendum erit, primo hoc universum fuisse a Deo necessario productum, non libere; ea nempe necessitate, qua Leibnitiani Deum adigunt ad id faciendum, quod in se melius est; secundo nos, aliaque hujus universi entia eadem necessitate existere, atque esse omnium possibilium craaturarum optimas, & perfectissimas; si enim fuissent aliæ perfectiores, eas divina bonitas præferra debuisset; tertio Deum eadem ratione sufficiente qua hæc omnia creavit, adstringi atiam ad ea perpetuo conservanda.

117. Sane hæc consectaria vidit, & confessus est acutissimus Philosophus Petrus Abælardus, qui, ut supra notatum fuit ad num. 112., hanc ipsam sententiam de mundo optimo, & perfactissimo in scholas invehere conatus est: & cujus aliqua verba exscribere placet. Sic igitur in sua *Theologia Christiana* col. 1353. & seq. *Si ponamus, ut (Deus) plura, vel pauciora facere possit, vel ab his, quæ facit, cessare; profecto multum summæ ejus bonitati derogabimus... Hinc est illa Platonis verissima ratio, qua videlicet probat Deum nullatenus mundum meliorem potuisse facere, quam fecit.... Facit itaque omnia, quæ potest, Deus, & tantum bene, quantum potest. Sed non cessare ab iis potest, quæ facit..... Istis ergo rationibus adstruendum videtur, quod plura Deus nullatenus facere possit, quam faciat, aut melius facere, aut ab his cessare, sed omnia, ita ut facit, necessario facere.* Qoam tamen doctrinam, una cum aliis nonnullis *profanis, & mortiferis novitatibus*, a sanioribus Theologis tunc impugnatam retractavit Abælardus ita confitens; *Deum ea solummodo facere credo, quæ ipsum facere convenit: & quod multa facere potest, quæ non facit* (a).

119. Profecto vel ipso primo intuito facila quisqua videt, hæc absurda essa; & summæ, ac infinitæ Dei libertati opponi, qua *omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cælo, in terra, in mari, & in omnibus abyssis*, ut dicitur in Psalmo CXXXIV. 6. Deus enim, ut contendunt Leibnitiani, id semper facit, quod propter majorem suam perfectionem aliis omnibus præcellit, & quodammodo jure suo postulat, ut fiat; ubinam argo ast summa ipsius in creando libertas? Voluisset illa alium mondum huic similem ax nihilo axtrahare? Non potuisset, quia nulla est ad id faciendum in ipso mundo ratio sufficians, sine qua agera non potest. Voluissetne alium minus perfectum condere? Non potuisset, quia alter perfectior jure suo præferri postulabat. Voluisset alias creaturas perfectioras producere? Non potuissat, quia istæ jam conditæ sunt omnium perfectissimæ. Ve-

(a) Non ignoravit Leibnitius Abælardi, sicuti et Wiclefi erroneam in hac re doctrinam: quorum prior damnatus fuit in Concilio Sennnensi; alter vero in œcumenico Constantiensi. Ambos nominat in sua *Theodicea*, sed eos damnatos esse dicit *propter locutiones novas, & male sonantes;* nimirum mitius de iis sentiendum volebat, ne in eis suam etiam sententiam damnatam fuisse crederetur. Ceterum in Præfat. ad Tom. V. *Novi thesauri Anecdotorum* Martene, & Durand hæc leguntur; *Est penes nos ejusdem Abælardi Liber, in quo genio suo indulgens, omnia Christiana Religionis mysteria in utramque partem versat,*

Vellet denique totum hoc universum in antiquum chaos, vel in nihilum redigere? Neque hoc posset, quia ordo est quid perfectius, quam confusio; & existentia est melior, quam annihilatio. Jure igitur, meritoque rejicitur Leibnitianum Systema, tanquam divinæ libertati oppositum.

119. Sed opponitur præterea etiam infinitæ Dei omnipotentiæ, quæ exhausta dici deberet, si nihil majus, & nihil melius facere posset iis, quæ fecit. Non equidem puto, Leibnitienos dicturos, mundum esse absolute, & in omni genere perfectissimum, quia tunc mundus esset Deus ipse, ut Stoici, & Pantheistæ stolide delirabant. Si autem in mundo non sunt, nisi certi perfectionum gradus, jam limites ponerentur infinitæ Dei omnipotentiæ, quæ alios semper, atque alios perfectionum gradus addere nequiret. Ulterius negari non potest, in thesauro infinito rerum possibilium alios sine fine mundos contineri, in quibus divina bonitas manifestari, & communicari possit. Si igitur cum Leibnitianis dicamus, Deum non posse alios mundos creare, qui huic similes, aut megis, minusque perfecti sint, erit aliquid in se, & absolute possibile, quod temen a Deo fieri non potest, & sic de Omnipotentia divina actum erit.

120. Dicamus ergo, Deum Optimum Maximum, quemadmodum poterat hunc mundum non creare, aut eum citius, vel serdius pro nostro intelligendi modo creare, & quemadmodum potest eumdem pro sua libertate destruere; & reipsa cum ei placuerit, aliquando destruet, ita pro arbitrio suæ liberrimæ voluntatis voluit ex infinito possibilium thesauro mirabile hoc universum condere, eique certos perfectionum gradus conferre, cum potuisset, & adhuc absolute possit hujusmodi perfectiones augere, vel minuere, secundum consilium voluntatis suæ. Audiatur Angelicus noster Quæst. I. de potentia Dei art. 5., ubi post multa hac de re profunde explicata ita concludit: *Finis ergo naturalis divinæ voluntatis est ejus bonitas, quam non velle non potest. Sed fini huic non commensurantur creaturæ, ita quod sine his divina bonitas manifestari non possit, quod Deus intendit ex creaturis. Sicut enim manifestatur divina bonitas per has res, quæ nunc sunt, & per hunc rerum ordinem, ita potest manifestari per alias creaturas, & alio modo ordinatas; & ideo divina voluntas absque præjudicio bonitatis, justitiæ, & sapientiæ potest se extendere in alia, quam quæ fecit.*

121. Non prætermittit tamen S. Doctor ibidem observare, aliquo sensu verum esse, quod Deus non possit facere alia, quam quæ fecit. *Quia*, inquit, *ipse* (Deus) *non potest facere, quod contradictoria sint simul vera, ex suppositione potest dici, quod Deus non potest alia facere, quam quæ fecit: supposito enim, quod ipse non velit alia facere, vel quod præsciverit, se non alia facturum, non potest alia facere, ut intelligatur composite, non divisim.* Iste est unicus sensus, in quo verum est, Deum non posse alios mundos creare, minus, aut magis perfectos; non autem, prout Leibnitiani explicant, posse quidem Deum id facere *absolute*, non posse vero considerata sue infinita bonitate, & sapientia, qua, ut ipsis videtur, Deus adstringitur ad id faciendum, quod melius, & perfectius est.

122. Audiatur iterum S. Thomas Lib. II. *Cont. Gent.* Cap. 25. „ Dei voluntas non potest esse „ mutabilis. Si igitur non potest facere id, quod „ est a se volitum, non impleri .... Hujusmodi „ autem Deus quidem facere velle potest, si ejus „ voluntas, vel potentia absolute consideretur, non „ autem si consideretur præsupposita voluntate de „ opposito: nam voluntas divina respectu creaturarum necessitatem non habet, nisi ex suppositione. Et ideo omnes istæ locutiones, *Deus* „ *non potest facere contraria his, quæ disposuit* „ *facere*, & quæcumque similiter dicuntur, intelliguntur *composite;* sic enim implicant suppositionem Divinæ voluntatis de opposito. Si „ autem intelligantur *divise*, sunt falsæ, quia respiciunt potentiam, & voluntatem Dei *absolute*. Sicut autem Deus agit per voluntatem, ita „ & per intellectum, & scientiam. Pari igitur „ ratione non potest facere, quæ se facturum non „ præscivit, aut dimittere, quæ se facturum præscivit; quia non potest facere, quæ facere non „ vult, aut dimittere, quæ vult. Eodem modo „ conceditur, & negatur utrumque, scilicet ut „ prædicta non posse dicatur, non quidem *absolute*, sed sub *conditione*, vel *suppositione*. "

123. Obj. primo. Absurdum plane est fingere, Deum sine ratione sufficiente aliquid agere; atqui nulla ratio sufficiens reddi potest, ut Deus ex duobus mundis æque perfectis unum eligat potius, quam alium; & multo minus quod imperfectiorem perfectiori præferat: omnium igitur perfectissimum seligere debuit. Hoc est Achillæum Leibnitianorum argumentum.

124. Resp. cum S. Thoma Quæst. I. *de potentia* art. 5., ubi eum sibi objecisset hanc ipsam difficultatem his verbis: *Bonitatis divinæ est, ut non solum se communicet, sed ordinatissime se communicet; sic ergo ea, quæ fiunt a Deo, ordinata sunt; sed præter ordinem Deus facere non potest: ergo non potest facere alia, quam quæ fecit.* Respondit autem, breviter simul ac perspicue ed 8.: *Divina bonitas potest se communicare ordinate, non solum isto modo, quo res*

negans, quod asseruerat, & asserens, quod negaverat. Quod opus aliquando publici juris facere cogitaverat noster Acherius; verum serio examinatum æternis tenebris potius, quam luce dignum de virorum eruditorum consilio existimavit. Sed id obiter.

res operatur, sed multis aliis. Et rursus cum pariter sibi ita objecisset: *quidquid Deus facit, aut dimittit, facit, aut dimittit optima ratione ... ergo non potest facere, nec dimittere, nisi quod facit, aut dimittit:* sic autem respondet ad 14.: *Optima ratio, qua Deus omnia facit, est sua bonitas, & sua sapientia, quæ manerent, etiamsi alio, vel alio modo faceret*. Et ad 15. *Illud quod facit, est optimum per ordinem ad Dei bonitatem. Et ideo quidquid aliud est ordinabile ad ejus bonitatem secundum ordinem suæ sapientiæ, est optimum*. Et adhuc clarius Quæst. 5. *de potentia* art. 16. ad 17. dicit, *universum, quod est a Deo productum, esse optimum respectu eorum, quæ sunt, non tamen respectu eorum, quæ Deus facere potest*.

125. Dices cum Abælardo (in Tomo V. suæ *Theologiæ* pag. 1356. laud. superius *Thesauri Anecdoctorum*) S. Hieronymus de Deo ait: *Non enim, quod vult, hoc facit, sed quod bonum est, hoc vult Deus*; quod idem est, ac si diceret: *in omnibus Deus, quæ facit, aut dimittit, rationabilem habet causam cur ab eo faciendum sit, aut dimittendum*. Et paulo antea auctoritatem allegavit Platonis dicentis: *Omne, quod gignitur, ex aliqua causa necessaria gignitur; nihil enim fit, cujus ortum non legitima causa, & ratio præcedat*.

126. Resp. Petrum Abælardum male suæ doctrinæ adaptasse verba S. Hieronymi, quæ non generaliter prolata fuere, sed peculiariter de pœnis, quas Deus, non quibus vult, infligit, sed iis duntaxat, qui suis delictis eas promeriti sunt, & quos bonum est a Deo puniri. Explicabat enim ibi verba Nabuchodonosoris Dan. IV. 32. dicentis de Deo: *Juxta voluntatem suam facit, tam in virtutibus cœli, quam in habitatoribus terræ; & non est, qui resistat manui ejus, & dicat ei: quare fecisti?* Putavit autem S. Doctor, hæc dicta a Nabuchodonosore fuisse, quasi Deum injustiæ accusaret (in qua tamen re alii Interpretes Hieronymo minime consentiunt), ac propterea Sanctus Hieronymus Regis dicta, ut blasphema refellit, quia Deus non facit, quod injustum est, cujusmodi esset, innocentes punire. En integrum Doctoris maximi textum: *Loquitur quasi homo sæculi; non enim quod vult, facit, sed quod bonum est, hoc facit Deus. Nabuchodonoser autem sic locutus est, ut dum potentiam Dei prædicat, justitiam ejus videatur arguere, quod immerito pœnas sustinuerit*.

127. Testimonium autem Platonis examinare non oportet; neque enim mirum est, summum hunc Philosophum in hoc capite errasse, ut in pluribus aliis ipsum revelationis lumine orbatum errasse, norunt eruditi. Ipsi tamen alterum non minorem inter Ethnicos Philosophum opponere possumus, nempe Ciceronem, qui in Libro *De fato* principium *rationis sufficientis*, cui totum innititur Leibnitianum systema, in actionibus liberis minime approbat, inquiens: *Ad animorum motus voluntarios non est inquirenda externa causa; motus enim voluntarius eam naturam in seipso continet, ut sit in nostra potestate, nobisque pareat; nec id sine causa; ejus enim rei causa ipsa natura est*. Quod si id in nobis est verum, multo magis verum erit de voluntate divina, cujus libertas nostram infinite superat, & est primus fons omnis creatæ libertatis. Ceterum de principio *rationis sufficientis*, quod a Jordano Bruno Leibnitius mutuatus est, hic disputare nolumus.

128. Ratio autem operationum Dei ad extra, non ex rebus, sed a bonitate ipsius Dei repetenda est, ut mox diximus cum Sancto Thoma. Et Deus eamdem suam bonitatem creaturis magis, minusque participat arbitratu suo; ejusque gloria tam in perfectioribus, quam in minus perfectis manifestatur.

Eminet in minimis maximus ipse Deus.

Et quis, amabo, tam audax erit, ut quasi immensurabilem Divinitatis abyssum penetrans determinare velit, quinam perfectionis gradus debeant liberrimam Dei voluntatem determinare ad eos producendos, vel non producendos? Et cum Deus in se beatissimus, nullinsque indigens sit, a majore rerum perfectione adigi poterit, ut eas, & non alias ex nihilo producat? Demus gloriam Deo, dicamusque ei cum viginti quatuor Senioribus Apocal. IV. 11.: *Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, & honorem, & virtutem; quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt;* non autem propter majorem eorum perfectionem, ut Leibnitiani philosophantur.

129. Obj. secundo. Intellectus divinus, cum sit perfectissimus, nonnisi ea voluntati proponere potest facienda, quæ perfectissima sunt: eam igitur movere debuit ad seligendum inter omnes mundos possibiles eum, qui optimus, & perfectissimus esset.

130. Resp., intellectum divinum debere ea voluntati ad faciendum proponere, non quæ in seipsis perfectiora sunt, quasi hæc majus aliquod ad existendum jus habeant; sed quæ magis conducunt ad altissimos suos fines consequendos: omnia enim propter seipsum, & propter gloriam suam operatur Deus. At vero videndum, an ea, quæ minorem in se perfectionem videntur habere, magis conferant ad divinam gloriam manifestandam? An non possint ea, quæ in perfectione videntur omnino paria, etiam multiplicari, ut ea quoque divinam bonitatem participent? An postremo an possibilis sit talis mundus, qui optimus sit, & omnium possibilium perfectissimus?

131. Neque vero his in rebus aliqua est analogia, vel similitudo inter intelligentias creatas, & Deum. Nam intellectus creatus non omnia u-

ni-